# LOGICA
## DIVI THOMÆ AQUINATIS.

# PHILOSOPHIA

# SANCTI THOMÆ AQUINATIS

AURIBUS HUJUS TEMPORIS ACCOMMODATA

*A R. P. FR. PHILIPPO PUIGSERVER MAJORICENSI*

*ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM, IN SACRA THEOL. MAGISTRO, AC PROVINCIÆ ARAGONIÆ ALUMNO.*


JUSSU

RMI. P. FR. RAYMUNDI GUERRERO,

EJUSDEM ORDINIS IN HISPANIARUM ET INDIARUM REGNIS VICARII GENERALIS.

## TOMUS I.

LOGICAM COMPLECTENS.



*CUM LICENTIIS NECESSARIIS.*

VALENTIÆ: IN TYPOGRAPHIA BENEDICTI MONFORT.

ANN. MDCCCXVII.

SERENISSIMO

HISPANIARUM INFANTI

D. D. CAROLO MARIÆ DE BORBON,

SAPIENTIÆ AMATORI, ET LITTERARUM

PATRONO:

*Serenissime Princeps*:

*Ex quo, pro tuo publicæ felicitatis, scientiarum, ac Religionis amore, Studentes doctrinæ S. Thomæ in ejus Collegio Matritensi in tui clientelam suscipere dignatus es; ad debitas pro*

*ingenti hoc beneficio grates persolvendas imparem me sentiens, gratum animum statui, novi beneficii petitione significare. Ecce itaque præsidium etiam tuum quærit ipsa Angelici Præceptoris Philosophia, quam pro alumnis mihi subditis edendam decrevi. Eam abs te, Serenissime Princeps, probandam iri fidens spero; quòd ita compacta sit, ac contexta, ut exclusis, uti præceperam, inutilibus omnibus, quæ olìm in Scholasticam Philosophiam irrepserant; exemplo monstret, quàm verum sit oraculum illud Sanctissimi Pontificis Pii V.: „Omnipotentis Dei Providentiâ factum „est, ut Angelici Doctoris vi, ac veritate doctrinæ, multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ „et convictæ dissiparentur.“ Et post*

*pauca: „Cujus meritis orbis terrarum „á pestiferis quotidiè erroribus libe„ratur." Hic est scopus, in quem omnis labor, in hoc opere impensus, collineat. Doctrina Philosophica S. Thomæ, quæ in eo traditur, inanem Pseudo-Philosophorum fallaciam dissolvit, qui perturbatissimam hanc humanarum, divinarumque rerum confusionem in totum terrarum orbem intulerunt. Angelici Præceptoris sententiis instituti juvenes, hisque veluti clypeis, et armis muniti, poterunt et ex hoc tempore prædictos Philosophiæ corruptores dignoscere ac detestari; et quondàm adversus eosdem strenuè pro Ecclesia, et pro Patrio Regno decertare. Nihil, credo, tibi gratius: nihil, opinor, Hispaniæ utilius: nihil certè meo Prædicatorum Ordini, ad salu-*

*tem animarum instituto, in fædissima hac tempestate congruentius. Nostrum erit, Serenissime Princeps, D.O.M. enixè deprecari, ut Te diù salvum, incolumemque servet, utque tua omnia prosperentur. Te siquidem studium S. Thomæ promovente, expectatio mea non frustrabitur.*

*Serenissime Princeps*

*In signum gratitudinis*

Fr. Raymundus Guerrero.

# LOGICA SANCTI THOMÆ AQUINATIS
## AURIBUS HUJUS TEMPORIS ACCOMMODATA.

### *PROLOGUS.*

Post bellum adversus veterem ubiquè Orbis Catholici regnantem Philosophiam, á Cartesio et Gassendo indictum, innumeræ prodierunt *Institutiones Logicæ*, quarum unaquæque salutem afferre humanæ menti pollicebatur. Ex fructibus possunt omnes illæ cognosci. Pro salute morbos innumeros ingeniis, saltem malè affectis, attulerunt. Id faterì deberet Condilliacus ipse, si stare sibi vellet. Considerans enim hic novus Philosophus, ab Adamo ad nos usque (nimirùm ex quo, ipso docente, ideas nobis innatas peccatum originale extinxit) nullam vulgatam fuisse Logicam hoc nomine dignam, novam prorsùs scripsisse se dicit (in Proem.) *in nullo similem hactenùs evulgatis.*

Per Deum ego immortalem, et per Divos omnes, ab Hispania ad Cælum evectos, rogo vos, Juvenes, nè sinatis vobis imponi ab hominibus istis, qui se Veterum omnium contemptores esse gloriantur. Præsumptio novitatum vitium ingens est, ex superbia ortum, nullamque proindè sapientiam

potest parere, nisi illam, quam B. Jacobus (cap. 3.) vocat *terrenam*, *animalem*, *diabolicam*. Quamvis Condilliaci Logica nullo alio vitio, nisi hoc presumptionis novitatum, laboraret; é manibus omnium præcipuè juvenum projicienda esset, nè videlicet in oblivionem apud ipsos caderet monitum illud Jobi (cap. 12.): *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.*

Hæc et alia considerantes Andreas Piquerius Hispanus, et Jacobus Facciolatus Italus, omnibus jure abjectis novorum Philosophorum Logicis, ad Aristotelicam regressi sunt: eodemque nos consilio, et Duce Angelico Præceptore, Aristotelis interprete omnium maximo, *Logicam Peripateticam* medium in agmen producimus. Hæc igitur est nostra intentio, quam, Deo benè juvante, exequentes, curabimus omninò, et juvenum mentes copiâ non obruere, et nihil utilium omittere, et omnia resecare, quæ ad formandum Logicum parùm conducere videantur. Utque nostrum hoc institutum sub certis limitibus comprehendatur, necessarium est investigare.

Primo: De Logica, *¿qualis sit?*

Secundo: De potentia cognoscente quam dirigit, *¿quænam sit?*

# LIBER PRIMUS.

## CAPUT I.

### *De Logica in universum.*

§. 1.

*In quo nomen Logicæ definitur.*

L*Ogicæ* nomen á latinis receptum, et á græco *Logos* derivatum, duo significat; sermonem et argumentum. Ideo Aristoteles (1. post. cap. 8.) duplex constituit *logos*, *internum*, quod significat rationem vel argumentum; et *externum*, quod sermonem indicat, sive orationem. *Dialecticæ* quoque et *Logicæ* nomina promiscuè usurpari solent. Sed proprior et frequentior usus obtinuit á græcis usque temporibus, ut *Logica* totam hanc Artem significet, et *Dialectica* partem dumtaxat: eam, scilicet, quæ (annotante D. Aug. lib. 1. cont. Cresc. cap. 14.) *si usus admitteret, fortasse latinè* Disputatoria *diceretur*. Satis de nomine.

§. 2.

*Quid sit Logica explicatur.*

Rem ipsam alii aliter definiunt, modò finem Logicæ, modò officium assumentes: modò cogitandi, modò disputandi rationem considerantes. Definitiones eorum mancas et diminutas esse oportet. Integram Logicæ naturam Cicero (in Acad. 4. c. 28.) et D. Isidorus (2. Etym.) suis definitionibus perfectissimè explicuerunt. Logica, ait Cicero, est *ars veri et falsi disceptatrix, et judex*; id est, recta ratio veritatis detegendæ atque explicandæ. D. autem Isidorus eam vocat *scientiam definiendi, inquirendi, et disserendi, quæ docet disputando, quemadmodum vera á falsis dijudicentur*. Utraque hæc definitio valde nobis probatur.

§. 3.

*Logicam esse scientiam et artem.*

Ex duplici hac definitione clarè infertur, Logicam duplici ornandam esse titulo, scientiæ videlicet et artis. Dicitur enim á D. Isidoro *scientia*, quia verè est cognitio certa et evidens earum rerum, quæ ad disputandum, et ad vera á falsis dijudicanda requiruntur, per causas et rationes minimè dubias comparata. In quo equidem differt á Retho-

rica, Grammatica, et Poesi, quæ regulas tradunt non tam ratione quàm usu constantes.

*Ars* etiam dicitur á Cicerone, et *ars artium* á D. Thoma (1. post. lect. 1.); tum quia *in actum rationis nos dirigit, á quo omnes artes procedunt*; tum quia tendit non modò ad cognoscenda ratiocinandi et disputandi instrumenta, sed etiam ad ea efficienda. Idcirco sine hac arte, ait alibi Tullius, *quemvis arbitramur á vero abduci fallique posse.*

§. 4.

*Logicam non esse meram cogitandi artem.*

Infertur etiam ex hactenus dictis, toto cælo aberrare illos, qui Logicam docentes, solam cogitandi artem se docere profitentur. Fatemur equidem, nihil esse nobilius, quàm animum, corporis pondere humi dejectum, meditando attollere, et veritatis lumine collustrare. At nisi totum hoc in disputationes conferatur; nisi examinari et comprehendi disputando possit, quid proderit? quomodo ad Logicam pertinebit? Logicus verum quærens, non sua tantum causa quærit; sed etiam, ut aliis aperiat, atque explicet. ¿*Sapientia enim abscondita* (Eccl. 41.), *et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Habeant ergo sibi suam cogitandi artem novi Logici: dum nobis in antiquo pulvere libenter manentibus, communem multis ætatibus ac populis disserendi rationem, (quod æquum existimamus) non gravatè relinquant.

Addo vix fieri posse, ut Institutiones, quæ solas cogitandi regulas continent, ea omnia complectantur, quæ ad formandum Logicum præcipuè pertinent. Hinc factum est, ut qui se illis (ait Facciolatus in Paræñesi) per hos annos dediderunt, prima quidem facie mirifici visi sint veritatis indagatores ac judices: sed cum ad manus et pugnam res venit, tunc verò apparuit, quantuli essent. Hinc etiam factum, ut publicæ studentium exercitationes, quæ more majorum institutoque habentur, sublata passim concertatione, in quasdam veluti recitationes evaserint, quo nihil perniciosius, nihil quod studentium animos æquè enervet, socordes reddat, et á labore avertat. Sit ergo nobis Logica, *Ars rectè ratiocinandi, rectèque disserendi.*

§. 5.

*In quo Dialectica et Rethorica inter se comparantur.*

Ex artibus, quæ linguam perpoliunt, notum est, Grammaticam in congruo sermone versari, Rethoricam in ornato, Poesim in figurato, Logicam autem in vero, certo, et evidenti. Non totam hìc Logicam cum Rethorica comparamus, sed eam tantum partem, quæ disputat

ex probabilibus, quæque proprio nomine *Dialectica* dicitur. Hæc finitima Rethoricæ est; differt tamen tum materia, tum officio, tum fine, tum disserendi modo. Differt *materia*, quia quamvis utraque de rebus omnibus disserat, tamen Rethorica civiles causas sibi tamquam proprias vendicat. Differt *officio*, quia officium Dialectici est aptè disputare per *probabilia*, quæ ad assensum ducant. Rethoris autem ornatè dicere per *persuasibilia*, quæ motum animis afferant. Differt *fine*, quia finis Dialectici est ita rem probare, ut is, quîcum disputat, cogatur fateri quod negabat. Rethoris autem finis est, ita persuadere, ut is ad quem loquitur, actionem, quam Orator cupit, decernat. Differt *modo disserendi*, quia Rethor fusiùs et ornatiùs dicit, Dialecticus vero pressiùs, et àngustiùs. Unde, ut est apud Ciceronem (lib. 2. de fin.) Aristoteles et Zeno Rethoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse dicebant, quod latiùs loquerentur Rethores, Dialectici compressiùs.

## §. 6.

### *De objecto Logicæ.*

Scientiæ objectum dicitur, quod se illi contemplandum *objicit*. In quolibet autem objectò, sive scientiæ, sive potentiæ, sive artis, duo accuratè discernenda sunt: materia et forma. Objectum enim *materiale* dicitur *ipsa res circa quam scientia versatur*. Objectum *formale* est *id, quod in ea re scientia considerat*. Patet hæc distinctio in potentiis animæ nostræ. Sicut objectum *materiale* visus sunt res quæ videntur, et objectum ejus *formale* est color, quem in rebus intuetur; sic in scientia objectum *materiale* sunt res de quibus tractat, et objectum *formale* est illa propria ratio, quam in ipsis considerat.

Sicut autem ex materià et forma domus v. g. fit una domus, sic ex objecto materiali et formali uniuscujusque scientiæ fit unicum integrum objectum, quod vocatur *subjectum scientiæ: materia circa quam: objectum attributionis:* quia ad illud referuntur omnia, de quibus agit scientia. Talia sunt in Medicina *corpus sanabile*, in Physica *ens mobile*, in Logica *instrumenta sciendi*, v. g. Demonstratio.

Præterea inter objectum et scientiam quippiam mediat, cujus ope illud attingit. Idem evenit in potentiis. Inter visum et colorem mediat lux, cujus ope color á visu percipitur. Pari modo inter scientiam et objectum mediat lux primorum principiorum irradians conclusiones. Hujusmodi sunt in hac scientia hæc duo principia: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se. Quod dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento.* Medium hoc inter scientiam et ob-

jectum vocatur *ratio sub qua*. Hæc objecti scientiarum analysis vetus equidem est, sed tenaciùs retinenda, et in omni scientia consideranda, ut uniuscujusque natura et indoles nobis innotescat.

In Logica ergo sic se habet. *Objectum* ejus *materiale* latissimè excurrit. Sunt enim *res omnes á nobis cognitæ*. *Artificiosa* vero *dispositio*, quam ratio facit in rebus cognitis, dum eas ordinat in modum prædicati, subjecti, generis, speciei, definitionis, divisionis, propositionis, syllogismi, hæc, inquam, *artificiosa dispositio* est Logicæ *objectum formale*, sive forma quædam, quâ fit, ut materia, cæteroquin communis, sit Logicæ propria. Ut enim ars pingendi colores artificiosè disponit ut repræsentent, atque adeò colores sunt *objectum materiale* hujus artis, dispositio vero colorum *objectum formale*; ita Logica res cognitas artificiosè disponit in modum quem diximus, ut eo artificio faciliùs á mente percipiantur.

Artificiosa hæc dispositio, sive forma, á Majoribus nostris *Ens rationis* vocata est, quia non est in rebus, sed solùm in mente. Vocem istam propter *illusorum* insolentiam á Scholis nostris ablegare, pusillanimitatis peccatum mihi videretur. Palàm ergo dicamus, et altè: *Objectum formale Logicæ esse ens rationis*. Est autem *ens rationis* (ut id obiter explicetur) proprietas quædam conveniens rebus, non ut sunt in seipsis, sed ut sunt in intellectu per earum species, sive ideas repræsentatæ. Ex. gr. *Subjectum et prædicatum* dicuntur entia rationis, quia tantum conveniunt naturis, ut apprehenduntur ab intellectu. Nam cum efformo hanc propositionem, v. gr. *Homo est animal*, apprehendo hominem ut aliquid *inferius* et *subjectum* animali: sicque ad perceptionem hominis consequitur *notio subjecti*, et hæc est *ens rationis*. Similiter ad animal apprehensum ut aliquid homini *superius*, consequitur *notio prædicati*, quæ etiam est *ens rationis*.

Hæc omnia clarissimè, ut solet, explicat D. Th.; et vocem hanc *ens rationis* tantoperè invisam auctoritate sua scientificam facit (4. meth. lect. 4. litt. B.) his verbis: » Ens est duplex: scilicet, ens rationis et ens naturæ. Ens rationis » dicitur propriè de illis intentionibus (sive *notionibus*) quas ratio » adinvenit in rebus consideratis, » sicut intentio generis, speciei et » similium, quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur: et hujusmodi, scilicet, ens » rationis, est propriè subjectum Logicæ. Hujusmodi autem intentiones intelligibiles entibus naturæ æquiparantur (*in numero*), eo quod » omnia entia naturæ sub conside-

» ratione rationis cadunt. Et ideo » subjectum Logicæ ad omnia se » extendit, de quibus ens naturæ » prædicatur."

§. 7.

*De fine Logicæ.*

Tres mihi videntur Logicæ fines. Proximior est *cognitio et usus instrumentorum sciendi*, quæ ut mox diximus, sunt definitio, divisio, syllogismus et similia. Huc spectant præcepta et regulæ omnes, quas Logica suis candidatis præscribit.

Ad hunc finem sequitur alius et utilior, et sublimior. *Rectitudo*, scilicet, *operationum intellectus*, de quo fine S. Thomas (1. post. lect. 1.) sic scripsit: » Ars quædam neces» saria est, quæ sit directiva ipsius » actus rationis, per quam, scilicet, » homo in ipso actu rationis, or» dinatè et faciliter, et sine errore » procedat: Et hæc est ars Logica, » sive *rationalis scientia*." Ex hoc textu apparet, tria menti nostræ bona Logicam afferre. I. *Ordinatè procedere*. Hoc præstat artificiosa dispositio instrumentorum sciendi, quæ est ejus objectum formale. II. *Faciliter invenire*. Hoc assequimur per utriusque methodi, resolutionis, scilicet et compositionis regulas et leges. III. *Sine errore judicare*. Ad id pervenimus, cum veram demonstrationem et cognoscimus et novimus efformare, atque á paralogismis discernere. Hic est ergo finis ultimus Logicæ, *veritatem invenire et explicare*. Finis porro Logicum non facit, sed officium. Est enim Logicus etiam, qui verum non invênit, modo aptè inquirat. Quemadmodum Orator est etiam ille qui non persuadet, modo aptè dicat ad persuadendum.

§. 8.

*De Logici officio, et Logicæ divisione.*

Logici ergo officium est instrumenta sciendi aptè et congruenter disponere, et regulas demonstrare, quibus servatis, perfecta habeantur. Eleganter Tullius (De Cl. Orat. cap. 41.) *Officium*, inquit, *Logici est rem universam tribuere in partes; latentem explicare definiendo; obscura explanare interpretando; ambigua primùm videre, deinde distinguere; postremò habere regulam, quâ vera et falsa judicentur, et quæ, quibus positis, sint, quæve non sint consequentia.*

Verùm, quàm multa sint, in quibus Logicus sudare et algère debeat, quatuor sequentes Logicæ divisiones indicabunt.

Dividitur primò in *naturalem*, quæ est facultas nobis insita, quà imperiti et rudes interdum rectè definiunt, dividunt, et argumentantur: et *acquisitam*, quæ est ars studio et exercitatione comparata,

qua Logica naturalis adjuvatur et perficitur.

Secundò in *docentem*, quæ tradit et explicat regulas definiendi, enuntiandi, arguendi, et similium; et *utentem*, quæ regulas illas applicans, instrumenta veri perquirendi aptè disponit.

Tertiò in *topicam et analyticam*, id est, in eam partem quæ *invenit*, et in eam quæ *judicat*. Nam *topica* locos et notas tradit, quibus res ad disputandum idoneas inveniamus. *Analytica* verò inventas resolvit ac dijudicat.

Quartò in *Dialecticam*, seu *disputantem*, quæ versatur in materia probabili, et probabiliter disserit in utramque partem; et *demonstrantem*, quæ versatur in materia necessaria, et partem unam necessariò patefacit. *Sophisticam* omittimus, quia hæc non est nisi *Logica personata*, simplicium deceptrix, errorum parens, impietatis fulcrum. Ejus tamen tortuosæ viæ, et malignæ verborum ambages profundius hodiè examinandæ et dignoscendæ sunt, nè quis *nos decipiat* (ad Colos. 2.) *per Philosophiam, et inanem fallaciam.*

§. 9.

*Logicam esse necessariam ad alias scientias perfectè habendas.*

Quomodo se habeat Logica ad alias scientias, sic explicat D. Thom. (Opusc. 70. q. 5. a. 1. ad 2.) *Res, de quibus est Logica, non quæruntur ad cognoscendum propter seipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias, prout scilicet ministrat earum speculationi sua instrumenta, scilicet syllogismos, et definitiones, et alia hujusmodi, quibus in speculativis scientiis indigemus.* Hactenus D. Angelicus.

In omni igitur alia scientia, quamvis *cognitio materiæ et assensus*, quem demonstrationes extorquent, ad Logicam non pertineant; *forma* tamen syllogismorum, et aliorum instrumentorum sciendi, sunt semper á Logica, vel naturali, cum fiunt nullo habito respectu ad regulas; vel adquisita, cum artificiosè disponuntur juxta præcepta et leges scientiæ hujus rationalis. Ita Logicus toto vitæ suæ decursu, quamcumque disciplinam profiteatur, officio suo fungi debet. Neque audiendi sunt unquàm, qui solum Geometriæ studium pro arte Logica satis esse arbitrantur.

Hinc etiam infertur, Logicam *naturalem* necessariam prorsùs esse ad alias scientias comparandas; *adquisitam* non item, quamvis si *necessarium* pro *valde utili* accipias, (uti frequenter accipitur) eam *necessariam* esse dicendum est: præsertim si quis scientiam aliquam perfectè adquirere sibi velit. Non enim negari potest, Geometras aliquos v. g. sine Logica *ad-*

*quisita* ad suam scientiam pervenisse. At sine ea nemo illorum (credo) facile sciet, se scire, quia numquam sciet, demonstrationes, quibus utitur, ad leges demonstrandi esse verè exactas.

Maneat ergo Logicam *adquisitam*, si non sit prorsus necessaria, esse tamen oportunissimam ad scientias alias comparandas. Cujus rei argumentum etiam esse potest, quòd vix ullus sit, qui tantum ingenio valeat, ut in hac divinarum humanarumque rerum obscuritate rectè disputare sine certis regulis possit, veritatemque expedire, quotidianis miseræ hujus vitæ erroribus implicatam. Sed de Logica satis; hæremus enim in limine, nec progredimur, cum de potentia cognoscente, quam Logica dirigit, dicturi simus.

# CAPUT II.

## *De potentia cognoscente quam Logica dirigit.*

### *Introductio adversus Condilliacum.*

Nulla frequentior vox apud veteris Philosophiæ contemptores, quàm *analysis*. Ejus defectu peccasse omnes qui se præcesserant clamat Condilliacus, et præter hunc clamorem nihil ferè Logicæ in tota ejus Logica. Ipse autem facultatum cognoscendi veram *analysim*, á Majoribus acceptam, et in Catechismis consignatam, nedùm omittit, verum etiam negat. Sensum ab intellectu non distinguit, universas animæ perceptiones, sensationes esse, astruit. Eas omnes per organa corporea exerceri docet (1. p. cap. 1. Log.). Demum: *in facultate sentiendi omnes animæ nostræ facultates contineri*, asserit cap. 7; ideoque *analysim solius facultatis sentiendi se instituere*. Quò vergant conatus isti, quamvis per se pateat, alibi opportuniùs declarabimus. Quod modo instat, germanam facultatis, seu potentiæ cognoscentis *analysim* cum D. Thoma exhibeamus.

### §. 1.

### *Sensum et intellectum hominis toto cælo inter se distare.*

Refert sæpius S. Doctor, *quod antiqui Philosophi imaginationem transcendere non valentes* (1. p. q. 75. á 1.), *sola corpora res esse dicebant, et quod non est corpus, nihil esse*. Hinc *nullam distinctionem ponebant* (ibid. art. 3.) *inter sensum et intellectum, et utrumque corporeo principio attribuebant*. Ecce antiquam opinionem á pluribus horum temporum incredulis, (quod sine lacrymis vix potest dici) vaferrimè ad suos pravos fines susci-

tatam. ¿In quo autem distingueremur á brutis animalibus, si intellectus ita in facultate sentiendi corporea contineretur, ut modus in re, cujus est modus? Sed non est hujus loci errorem hunc confutare. Qui illo imbuti sunt, nescio, quomodo Catholici esse possint. Quid dico Catholici? Nescio, quomodo religionem ullam interiùs tenere valeant. Idque didici ab ipso Angelico Præceptore, qui nos docet (Supl. q. 58. a. 2.) *prædictam opinionem procedere á radice infidelitatis, sive incredulitatis.*

Quamvis autem sensum et intellectum ita distinguat S. Doctor, docet tamen eas esse potentias ejusdem animæ, et uniri in persona cujuscumque hominis; quia scilicet, unusquisque nostrûm per illas omnes operatur. Nam, ut fert commune axioma, *Actiones sunt suppositorum.* Maximum autem est discrimen in modo, quo operamur per sensum, et per intellectum. *Quædam*, inquit, (1. p. q. 77. a. 5.) *operationes sunt animæ, quæ exercentur sine organo corporali, ut intelligere et velle; et istæ sunt in anima sicut in subjecto. Quædam vero, quæ exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem. Hæ potentiæ sunt in conjuncto, sicut in subjecto, et non in anima sola.*

Hæc et alia D. Thomæ documenta in tractatu *de anima rationali* radicitùs demonstrabuntur: Nunc solùm adumbrantur, quia in tota Logica præ oculis habere debent; ideoque opus est, ut Logicæ studiosus illa credat ob causas, quas pergimus exponere.

§. 2.

*Docilitatem esse Logicæ auditoribus apprimè necessariam.*

In omni disciplina et arte oportere addiscentem credere, et experientia ostendit, et prudenter admonent quicumque scientias rectè tradunt, et exemplo suo nos docent Mathesis professores, *Postulata* quædam suis demonstrationibus præmittentes. Monitum hoc adolescentibus, qui nunc primùm ad scientiarum studium accedunt, repetendum sæpius est. Cum enim veritates omnes uniuscujusque scientiæ et artis mirum in modum invicem connectantur, nec omnes possint statim á principio, aut sciri á discipulis, aut á Præceptoribus demonstrari, æquum est, ut illæ, quæ ordine posteriores sunt, et tamen ad priora intelligenda valdè conferunt, á tyronibus credantur.

Sic adamanda et excolenda est ab eis virtus docilitatis, quæ utique est utilis ad omnem virtutem intellectualem, ut docet D. Thomas (2. 2. q. 49. á 3.). Additque ad 2.m, quòd quamvis quibusdam ex naturali dispositione conveniat

aptitudo ad docilitatem; *sed ad ejus consummationem plurimum valet humanum studium, dum scilicet homo* sollicitè, frequentèr et reverentèr *applicat animum suum documentis Majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter superbiam.* Ad hanc quoque virtutem refertur consilium illud Ecclesiastici (cap. 32.), *Adolescens... in multis esto quasi inscius, et audi tacens, simul et quærens: In medio magnatorum non præsumas, et ubi sunt senes, non multum loquaris.*

Cum igitur analysis hæc potentiæ nostræ cognoscentis, quæ á Logica regitur, et de qua propterea in hoc capite agimus, in postrema Physicæ parte demonstranda sit; credere interea oportet D. Thomæ, qui eam distribuit in sensum et intellectum; sensumque deinceps (1. p. q. 78.) in quinque sensus externos, et quatuor internos; et postea (ibidem q. 79.) intellectum in *agentem*, quo homo efformat sibi species sive ideas immateriales, et *possibilem*, quo per easdem intelligit. Verum hæc paulò fusiùs exponenda sunt.

## §. 3.

## *De sensibus externis, eorumque objectis.*

Quinque sunt sensus externi vulgò noti. Omnium objectum debet esse et singulare, et localitèr extensum, et ipsis præsens, et in debita distantia positum. Dividitur in sensibile *per se*, et sensibile *per accidens*. Sensibile *per se* agit in sensum, sive illum immutat, ut color visum, sonus auditum. Non sic sensibile *per accidens*; hoc enim non movet sensum, sed tantum conjungitur sensibili *per se*, illique accidit, quod tunc cognoscatur á sentiente per aliam potentiam. Id patet in *sacharo* v. gr. Ejus albedo est objectum *per se* visus, dulcedo autem objectum *per accidens*; accidit enim quod dulcedo sachari cognoscatur ab homine per memoriam, dum ejus albedo ab ipso videtur.

Sensibile *per se*, vel est proprium, vel commune. Sensibile *proprium* est, quod *per se primò* immutat sensum, ut calor et frigus tactum. Sensibile *commune* est, quod non movet sensum *per se primò*, sed ratione sensibilis qualitatis cui adjungitur, ut *superficies* cálida, quæ non movet tactum nisi ratione caloris. Nec tamen *superficies* hæc censenda est sensibilis *per accidens*, ait D. Thomas (1. p. q. 78. a. 3. ad 2.); quia *aliquam diversitatem facit in immutatione sensus. Alio enim modo immutatur sensus á magnâ superficie, et á parvâ.* Dicuntur autem *communia* hæc sensibilia, quia unumquodque illorum potest á duobus saltem

sensibus percipi, ut *figura* ab oculis et tactu.

Docet autem S. Doctor (ibidem) quod sensibilia omnia communia reducuntur ad quantitatem, et quod sensibilia propria sunt qualitates alterantes, quia (ut dixerat in 4. sent. dist. 12. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1.), *qualitates sunt sensibiles primò, quantitates secundò.* Demum numerat quinque sensibilia communia, quæ sunt, *magnitudo, figura, motus, et quies.* Ad ista referuntur *tempus, situs, unitas, distantia, et propinquitas.* Hanc de sensibilibus communibus D. Thomæ doctrinam consulere debuisset P. Feyjoó, quando dubitabat, esset necne somnium suum, inventio illa, sive detectio *novæ potentiæ sensitivæ* ad tempus cognoscendum destinatæ, de qua inventione sibi blanditur Tom. 4. Epist. 6.

## §. 4.

### *De sensibus externis, eorumque objectis.*

In eadem quæstione 78. art. 4. docet Angelicus Præceptor, in omni animali perfecto esse quatuor sensus interiores ad ejus vitam omninò necessarios. Sunt autem *Sensus communis, et Imaginatio* ex una parte, et ex alia *Æstimativa, et Memoria.* Græcum *Phantasia* interdùm de imaginatione dicitur, interdùm omnibus quatuor accomodatur. *Sensus communis*, est radix et principium exteriorum sensuum, quorum proinde impressiones ad ipsum pertingunt, et ab eo discernuntur. Has impressiones sive formas *Imaginatio* retinet et conservat, sicque est veluti quædam memoria respectu sensus communis. *Æstimativa*, sive per *æstimativam* animal in formis, sive speciebus á sensu acceptis, quasdam altiores rationes ab externis sensibus non perceptas detegit et intuetur. Neque id mirum; videmus enim, quod diversi sensus ad cognoscendas diversas sensibilium rationes ordinantur. Sicut ergo animal per gustum cognoscit sapórem, quem non senserat per visum, ita per *æstimativam* cognoscit rationes convenientis, et nocivi, quas per alios sensus non senserat. Rationes, inquàm *convenientis, et nocivi,* non quidem sensui, sed sentienti: ideo *ovis*, inquit S. Doctor, *videns lupum venientem, fugit, non propter indecentiam coloris vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ; et similiter avis colligit paleam, non quia delectet sensum; sed quia est utilis ad nidificandum.* Memoria demum propriè dicta ad conservandas longo tempore intentiones hujusmodi ab *æstimativa* cognitas ordinatur. Itaque sic se habet memoria ad *æstimativam*, sicut imaginatio ad sensum communem. Omnes hi sensus, tum externi, tum interni, sunt potentiæ totius conjuncti, in

quo differunt utique ab intellectu, qui est potentia solius animæ nostræ spiritualis et immortalis.

§. 5.

*Potentias cognoscitivas uniri in nobis, easque non cognoscere, sed nos per illas.*

Non te obruat, bone juvenis, multitudo ista facultatum cognoscentium, quas in nobis reipsa inveniri audisti ex D. Thoma. ¿Quid enim interest realis earum inter se distinctio, dummodo unus sit homo, cujus sint omnes, quique omnibus illis, vel per illas omnes operetur, et integram rerum cognitionem adquirat? Nonnè vides in ipso nostro corpore aliam esse vim gradiendi, aliam quiescendi, aliam loquendi, aliam comedendi &c? Nonnè sentis eas non esse tuum corpus, sed facultates illius? Cur ergo in anima nostra, quæ est longè nobilior, multitudinem virium agnoscentium, inter se et ab illa distinctarum agnoscere renuas? Sed hæc aliàs.

Nunc satis sit tibi scire, quòd omnes prædictæ facultates uniuntur in persona tua: hoc est: quæcumque supponatur distinctio inter illas, et illarum á te, sive á tua anima; unus tamen es, (hoc enim intimè sentis) qui per illas cognoscis, et agis. Nam actiones, ut jam dixi, non sunt nisi suppositorum, sive rerum per se subsistentium. *Sed propriè et per se subsistens* (1. p. q. 75. à. 2. ad 2.) *dicitur, quod neque est inhærens, neque est pars, secundum quem modum oculus aut manus non posset dici per se subsistens, et per consequens nec per se operans: unde et operationes partium attribuuntur toti per partes. Dicimus enim, quòd homo videt per oculum, et palpat per manum.... Potest igitur dici*, (potest, inquit; hoc est; *impropriè* et *per Synecdochen* dicitur) *quòd anima intelligit, sicut oculus videt; sed magis propriè dicitur quòd homo intelligat per animam.* Hactenus Præceptor Angelicus. Ex cujus doctrina facile inferes, nonnisi per summam calumniam opponi Peripateticis, quòd vires activas, et accidentia quævis habemus tamquam entia per se stantia, agentia, et patientia; uno verbo, tamquam veras substantias. Sed ad rem.

§. 6.

*In quo exponitur, qua ratione prædictis potentiis utamur, ut integram rerum cognitionem habeamus.*

Objecta externa primùm sensus externos percellunt, atque in illis seipsa, ut ita dicam, pingunt et formant. Patet hoc in oculo, et per analogiam potest colligi, quid fiat in quatuor aliis sensibus. Imagines, sive impressiones hujusmodi ad

cerebrum, sive ad organa sensuum internorum (unaquæque suo modo et ordine) facilè derivantur, ibique remanent, etiam remotis objectis, et cessante sensus externi functione. Verùm simulacra hæc sive impressiones, sive quocumque alio nomine illa designes, (á nobis et á D. Thoma *phantasmata* vocantur) á cerebro, in quo existunt, non possunt ad intellectum transire, neque in eo recipi. Est enim hæc nostra potentia immaterialis et spiritualis, in qua proinde res corporea (quale est phantasma) nihil potest agere.

Quid ergo? inquies. Quomodò operor intellectu? Quomodò objecta externa ad ipsum perveniunt? Quid menti meæ deserviunt *Phantasmata?* Hoc intelliges, recolens paulò antè dicta. Unus es, qui per sensus externos objecta *præsentia* sentis, et per internos *absentia*, et utraque per intellectum cognoscis. Huic spirituali potentiæ tantam vim Creator contulit, ut phantasmatibus tamquam instrumentis utens, possit formare sibi imagines immateriales et spirituales rerum etiam corporearum, et materialium. Hæc vis est intellectus *agens* quem diximus. Cum ergo tu sis unus et ipse, qui intellectum habes et sensibus uteris; poteris utiquè, si vellis, dum imaginibus sensuum attendis, intellectu tuo formare tibi earumdem rerum imagines spirituales; sicque fiet ut eamdem rem et sensibus percipias, et intellectu tuo apprehendas.

Audi D. Thomam, comercium hoc intellectus cum sensibus sic explicantem (1. p. q. 75. á 2. ad 3.m). *Corpus requiritur ad actionem intellectus, non sicut organum, quo talis actio exerceatur, sed ratione objecti; phantasma enim comparatur ad intellectum, sicut color ad visum.* Hæc S. Thomas. Nos clarissimo hanc doctrinam exemplo explicamus. Intellectus noster in hoc statu, sive dum spiritus hos regit artus, versatur in corpore sicut homo, cujus oculi necessario essent in fontem aliquem directi. Quemadmodum homo iste non posset aliud videre, nisi quod in illius aqua, ut in speculo quodam, repræsentaretur: ita intellectus noster corpori conjunctus nihil intelligit nisi illud accipiat á phantasmatibus, sive á rebus in imaginatione repræsentatis. Unde turbata imaginatione non potest anima intelligere, sicut nec prædictus homo, turbato fonte, posset amplius videre, non quod oculus ejus in fonte immersus esset, set quod visibiles species non posset ab ejus aqua recipere.

Verùm cum lux, qua intellectus pollet, sit multò altior, multòque sublimior, quàm ea quâ donantur sensus, (tantum exceditur sensus ab intellectu, quantum animal brutum ab homine) hinc fit, ut intellectu plurima percipiamus

in rebus, quæ internos externosque sensus omninò fugiunt: Sensu ením, ut dictum est, non percipimus nisi id quod est singulare, et loco extensum: ut intellectu universalia et inextensa cognoscimus. Immo cognoscimus Deum, non quod aliquod ejus simulacrum sive phantasma in cerebro sit, sed quia ex phantasmatibus, per excessum et per remotionem, ut loquitur D. Thomas, ad ejus cognitionem assurgimus. *Incorporea*, inquit (1. p. q. 84. a. 7. ad 3.$^{m}$), *quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur á nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata, sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei, circa quàm veritatem speculamur.* Hæc, ut obitèr dicamus, est *conversio* intellectus ad *phantasmata*, qua loquendi formula sæpè utitur D. Thomas. Satis hæc sunt pro Logicæ candidatis. Tempus est, ut videamus, quo ordine in hac disciplina ad directionem intellectus procedendum sit.

## §. 7.

### *Proponitur ordo dicendorum in Logica.*

Sequemur in tradenda Logica ordinem, quem Majoribus nostris videmus placuisse. Antequam autem rationem ejus reddamus, quædam prænotanda sunt. = Primum est, quòd mens nostra ad perfectam veri notitiam tribus veluti gradibus progredi videtur. Nam primò quidem rem apprehendit, intuetur ac percipit, atque ideam illius efformat. Hæc est prima mentis operatio, quæ á multis *perceptio*, á nostris *apprehensio* vocari solet, et á D. Thoma *simplicium intelligentia.* Secundò unam ideam cum alia comparat, et eas aptè vel conjungit aiendo, vel separat negando. Hæc est secunda operatio, quæ dicitur *enuntiatio* vel *judicium*, et á D. Thoma *compositio* vel *divisio*. Tertiò demum, ex uno vel multis judiciis aliud cum ipsis connexum deducit. Hæc est tertia operatio, quæ dicitur *ratiocinatio* sive *discursus.*

Notandum 2.º quòd *perceptio*, sive *notio*, et *idea* voces sunt, quarum in Logica frequens est usus. Eas Lugdunenses promiscuè usurpant, nè amicos suos, de his vocibus contendentes, Malebrancium, scilicet, et Arnaldum, offendere videantur. Nos inter *perceptionem* et *ideam* illud discrimen agnoscimus, quod est inter *operationem* et *opus*. *Notio* enim, sivè *perceptío* nihil est aliud, quàm prima operatio intellectus, quam nos *apprehensionem* vocamus. *Idea* vero est id, quod fit in intellectu, dum res percipit vel apprehendit. Tunc enim quasi intra se eas legit, et secum veluti loquitur, eas nominans; et ecce vobis *verbum* illud *interius* á

quo procedit omnis sermo noster. *Ex hoc dicitur verbum, vox exterior* (1. p. q. 34. a. 1.), *quia significat interiorem mentis conceptum. Sic igitur primò et principalitèr interior mentis conceptus verbum dicitur. Secundariò verò ipsa vox interioris conceptus significativa. Tertiò verò, ipsa imaginatio vocis verbum dicitur.* Quid est ergo *idea?* id quod voce significamus. Sicut igitur actio linguæ loquentis distinguitur á voce quam profert, et actio scribentis á scripto quod relinquit, ita actio intellectus nostri differt ab idea, sive á *verbo mentis quod exprimit*. Hoc verbum mentis vocatur á nostris *terminus mentalis*; consuevimus enim terminum dividere in *mentalem*, *vocalem*, et *scriptum*. Hi termini sunt tria signa ejusdem rei, simplici apprehensione perceptæ.

Notandum 3.° ex D. Thoma (1. post. lect. 1.); quòd sicut aliæ artes inventæ sunt, ut corporis nostri actiones ad debitum finem perducantur; ita ars Logica eò tendit, ut mentis nostræ actiones ad cognitionem veritatis perveniant. »Ratio enim, *inquit*, non solum »dirigere potest inferiorum partium »actus, sed etiam actus sui dire»ctiva est. Hoc enim est proprium »intellectivæ partis, ut in se ipsa »reflectatur. Nam intellectus intel»ligit seipsum, et similiter ratio »de suo actu ratiocinari potest." Ex quo deinde infert, quod oportet Logicæ partes accipere secundum diversitatem actuum rationis, quos tres esse statim affirmat et exponit.

Artes autem dirigendo opera, dirigunt operatienes artificum. Sic ergo prima Logicæ divisio in tres partes fieri debet, quarum unaquæque potest deinceps in alias subdividi.

Ostendimus supra, disciplinam hanc esse et artem cogitandi, et artem disserendi. Et mox addidimus ex D. Thoma, quòd omnis sermo noster exterior á spirituali mentis lingua procedit. Pertinent igitur ad Logicam termini, propositiones, et syllogismi, non modò *mentales*, verum etiam *vocales*. Hæc quippe veri perquirendi instrumenta ita invicem connectuntur et copulantur, ut perfectio et defectus mentalium ad vocalia deriventur, et horum vitia et virtutes ad illa transferantur.

Cum igitur in omni arte et disciplina tradenda, á facilioribus incipiendum sit, statutum est nobis priùs dicere de instrumentis sciendi vocalibus, quàm de mentalibus. Sicut enim Astronomia, cujus institutum est astrorum motus explicare, spheram quamdam ligneam, sivè æneam proponit, ut in illa motus astrorum multo facilius ab auditoribus cernantur; ita nos, cum intellectualis compositio instrumentorum sciendi sensus lateat, ideo-

que sit difficilior ; ad voces primò convertimur , in quibus eadem illa compositio artificiosa mentis , tamquam in imagine cernatur depicta: sicque studentes per artifitiosam dispositionem vocum manuducantur ad ordinationem idearum , quæ in mente latet , intelligendam.

His omnibus diu pensatis , nostram hanc , seu potius D. THOMÆ LOGICAM in sex libros partiemur.

Primò enim tractabimus de instrumentis sciendi vocalibus.

Postea verò de mentalibus.

Tractatum primum non subdividimus , nè nimium in vocibus , quæ secundariò tantùm ad Logicam pertinent , immorari videamur. Secundus verò , qui regulas continebit, ut mens in suis cogitationibus *ordinatè* , *facilitèr* , et *absque errore* procedat , in tres illas partes distribuendus est , in quas operationem intellectus divisit S. Thomas. Itaque

Secundus Liber erit de Ideis, sive speciebus ad primam mentis operationem pertinentibus.

Tertius de veritate et falsitate judiciorum nostrorum , quæ ad secundam mentis operationem referuntur.

Agendum est deinceps de Ratiocinatione , quæ est tertia mentis operatio : cumque illa triplicis generis argumentationes contineat ; earum considerationem tres postremi Libri complectentur. Sic ergo

Liber quartus erit de Syllogismo demonstrativo.


Quintus de Topicis , sive probabilibus.

Sextus de Sophisticis , sive de fallaciis.

Ordo hic docendi Logicam idem ille est , nisi ego valde fallor , quem Majores nostri , præsertim Veteres constantèr tenuerunt. Eumdem majori ex parte sequitur Vir clarissimus , et Peripateticorum dissertissimus Jacobus Facciolati , qui inter juniores omnes Logicos tantùm, mea quidem sententia , excellit , *quantùm lenta solent inter viburna cupressi*. Hunc post D. Thomam potissimum Ducem habebimus , ejusque non modò sensa , sed etiam verba, nostra facere curabimus in omnibus illis , in quibus nec á D. Thomæ doctrina recedat , nec Scholasticos , eorumque formulas nimium aversetur. *Scholam enim ego* ( Melchioris Cani verbis utor ) *placare volo : Scholæ propria verba , peculiaresque loquendi formas submovere non audeo.*

Verum hæc obitèr. De terminis, propositionibus , et syllogismis vocalibus , sive scriptis in hoc primo jam incepto Libro agendum est: Itemque de methodo , ut morem geramus recentioribus Logicis , qui passim quartam partem Logicæ de methodo inscribunt ; quasi vero methodus esset quarta mentis opera-

tio á tribus, quas D. Thomas numerat, distincta. Quid enimverò est methodus, nisi recta ordinatio apprehensionis, judicii, et discursus ad verum inveniendum et explicandum? Nonnè hoc præstat ipsa Logica? Rectè dixit Iacquier (in fine proemii), *quòd hæc operatio tota* (methodus) *nihil nisi tres, quas diximus, mentis operationes continet*. Nec verebor addere, quod sæpius dico, rectam Logicam esse veram methodum. Sed ad nostrum Institutum veniamus, et primi hujus Libri capita sic sequamur.



# CAPUT III.

## *De termino vocali.*

### §. I.

### *De voce, et signis.*

Ad disputandum, vocibus vel scriptis indigemus. Est autem vox, vel scriptum, ut jam indicavimus, *Signum quo suas quisque cogitationes exprimit.* Vox, quæ nihil significat, ad Logicos non pertinet: nihil enim est aliud, ut ait Seneca, quam *ictus aer*. Vox, quòd ad Logicam attinet, vel est nomen, vel verbum. Nomen rem sine tempore significat, ut *amor*. Verbum tempus adsignificat, ut *amat*, *amabit*.

Signum est, *quod potentiæ cognoscenti aliud á se repræsentat.* Dividitur in *formale*, et *instrumentale*. Formale *est ipsa rei similitudo*, ut imago Regis. Instrumentale *rem significat interveniente discursu.* Sic *fumus* significat *ignem;* dicimus enim: *fumus est*, ergo *ignis est*.

Signum *instrumentale* dividitur in *naturale*, et *arbitrarium*. Naturale ex *naturali conexione aliud representat*, ut risus lætitiam, et gemitus dolorem. Arbitrarium est *cujus vis significandi ex usu vel instituto hominum pendet;* ut notæ numericæ, et voces quibus invicem sermocinamur. Quamvis enim naturale sit homini conceptus suos vocibus exprimere, attamen quòd hæc vox hanc potius quàm aliam rem significet (quidquid Stoici dixerint), non á natura, sed ab hominum arbitrio provenit.

Addunt quidam non incongruè, voces quasdam præter primariam significationem, aliam secundariam ex consuetudine habere. Ut si quis dicat alteri: *mentiris;* non modò significat, *illum loqui aliter ac sentit;* sed consignificat contemptum et injuriam quamdam, quâ loquens illum afficere intendit. Idcirco vir bonus et honestus vitat voces omnes, quae censentur obscenæ, impudentes, aut injuriosæ, quia no-

vit eas consignificare vitium in loquente; sicut etiam *amictus corporis*, *et risus dentium*, *et*, *ingressus hominis* (ut monet Eccles. cap. 19.) *enuntiant de illo.*

§. 2.

*De termino Logico*, *ejusque divisionibus.*

Terminus quatenus ad propositionem ordinatur, *est id, in quod resolvitur propositio tamquam in prædicatum aut subjectum.* Omnis enim propositio constat terminis copula quadam junctis, proindeque in illos solvitur. Ex. gr. cum dico: *Deus est justus*, prima vox *subjectum* est, postrema *prædicatum*; verbum autem *est* dicitur *copula*, quia utrumque eonjungit. Subjectum et prædicatum *termini* appellantur, seu *extrema*, quia propositionem utrimque terminant, et claudunt. Quamvis utrumque pluribus vocibus interdum constet, semper tamen á Logico unus terminus censetur.

Quòd ad divisiones terminorum attinet, quæ ad Logicum spectant sunt numero decem, quas hoc ordine exponimus.

I. Alius est terminus *simplex* sive *incomplexus*, qui una voce unam rem significat, ut *figura*: alius *complexus*, qui plura signa aut plura significata complectitur, ut *figura rotunda.* Hic autem vel est complexus *voce*, *non re*, ut Marcus Tullius Cicero; vel complexus *re*, *non voce*, ut Poeta: vel complexus *re*, *et voce*, ut Virgilius Poeta.

II. Alius est *concretus*, qui rem significat cum sua forma, ut *Philosophus*; alius *abstractus*, qui formam exprimit sine re, cujus est forma, ut *Philosophia.* Unde terminus concretus sensu complexus est. *Philosophus* enim expressè, distinctè et explicitè *Philosophiam* tantùm declarat; hominem vero, in quo illa est, *confusè* solùm, sive *implicitè* significat.

III. Alius est *substantivus*, qui rem significat ad modum per se stantis; ut *lapis*, *color*, *justitia.* Alius *adjectivus*, qui rem significat ut alteri adjacentem et inhærentem, ut *humanus*, *pulcher*, *justus.*

Nota hìc diligentèr, quòd omnes termini *abstracti* sunt *substantivi*, qui proinde formam significant ad modum *per se stantis*; cum tamen formæ omnis sit proprium, existere in subjecto quod informat, et nulla earum præter animam nostram, sit *per se subsistens*; inde multiplex æquivocatio orta est. Nos enim formas accidentales á suis subjectis realiter distingui, constantèr tenemus, constanterque etiam negamus eas *per se subsistere*, aut agere, imò *miraculorum maximum* esse dicimus, quòd per se actu subsistant in Eucharistia. Hæc cum ita sint, nominibus tamen *abstractis* opus est uti, quando eas solas sig-

nificare volumus. Hinc ergo occasionem sumunt Philosophiæ nostræ irrisores, nosque calumniantur tamquam accidentia omnia *entia per se stantia* reputemus, et vires activas corporum, animæque nostræ potentias tamquam *res per se agentes* habeamus. Hoc quàm falsum sit, sequentia D. Thomæ verba, præter alia multa, declarant (in 4. sent. dist. 12. q. 1. art. 2. quæstiunc. 6.): »Agere non est nisi rei per se subsistentis: et ideo »neque materia agit, neque forma, »sed compositum; quod tamen non »agit ratione materiæ, sed ratione »formæ, quæ est actus et actio»nis principium." Recole dicta cap. 2. §. 5. Ad divisionem revertamur.

IV. Alius est terminus *connotativus*, qui rem significat ad aliud relatam et affectam, quod dicitur *correlativum*, ut *Dominus* et *servus*. Alius *absolutus*, qui rem exprimit se sola constantem, et ab omni respectu solutam, ut *Sol. Ignis.*

V. Alius est *cathegorematicus*, qui solus et per se aliquid significat, ut *homo*. Alius *syncathegorematicus*, qui se solo non significat, sed tantum junctus alteri, ut *omnis*, *aliquis*. Alius *mixtus*, qui utrumque continet, ut *nihil*, *nemo*. In hanc divissionem nonnihil addit D. Thomas (1. p. q. 31. a. 3.) Theologis necessarium.

VI. Alius est *transcendentalis* seu *vagus*, cujus significatum includitur in omnibus aliis, et per omnia *prædicamenta*, sive *categorias* vagatur; ut *ens*, *res*. Alius *cathegoricus*, qui rem certam significat sub aliqua *cathegoría* comprehensam; ut *lapis*, *magnitudo*, *color*.

VII. Dividitur terminus in *communem*, qui de multis dicitur, ut *animal*: *Particularem*, qui rem unam significat sed minime definitam, ut *aliquod animal*; et *singularem*, qui aliquid prorsus certum ac definitum significat, ut *Petrus*, *hic homo*. Rursus terminus *communis*, vel est *collectivus*, qui plura conjunctim solum significat, ut *Populus*, *Ecclesia*, vel distributivus, qui ita plura significat, ut de singulis dici possit, ut *homo*.

VIII. Dividitur in *univocum*, *æquivocum*, *et analogum*. De his D. Thomas (1. p. q. 13. a. 10.) sic loquitur. »Univocorum est omninò »eadem ratio, *ut ratio* hominis in »Platone et Socrate. Æquivocorum »est omnino ratio diversa, *ut ratio* »canis *in animali et sidere*. In ana»logicis verò oportet, quòd nomen »secundum unam significationem ac»ceptum, ponatur in definitione e»jusdem nominis secundum alias sig»nificationes accepti; ut sanum di»ctum de animali, ponitur in defi»nitione sani secundum quod dici»tur de urina et medícina."

IX. Dividitur in terminum *po-*

*sitivum*, qui rem certam significat, ut *equus*; et *negativum*, qui non rem, sed rei absentiam denotat, ut *non equus*. Termini positivi dicuntur etiam *finiti*; et negativi, *infiniti*, seu potius *indefiniti*. Et notandum, quòd quidam termini sunt negativi *voce*, et positivi *sensu*, ut *immensitas*, *innocentia*. Quidam é contrario, *voce* positivi, et *sensu* negativi, ut *cæcitas*, *mors*. Quidam *voce* simul et *sensu* negativi, ut *impietas*, *incredulitas*.

X. Demum alius est terminus *primæ notionis*, qui rem significat secundum statum, quem habet in natura, sive extra animam; ut cum *homo* dicitur *homo*. Alius *secundæ notionis* sive *intentionis*, qui rem significat secundum statum quem habet in mente nostra; ut cum *homo* dicitur *species*. Binam hanc notionem explicat D. Thomas (1. p. q. 85. a. 2.) his verbis: »Quia »intellectus supra seipsum reflecti»tur, intelligit et suum intellige»re, et speciem qua intelligit. Et »sic species intellecta secundariò est »id quod intelligitur, sed id quod in»telligitur primò est res." Patet ergo, quòd prima notio est *directa* consideratio rei: secunda vero est consideratio *reflexa* speciei, sive *ideæ*.

§. 3.

*De vitiosa terminorum perceptione.*

Tria nobis cavenda sunt vitia, cum vocabula sive terminos audimus aut legimus: *Diminutio* perceptionis, *obscuritas*, et *confusio*. Limitata sive *diminuta* perceptio duobus modis contingit; primò cum *mens soli termino attendit*, at rem eò *designatam vix animadvertit*. Hoc vitio laborant, qui scientiarum terminos auribus avidè accipiunt, memoriæ recondunt, in numerato habent, eosque, cum vanitas impellit, expeditè proferunt, ad res, illis terminis designatas, minimè aut levitèr admodum attendentes. Hi, cum seriò nihil sciant, sibi tamen ac vulgo eruditi videntur. Est etiam perceptio diminuta, *cum res significata per terminum, multis dotibus constat; et mens, ubi aliquam perceperit, rem totam se habere compertam, confídit*. Ut si quis putaret se perfectè cognoscere significatum hujus vocis *aurum*; quia eâ auditâ cogitat metallum fulvo colore tinctum.

*Obscuritas* quoque duobus modis, cum audimus aut legimus, solet nobis accidere. *Primò* ex parte termini, cujus obscura significatio est. *Secundò* ex parte rei significatæ, cujus natura nos latet; licet perspicuum sit, eam tali termino designari. Ex primo capite plures in Philosophia quæstiones obscuræ sunt, quòd eâdem voce aliud alius intelligat, ac plerique nihil fixum; hinc tot pugnæ, plerumque de solo nomine. Ex secundo capite passim perceptio deficit, tum

propter imperfectionem vocabulorum, tum propter mentis humanæ imbecillitatem. *Cunctæ* enim *res difficiles*, ait Ecclesiastés cap. 8.; *non potest eas homo explicare sermone.* Perspicuè videmus interdùm, quo res termino designetur. Quid verò illa sit, quibusve dotibus constet, raro habemus exploratum. Sic ea vox *Sol*, quid significet, omnibus notum est; at non item quæ sit natura Solis.

*Confusio* demum in perceptione contingit, cum termini significatum plura continet involuta, et sub una idea confusè contenta. Ut ea vox *corpus humanum* rem satis claram designat; sed eam exactè et distinctè nosse non possumus, nisi singulas ejus partes distinctis perceptionibus evolvamus.

Hæc ab audientibus et legentibus vitia cavenda sunt, ut rectè intelligant, quæ ab aliis accipiunt. Qui rectè voces percipit, eum rectè et loqui et scribere necesse est, nisi vellit fallere, aut tenebras offundere, nè lux veritatis ad alios perveniat. Cum hoc peccatum, licèt maximum, nimis frequens sit, nos de diversis vocabulorum abusibus opportunè suis locis agemus. Si quis autem sub uno aspectu eos interim considerare optet, legere poterit totam quæstionem xx. primi tomi Philosophiæ P. Rosselli. Nos ad remedia, quibus exposita vitia declinari possint, convertimur. Defectui diminutæ perceptionis medetur *attentio*: Obscuritati *definitio*: Confusioni *divisio.* De his singulatim agendum est.

## §. 4.
### *De attentione.*

Quamquàm attentionis præcepta tradere Philosophiæ moralis sit magis proprium, quàm Logicæ; cum tamen illa ad significationem terminorum intelligendam sit valdè necessaria, de ea paucis agemus. Est autem attentio *conatus quidam mentis, ortus ex desiderio adquirendi cognitionem, vel in ea proficiendi.* Ejus defectu maximi quique errores in speculativis et practicis passim contingunt. Inopportunum ergo non erit vias aliquas ostendere, quibus incedant Juvenes, ut his, quæ legunt et audiunt, imo quæ cogitant, loquuntur, et faciunt, attendere assuescant.

Primò igitur. *Debet studiosus efficacitèr velle, et seriò sibi præcipere intentam attentionem.* Nec opponat huic præcepto, quòd imaginationem cohibere non potest, neque mentem ad attendendum compellere. Nam utrumque falsum est; docet enim D. Thomas (1. 2. q. 17. a. 6.), »quòd quantum ad »exercitium actus.... actus rationis »semper imperari potest; sicut cum »indicitur alicui, quòd attendat et »ratione utatur." Additque, articulo sequenti, quòd »apprehensio ima-

„ginationis, cum sit particularis, re-„gulatur ab apprehensione rationis, „quæ est universalis."

Secundò : *Non nisi unum uno tempore consideret. Nam pluribus intentus, minor est ad singula sensus.* Seponantur ergo omnia alia, atque id solum agamus, quod agimus; juxta præceptum illud Eccli. (cap. 11. v. 10.) *Fili, nè in multis sint actus tui.*

Tertiò : *Justa mora considerandæ rei impendenda est.* Advertat itaque statim ab initio vim termini, ejusque amplitudinem. Inspiciat deinde rem ipsam, ejusque omnes facies atque attributa. Nec desistat, donec ea omnia, quantum fas erit, animo comprehendat. Repetat demum ejusdem rei contemplationem, donec altè animo hæreat.

Quartò : *Excitet in seipso ardentem amorem sapientiæ et veritatis.* Hujus gustu semel imbutus animum facilè avertet á voluptate sensibili, á rerum fluxarum cura, á pravorum hominum consuetudine. Atque his vinculis solutus, *cognoscet veritatem* (Joan. 8.), *et veritas liberabit eum* á passionum perturbationibus, quibus irretíti homines distrahi solent, atque á contemplatione dimoveri.

Quintò demum : *Attentionem juvant locus solitarius, tempus nocturnum, et, quòd maximè ad rem facit, calamus ad consignandas cogitationes semper paratus.* Sed *heu?* ait quidam, *taceamus, ne vulgare fiat arcanum hoc sapientum.* Ego vero invidere illud nolo studiosæ præsertim juventuti. Sciant itaque omnes, calamum, selectas cogitationes aliorum, et proprias sedulo annotantem, tot sapientes effecisse, et effecturum, quot fuerunt, et futuri sunt. Sed de attentione satis.

# CAPUT IV.

## *De Definitione.*

### §. I.

*Quid et quotuplex sit definitio.*

Sicut qui malè agit odit lucem, ita qui sapientiam omnium Sapientum reprobat Condilliacus, instrumentum hoc sciendi, quod *definitionem* vocamus, ab orbe litterario exulare vellet (P. 2. Log. cap. 6.). Audax ejus negotium redibit, cum de necessitate definitionis ad demonstrandum sermo nobis erit. Nunc quod agimus.

Definitio est propria, dilucida, et paucis comprehensa verbis explicatio. Vel, ut Tullii verbis utar, definitio est oratio, quæ, quid sit id de quo agitur, ostendit quàm brevissimè. Definitio autem definitionis ad Logicæ regulas exacta, hæc est : *Oratio constans ex genere et*

*differentia, per quam respondetur interroganti, quid res sit.* Genus et differentiam explicabimus cum de prædicabilibus agemus. Sciendum interea; *Genus* esse id, per quod res definita convenit cum aliis; et *differentiam* id per quod differt.

Ex doctrina S. Thomæ definitio pertinet ad primam mentis operationem. *Intellectus humanus*, inquit (1. p. q. 85. a. 5.), *non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem; sed primò apprehendit quidditatem ipsius rei.* Compositio ergo ex genere et differentia, quam definitio includit, non est realis, sed rationis, proindeque non obstat, quominùs definitio sit notio, sive idea una, quæ pluribus verbis distinguitur et exponitur. Ideo docet D. Thomas (7. Meth. lect. 12.), quòd *non hoc modo advenit differentia generi, ut diversa essentia ab eo existens.*

Non latet nos, quosdam definitionem inter propositiones ad secundam operationem pertinentes referre. Verum hi nomen rei definitæ cum definitione conjugunt per verbum *est*, hoc modo: *Homo est animal rationale.* Sed ex hoc ipso enuntiato, in quo definitio, ut vides, prædicati locum tenet, apparet eam esse *speciem* vel notionem unam. = Adde quod definitio et res definita non differunt nisi efferendi modo et ratione; atqui res definità simplex quid est, ad primam mentis cogitationem pertinet, igitur etiam definitio eodem pertinere debet, et simplici intelligentia percipi.

Definitionis autem divissio prima omnium latet neminem. Altera scilicet est definitio *nominis*, et altera *rei*. Definitio *nominis* est, quæ, quid per vocem aliquam intelligatur, patefacit, ne verborum ambiguitate peccetur. Definitio *rei* est, quæ rem ipsam, ejusque naturam, et essentiam in aperto ponit. Perperàm ergo Author Art. cog. (1. p. cap. 12.) scholam reprehendit, quòd definitionem rei cum definitione nominis confundat.

§. 2.

*De definitione nominis.*

Definitio nominis non est vera et propria definitio, sed descriptio quædam. Falsò quidam existimant, voces omnes quæ in disputando adhibentur, definiri debere. Sunt enim quædam primariæ, quarum significatio in communi vitæ usu notissima est, et haberi debent ut principia definitionum aliarum vocum, ne abeatur in infinitum. Hoc prænotato:

Definitio nominis explicat significationem nominis, sicut definitio rei explicat rationem per nomen significatam. Fit autem tribus modis: Primò, cum vox obscura per

alias clariores explicatur, ut cum Cicero ait: *Dejectum esse illum, qui in inferiorem locum de superiore motus est.* Secundò, cum quis declarat qua significatione vocabulum aliquod vel sibi, vel arti suæ proprium usurpare velit; ut cùm Schola declarat, quid intelligat per *formas intentionales.* Tertiò, cum vox explanatur per dictiones á quibus oritur; ut cùm Cicero ait, *Consulem esse illum qui Reipublicæ consulit.*

Circa primum modum admonet D. Thomas (1. post. lect. 4.), quòd *significatio nominis accipienda est ab eo, quod intendunt communiter loquentes, et quod nominibus utendum est, ut plures utuntur.* = Secundus modus os occludit Junioribus Philosophis, qui Scholasticos arguunt, quod vocabula habeant illis incognita, et sibi solis usitata, cum ipsi eódem jure utantur, et quod mireris, eadem vocabula, quæ in Scholasticis despiciunt, inviti coguntur adhibere, cum de re aliqua accuratè tractare volunt (Vid. Roselli tom. 1. §. 832. nota 8). Definiantur igitur nomina, et finis sit hujusmodi litium; *Sapientis* enim *est*, ait D. Thomas, *non curare de nominibus*, nimirum cum loquens clarè aperit quid per voces intelligat (In. 2. D. 3. q. 1. a. 1.). Demum, definitiones ex ætimologia ductæ, potius ad Grammaticos quam ad Logicos spectant, quia sæpius significationem nominis non declarant. Docet enim S. Doctor (1. Periherm. lect. 4.) *aliud esse id, á quo nomen imponitur ad significandum, ab eo quod nomen significat.*

Opportunum P. Goudini monitum non est hic omittendum. Operæ prætium, inquit, non exiguum erit, ut qui aliquam scientiam addiscunt, terminorum definitiones multum attendant, memoriæ mandent, atque in promptu semper habeant. Sunt enim veluti claves, sine quibus ad doctrinam non patet aditus. Sunt etiam Scholæ veluti repagula, quæ ab innumeris fallaciis vocum, quibus novi Philosophi adversus eam conantur, non possunt utique perfringi.

## §. 3.

### *De definitione rei.*

Definitio rei est quadruplex. Prima rem manifestat per ejus naturam sive essentiam; secunda per causas; tertia per proprietates; quarta per accidentia. Prima, quæ cæterarum perfectissima est, proximo genere, et propria differentia constat, ut cum homo definitur *animal rationale.* Secunda, rei causas complectitur, vel unam, vel plures, vel omnes; ut cum homo dicitur *substantia ex corpore et mente constans, á Deo in sui similitudinem facta propter beatitudinem.* Tertia fit ex proprietatibus,

quæ ut dicemus, rei definitæ naturam non constituunt, sed tamen necessariò comitantur, ut cum homo dicitur, *animal ridendi et admirandi capax*. Quarta conflatur per accidentia communia, hoc est, per ea, quæ licet singula in aliis quoque rebus reperiantur, tamen simul conjuncta non reperiuntur nisi in re definita. Hujusmodi sunt Poetarum, Oratorum, et Historicorum descriptiones.

Hæc sunt quatuor definitionum genera, quorum unumquodque potest sequenti ratione subdividi. Definitio ad primum genus spectans, dicitur *essentialis*. Hæc, si res definita spectetur in seipsa, non potest esse nisi una, quia essentia cujuslibet rei una est, et uno modo se habet. Si autem spectetur noster modus illam considerandi, duplex censetur: altera *metaphysica*, altera *physica*. Nam Metaphysicus principia essentiæ accipit ab omni materia sensibili abstracta; Physicus autem materiam sensibilem considerat. Hac de causa, Metaphysicus definit hominem *animal rationale*, quia hi termini res significant ab omni materia sensibili abstractas. Physicus vero eam inspiciens, definit hominem *substantiam mente et corpore constantem*, in qua definitione, corpus sive materia tenet locum generis, et mens sive forma locum differentiæ. Unde omnis definitio facta per causas materialem et formalem, dici potest non modò causalis, verum etiam essentialis.

His addendum, quod Physica abstrahit á materia sensibili singularia. Unde veluti axioma est in Schola: *Singularia non posse definiri*, nimirum definitione aliqua *essentiali*. Hæc sunt verba D. Thomæ (1. p. q. 29. a. 2. ad 3.$^{m}$) »Essentia propriè est id, quod significatur per »definitionem. Definitio autem com»plectitur speciei principia, non au»tem principia individualia."

In secunda definitionum clase est *causalis*, quæ potest subdividi, habita ratione causarum per quas fit. Cum ergo causæ sint quatuor: materia, forma, efficiens, et finis, (ex quibus duæ posteriores sunt rebus extrinsecæ, et duæ priores intrinsecæ) si definitio omnes has causas comprehendat, perfectissima erit; quamobrem definitio illa virtutis infusæ: *Bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur;* cêu optima laudatur á D. Thoma (1. 2. q. 55. a. 4.). »Perfecta ratio, inquit, cujuscum»que rei colligitur ex omnibus cau»sis ejus: comprehendit autem præ»dicta definitio omnes causas virtu»tis." Eamdem quoque laudem meretur hominis definitio, quam in exemplum definitionis *causalis* supra adduximus. Quando definitio causalis fit per aliquas tantum causas, si illæ sint extrinsecæ, non erit

definitio essentialis, sed descriptiva. Quæ fit per unicam omnium, imperfectior est.

Tertia definiendi forma, quæ vocatur *definitio propria*, variatur, si variæ sint rei proprietates nobis manifestæ. Hùc pertinent definitiones virtutum, ac vitiorum, artium ac disciplinarum, quæ per attributiones cuique proprias instituuntur. Eodem referuntur definitiones relatorum, quorum ea princeps proprietas est, ut per se invicem cognoscantur, et definiantur, v. g. cum Dominus dicitur, *is cui est servus*: et servus, *is cui est Dominus*. Inter relatorum definitiones illas quoque ponimus, cum abstracta per concreta, et concreta per abstracta definiuntur. Itaque injuria reprehenditur Aristotelica definitio qualitatis: *qualitatem, dico, per quam aliqui dicuntur quales*. Scilicet hac in re concretum notius est abstracto. Ideoque ad illud explicandum valet.

Ad quartam definiendi rationem pertinet definitio illa, quæ nuncupatur *accidentalis*. Hæc latissimè patet, cum sit descriptio potius, delineatio et adumbratio quædam, quam vera et germana definitio. Itaque septem modis potest fieri, *Primò*: per congeriem multorum accidentium, quorum quidem magis communia primo loco ponuntur, ac veluti genus constituunt: propriora et magis peculiaria differentiæ locum tenent. Modus hic definitionis in singularia præsertim cadit. Sic Virgilius definit Polifemum: *Monstrum horrendum, informe ingens, cui lumen ademptum. Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat*. Secundò; per *similitudinem, et dissimilitudinem*; ut cum arma et litteræ, Miles et Jurisconsultus inter se comparantur. *Tertiò*: per exemplum, ut cum ponimus aliquid exempli loco, ut si corpus definiatur dicendo, *est ut lapis*. Vulgus sic res explicat, sed hoc non est ex dignitate Philosophi. *Quartò*: per metaphoram et analogiam, qui modus est frequentissimus præsertim apud Poetas. Ita somnus ab Ovidio definitur *mortis imago*. *Quintò*: per antonomasiam, ut cum D. Paulus dicitur *Apostolus, sive Doctor gentium*. *Sextò*: per contrarium, quoties contrarium est notius; ut si dicatur, *virtus est vitium fugere*. *Septimò* demum, per negationem sive remotionem; quâ ratione definiri solent perfectissima et imperfectissima. Nam, cum extremi isti gradus in notiones nostras non cadant; magis dici potest quid non sint, quam quid sint. Hanc in rem D. Thomas (1. p. q. 33. a. 4. ad 1.m) *Prima et simplicia per negationem notificantur, sicut dicimus, punctum esse cujus pars non est*.

### §. 4.

### *In quo traduntur rectæ definitionis regulæ.*

Quinque videntur observanda in
plena et perfecta definitione. *Pri-*
*mum*, ne sit superflua aut diminu-
ta: superflua enim mentem onerat
et confundit; diminuta verò non
satis instruit. *Secundum*, ut reci-
procetur sive convertatur cum re
definita, hoc est, ut de definitione
dici possit quidquid dicitur de re
definita, et é contrario. Nam defi-
nitio est ipsa res definita menti ex-
plicata. Ideo aiebat Zeno, quod
*manus compressa rem definitam*
significat; et *explicata definitionem*.
*Tertium*, quod sit pressa et bre-
vis, modò non deficiant necessaria.
Hoc fit proximo genere adhibito,
et propria differentia. Porro ad ge-
nus quod attinet; idcirco remotum
est ineptum, quia superiora non *in*
*se*, sed tantum *sub se* continent
inferiora. Proximum autem est ido-
neum, quia in eo superiora com-
prehenduntur. *Quartum*, ut defini-
tum non ingrediatur definitionem;
alioquin idem explicaretur per se-
ipsum. *Quintum* denique, ut fiat
per clariora et notiora quàm sit res
definita; ignotum enim per igno-
tum non manifestatur. Hac in par-
te peccant, qui definiunt per verba
inusitata, obsoleta, nova, ambigua,
*translata*; nisi fortè hæc, scilicet
*translata*, essent notiora et nitidio-
ra propriis. Cæterum, definitio non
debet esse clarior quam res defi-
nita, respectu cujuscumque hominis.
Nam vulgus magis intelligit quid
sit *homo*, quam quid sit *animal*
*rationale*. Debet igitur esse clarior
respectu eorum, qui artium for-
mulas tenent, et claræ cognitionis
sunt capaces. Hactenùs de defini-
tione, quæ ut videtis, explicat rem
per *Synthesim*, id est componendo;
nam sumptis partibus, simulque com-
positis ostendit totum, suis finibus
circumscriptum: Sic definitio ad de-
pellendam vocum et rerum obscu-
ritatem instituta est. Restat *confu-*
*sio*; quam, ut diximus, *Divisio*
tollit. Hæc rem explicat per *ana-*
*lysim*, id est *resolvendo*. Nam dis-
soluto toto, partes ostendit alias
ab aliis sejunctas. Sit ergo.



# CAPUT V.

## *De Divisione.*

### §. I.

### *Quid et quotuplex sit divisio.*

Nihil Divisionis necessitatem ma-
gis commendat, quàm Angelici
Doctoris exemplum, qui ubique
suorum operum diligentissimè divi-
dit. Duplex autem est divisio, sicut
et definitio; alia *nominis*, alia *rei*.

Divisio *nominis* est, vocis ambiguæ in partes, quas suæ significationis ambitu complectitur, resolutio et explanatio; ut cum canis duo significare dicitur, *sidus*, et *animal;* animal item duo, *marem*, et *fœminam.*

Divisio *rei* est, totius in suas partes distributio: unde tot sunt divisionis divisiones, quot totorum. Videndum igitur quot sint tota.

§. 2.

*Quotuplex sit totum.*

Divisio *totius* videtur nobis sic gradatim instituenda: Prima occurrit divisio ejus in totum *potentiale*, et totum *actuale: Potentiale* est, cui partes subjiciuntur, tamquam potentiori sive superiori. *Actuale*, quod ex partibus suis componitur et constituitur. Exempla mox adducentur.

*Secundò: Totum potentiale* dividitur in *universale* et *singulare.* Totum potentiale *universale* est illud, sub quo sunt partes, tamquam specie sub genere. Sic *animal* dividitur in *hominem*, et *belluam.* Totum hoc universale proprio nomine dicitur *omne*, ejusque partes in Schola vocantur *subjectivæ.* Totum potentiale *singulare* est, cui adjunguntur partes, ut ipsi ad agendum deserviant, quæ ideo dicuntur partes *Potentiales*; ut cum *animam rationalem* distinguimus in *intellectum*, et *voluntatem*, aut in vires superiores, et inferiores.

*Tertiò: Totum actuale* dividitur in *essentiale*, et *integrale.* Totum *essentiale* est, quod dividitur in suas partes essentiales, sicut cum *definitum* dividimus in partes suæ definitionis, sive *physicas* ut sunt materia et forma, ex. gr. cum *hominem* dividimus *in mentem et corpus*, quod totum dicitur physicum: sive in eas, quæ habent rationem *generis et differentiæ*, ut si dicamus, in homine aliud esse *animal* et aliud *rationale.* Cum partes hujusmodi designantur per terminos *primæ notionis*, quales sunt *animal* et *rationale*, totum dicitur *metaphysicum*: cum verò exprimuntur per terminos *secundæ notionis*, quales sunt *genus* et *differentia*, totum dicitur *logicum. Integrale* autem totum est, quod dividitur in partes *quantitativas*, sive *per se* illud dividant, quod soli convenit quantitati, sive illud partiantur ratione quantitatis quæ in eo est, quod convenit cuicumque substantiæ corporeæ: exempla oculis patent. Hæc divisio proprio nomine *partitio* nominatur.

*Quarto* demum; totum integrale vel constat partibus *ejusdem rationis*, ut aer et aqua, et dicitur *homogeneum;* vel ex partibus *diversæ rationis* componitur, ut animal et arbor, et dicitur totum *heterogeneum.*

§. 3.

*In quo aliqua explanantur ad complementum præcedentis divisionis.*

Petes 1.° *An totum et partes semper coexistant?* R. *Toto potentiali* sublato, ejus quoque partes statim tolluntur, et sublato *agente* nulla ejus *vis activa* remanet; Ex. gr. Sublato animali, nec homo, nec bellua est: et extincto igne, nulla superest vis comburendi. At sublato toto *actuali*, partes aliquæ remanere possunt: siquidem corruptâ substantia corporea remanet *materia*; et eversa domo, remanent *saxa et ligna*, ex quibus componebatur.

Hæc intelligenda sunt de partibus materialitèr, non formalitèr sumptis, (opus est his adverbiis uti); Nam partes, *quatenus partes*, sublato toto, desinunt esse partes. Itaque si non est *totum*, neque *partes totius* esse possunt; quia relata sunt simul naturâ et cognitione. Potest tamen aliquid remanere, quod partis loco erat.

Petes 2.° *An totum possit prædicari de partibus?* R. Docet D. Thomas (1. p. q. 77. a. 1. ad 1.m) quod totum *universale* propriè de singulis partibus prædicatur, quia est in unaquâque secundum totam suam essentiam et virtutem, ut *animal in homine et equo*. Totum vero *integrale* nullo modo de singulis partibus prædicatur, sed aliquo modo, licet impropriè, de omnibus simul; ut si dicamus, quod *paries, tectum, et fundamentum sunt domus*. Denique, totum *potentiale*, (illud scilicet quod *singulare* vocavimus) quodammodo potest prædicari de qualibet parte, sed non ita propriè sicut totum universale; quia scilicet, adest singulis partibus secundum *totam suam essentiam*, sed non secundum *totam virtutem*; quo sensu dixerat S. Augustinus, quod *memoria, intellectus, et voluntas sunt una anima rationalis*.

Petes 3.° Quid intersit inter divisionem *per se*, et divisionem *per accidens?* R. D. Thomas (1. 2. q. 18. a. 7.) hos dividendi modos sic explicat: »*Oportet quod differentiæ* »*dividentes aliquod genus, et cons*»*tituentes speciem illius generis,* »*per se dividant illud; si autem* »*per accidens, non rectè procedit* »*divisio.* Puta si quis dicat; ani»malium aliud rationale, aliud ir»rationale; et animalium irrationa»lium, aliud alatum, aliud non ala»tum, quæ subdivisio perperàm »procedit, alatum enim et non ala»tum *non sunt per se determinati*»*va ejus quod est irrationale*: O»portet enim sic dividere; *Anima*»*lium aliud habens pedes, aliud* »*non habens pedes; et habentium* »*pedes, aliud habet duos, aliud* »*quatuor, aliud multos.* Hæc enim »tria membra per se determinant »priorem illam differentiam, scili-

»cet *aliud habens pedes.*" Hactenus D. Thomas.

Non igitur est probandus modus iste dividendi *per accidens*; verùm dignoscendus est, ne pravæ divisiones cum rectis confundantur. Quamvis autem divisiones hujusmodi *per accidens* procedere in infinitum possint, frequentiores tamen sunt tres. Prima est divisio *subjecti in accidentia communia*, ut animalium aliud album, aliud nigrum. Secunda é converso *accidentis communis in subjecta*, ut albórum aliud nix, aliud lac. Tertia *unius accidentis in alia, per se cum eo non connexa*, ut albórum aliud dulce, aliud amarum.

§. 4.

*In quo traduntur regulæ dividendi.*

Quinque numeramus rectæ divisionis regulas. Prima est ut *divisum sit majus quâlibet parte dividente*; unde male divideret, qui sic diceret; animalium aliud rationale, aliud sensitivum, quia *sensitivum* æquatur *animali*.

Secunda, ut *totum divisum adæquetur membris dividentibus simul sumptis, et membra dividentia toti*; unde mala est hæc divisio, terra dividitur in *Europam, Asiam, et Africam*, omittitur enim *America*.

Tertia ut *pars una aliam non includat*. Itaque peccaret qui ita divideret: tres sunt res quæ homines solicitant; *metus*, *cupiditas*, et *ægritudo*; nam *ægritudo animi in metu et cupiditate* includitur.

Quarta: ut *divisio gradatim procedat*. Itaque non rectè dividetur vivens in *plantam*, *hominem*, *et belluam*; sed divisio instituenda est per membra proxima, hoc fermè pacto. Vivens, aliud *sensu caret* ut *planta*, aliud *sensum habet* ut *animal*. Rursus, *animal* aliud est *rationis particeps*, ut *homo*; aliud *expers*, ut *bellua*.

Quinta: ne divisio sit nimia. *Simile enim confuso est*, ait Seneca, *quidquid usque in pulverem sectum est*. Id non in *partitione* modò, sed et in *divisione* servandum est. Non tamen oportet, quod duo tantum sint membra dividentia, nisi fortè divisio fiat per contradictoria.

Satis hæc sunt, ut cognoscantur remedia á Logico adhibenda contra *diminutionem*, *obscuritatem*, et *confusionem*, quibus vitiis perceptio significationis terminorum solet infici. Superest ut pauca dicamus de abusibus, qui in applicatione præpostera eorum significati contingunt. Ad abusos hujusmodi cognoscendos et tollendos utilia aliqua judicamus, quæ Schola vetus docuit de terminorum *Suppositione*, et *Appellatione*. Cum autem in hac litterarum, scientiarumque perturbatione, novæ excogitatæ sint viæ ad fallacias vocum simulandas; novis nunc quoque

regulis; imò novis, ut ita dicam, vocabulariis indigemus, nè nova Philosophia, ea præsertim, quæ Religioni pariter et Reipublicæ infesta est, nos incautos inveniat, decipiat, ac subvertat. De tribus itaque in sequenti capite agendum est; scilicet, de terminorum *Suppositione*, *Appellatione*, et *novo abusu*.



# CAPUT VI.

## *De proprietatibus terminorum.*

### §. I.

### *De Suppositione.*

*Suppositio* denominatur ab eo, quod Grammatici *suppositum* orationis vocant. Docet autem D. Thomas (1. p. q. 33. a. 5. ad 5.m) quod *nomina substantiva ferunt suum suppositum*; *adjectiva vero non*, *sed rem significatam ponunt circa substantivum. Unde sophistæ* (Dialecticos intelligit, non enim hoc nomen erat tunc invísum, sicut nunc) *dicunt quod nomina substantiva supponunt*, *adjectiva vero non supponunt*, *sed copulant*. Hinc apparet, discrimen esse inter *significationem*, et *suppositionem*. Nam nomen adjectivum significat, et non supponit; et substantivum non supponit nisi in propositione, extra quam utique significat. Ex his colligitur quid sit suppositio. Nobis hæc ejus definitio placet: *Positio termini loco illius de quo sermocinamur.* Cum enim non liceat inter disputandum res ipsas afferre, utimur terminis loco rerum, quæ si non sint, sermo dicitur esse de *subjecto non supponente*, hoc est, de termino cui nullum respondet subjectum reale, pro quo supponat; ut si quis diceret, *Centauri pugnant*.

Dividitur autem *Suppositio*, primò in materialem et formalem. *Materialis* est, positio termini pro seipso. Sic dicitur in Evangelio; *Joannes est nomen ejus*. *Formalis* est, positio termini pro eo, quod significat: Sic in Act. Apost. dicitur: *Joannes baptizavit aqua.*

Secundò: in propriam et metaphoricam. *Propria* est; cum vox accipitur pro significatione propria et germanâ, ut cum dicitur *Lupus est Quadrupes*. *Metaphorica* sivè impropria, cum vox á propria significatione ad figuratam traducitur, ut si quis dicat; *Homo homini lupus*.

Tertiò: in simplicem et realem. *Simplex* est, cum terminus concretus accipitur pro forma, et non pro subjecto, ut *homo est species*, *album est color*. *Realis*, cum terminus concretus sumitur pro subjecto simul et forma, ut *homo est justus*, *album est coloratum*. Hæc

distinctio aliter etiam explicatur, sed in idem redit. Diximus terminum concretum esse *complexum sensu*, hoc est, duo significare; formam quidem *primò, immediatè, et explicitè;* subjectum verò *secundò, mediatè, et implicitè.* Potest igitur dici, quod suppositio *simplex* est, positio termini loco sui *primi significati;* et realis loco *primi*, simul et *secundi.* Notandumque interea, quòd suppositio *realis*, cum de naturâ rationali agitur, dicitur etiam *personalis.* Videri potest D. Thomas 1. p. q. 39. a. 4.

Quarto: in collectivam, distributivam, et disjunctivam. *Collectiva* est, cum terminus communis usurpatur pro omnibus suis significatis *simul conjunctis*, ut omnes planetæ sunt septem; omnes Apostoli sunt duodecim. Distributiva est; cum terminus communis accipitur pro *omnibus et singulis* significatis, ut cum dicitur, *omnis homo est animal*: Vox *homo* supponit pro omnibus et singulis hominibus. *Disjunctiva* est, cum terminus communis sumitur pro aliquibus tantum significatis, ut si quis dicat: *aliquis homo est albus.*

Quintò: Suppositio *distributiva* subdividitur in *completam*, quæ est positio termini *pro singulis generum*, ut in illa: *Omne animal est sensitivum*, vox *animal* supponit pro omnibus suis speciebus et individuis; et *incompletam*, quæ est positio termini tantum pro generibus singulorum, ut cum dicitur *omne animal fuisse in Arca Noé*, intelligendum est tantum de omnibus animalium speciebus.

Sextò: Suppositio *disjunctiva* etiam subdividitur in *confusam*, quæ est acceptio termini pro quovis suorum significatorum, ut *aliqua navis est necessaria ad transfretandum;* et *determinatam*, quæ est acceptio termini communis pro certo et determinato significato, ut cum dicitur: *Quidam homines detexerunt novum orbem*, satis indicantur Columbus, et Americus Vespusius. Videri potest D. Thomas (1. p. q. 36. a. 4. ad 4.)

Petes 1.º *quænam sit suppositio subjecti in enuntiatione?* R. In qualibet propositione subjectum supponit juxta exigentiam prædicati. Unde, si prædicatum sit *terminus numeralis*, suppositio subjecti erit *collectiva*, ut in istâ: *Planetæ sunt septem.* Si prædicatum conveniat subjecto, tamquam ejus essentia, vel pars essentiæ, vel proprietas necessaria, suppositio subjecti *distributiva* erit; ut in hac, *homo est animal*, *homo est rationalis*, *homo est ridendi capax.* Si demum, prædicatum subjecto conveniat contingentèr, hoc est tamquam accidens commune, suppositio erit *disjunctiva*, ut *homo currit*, *homo est doctus.*

Petes 2.º Quomodo dignoscen-

da sit suppositio subjecti nullo termino syncathegorematico affecti? R. Regulæ speculativæ ad hoc vix deserviunt. Possunt enim veri sophistæ plurimis de causis, subjectum in suis propositionibus solitarium relinquere. Satiùs ergo est, ut tunc veritatis studiosus secum ipse reputet, num subjecto conveniat vox syncathegorematica *aliquis*, àn *omnis*, àn *omnes simul*. Si convenit *aliquis*, suppositio disjunctiva est; si *omnis*, est distributiva; si *omnes simul* est collectiva.

Quid vero, inquies, cum subjectum conjungitur cum voce *aliquis*, et dubito, num suppositio illa *disjunctiva*, sit *confusa* vel *determinata*? Dico, quod tunc opus est, propositionem scholastico more distinguere, ne inscius á *confusa* ad *determinatam* suppositionem transeas, sicque decipiaris.

Petes 3. Quænam sit suppositio prædicati? R. In propositione affirmativa praedicatum supponit semper disjunctivè: ut enim hæc sit vera, *homo est animal*, non est necessè ut sit *omne animal*. At in propositione negativa, prædicatum semper supponit *distributivè*. Hæc enim *homo non est lapis*, falsa esset, si *homo esset aliqua species lapidis*. Hæc regula magni usus est in sillogismis; ideoque diligentius notanda. Imò omnia quæ de suppositione diximus, præ oculis semper sunt habenda. Nam si inter argumentandum varietur suppositio, ut frequentissimè contingit, argumentatio non valet, ut infrà dicemus.

§. 2.

*De Appellatione.*

*Appellare* apud Grammaticos idem est ac *nominare*. Non ita apud Logicos; sed *Appellatio* ab eis dicitur: *Applicatio significationis unius termini supra significationem alterius.*

Omnis de Appellatione doctrina propter terminos concretos inventa est. Hi quippe, ut bis jam diximus, duo significant, *formam* scilicet, et *subjectum*. Quando ergo subjectum propositionis est terminus concretus, scire Logicum oportet, ¿cuinam applicetur significatio prædicati? formæ ne, an subjecto?

Ideo duplex distinguitur *Appellatio*: materialis, et formalis. *Formalis* est, quando significatio prædicati cadit supra *formam* subjecti, sive supra id, quod est *formale* in eo. Sic contingit in ista: *Medicus sanat*: hoc enim facit ratione Medicinæ; sive ut consuevimus dicere *formaliter* ut Medicus, vel *proùt*, *quatenus*, *in quantùm* Medicus.

Appellatio *materialis* est, quando significatio prædicati cadit, non supra *formam*, sed supra *subjectum*; seù ut dicitur, supra *mate-*

*riale subjecti*, sic in ista: *Medicus cantat;* non enim cantat ut *Medicus*, sed verè cantat homo ille *qui est Medicus*.

Solent hùc afferri regulæ quædam appellationum, quòd in Theologia magnus sit earum usus. Verum Philosopho satis esse videntur quæ diximus. Consuli potest D. Thomas pluribus in locis, præsertim in adductis ex Summa a P. Roselli cap. x. Inst. Log.

§. 3.

*De novo terminorum abusu.*

Ampliationi, Restrictioni, et Alienationi terminorum certæ præscribuntur regulæ et leges, quas libenter omittimus, quia majora nos vocant; novus nempe terminorum et sermonis abusus, scitu necessarius.

*Novum* autem *abusum* vocamus vetustam quamdam fallendi artem, quæ hodiernis hæreticis, et nullius religionis hominibus nimiùm familiaris est. Hi enim ut se mutuò intelligant, et suos proselytos doceant, minimè vero capiantur á suis Censoribus, duas sibi vias vaferrimè aperuerunt, easque perfricta fronte ingrediuntur. Altera fuit, nova invenire vocabula, atque usitatis et communibus, non modò novam, sed et contrariam veteri usitatæ, atque ab omnibus receptæ, significationem accommodare. Altera, quoties se occasio offert, idem simul affirmare et negare, nihili facientes pugnare secum, modò Ecclesiam Catholicam Romanam oppugnent. Sic *mali isti homines et seductores* (2.ª ad Tim. 3.) *profecerunt in pejus errantes, et in errorem mittentes.*

Non ista nos confingimus. Hanc tenuisse viam Pistorienses, qui Quesnelli et aliorum Jansenistarum errores in suam Synodum agglomerarunt, declarat Pius VI. in sua Constitutione *Auctorem fidei*, ubi Christi fideles omnes certiores reddit: 1. Imitatos illos fuisse versutam novatorum fallendi artem, qui catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persæpè student, subdolis verborum involucris obtegere. 2. Hujusmodi insidias, nimium sæpe fuisse omni ætate renovatas. 3. Procacem istam affirmandi et negandi licentiam, potius ad prodendum errorem, quam ad ipsum excusandum valere. 4. Demum, Praedecessorem suum S. Cœlestinum, idem quod ipse in Synodo Pistoriensi reprehendebat, in Nestorii quoque litteris deprehendisse. Sic enim ille scripserat ad Nestorium: *Quodam multiloquio labebaris, dum vera involvis obscuris, rursus utraque confundens, vel confiteris negata, vel niteris negare confessa.*

Exitiosissimum hoc insinuandi erroris artificium, num hæretici ab

incredulis didicerint, vel potius isti ab illis, non est facile dictu. Extat; *Vocabularium Philosophico Democraticum* á P. Laurentio Thiulio Soc. Jesu italicè scriptum, atque Hispali, zelo et diligentia viri incomparabilis Fr. Francisci Alvarado, vulgò, *El Filósofo Rancio*, in hispanum sermonem versum; ubi innumeris constat exemplis, Philosophos Democraticos, præter novas voces á se inventas, ut est illa *Pactum Sociale*, significationem quarundam veterum ita paulatim tranformasse; ut rem prorsus contrariam jam apud ipsos significent. Ex. gr. *Quos servos faciunt*, dicuntur ab ipsis *libertate frui*. Similiter clamant se *Religionem protegere*, *et destruere superstitionem*, cum *Atheismum protegunt*, *et veram Religionem insectantur*.

Contigit his temporibus, ait Author ille, miranda *linguarum confusio* dissimilis omninò et differens ab ea, quam experti fuére qui Babelicam Turrim ædificabant. Ibi enim, Deo in humanam superbiam animadvertente, *voces* ideis respondentes, variatæ sunt ad utilitatem *universæ terræ*: hic vero, agente diabolo, *ideæ* vocibus respondentes commutatæ sunt, ad perniciem, si fieri posset, totius generis humani. Hæc in duplici volumine prædicti *Vocabularii*; optamus attentius legi á veritatis amatoribus, ut sibi semper caveant á quocumque suspectæ religionis Scriptore. Nos Auditoribus Logicæ ea inculcanda censuimus, ut hinc saltem, intelligant terminorum et suppositionis divisiones, cæterasque detegendarum fallaciarum regulas memoriæ firmitèr commendandas et retinendas esse; ut omni tempore, affectatam á pravis hominibus obscuritatem et confusionem sermonis possint depellere. Ad propositiones progrediamur.



# CAPUT VII.

## *De Propositionibus.*

Explicatis terminis, qui sunt *apprehensa quædam*, ut loquitur D. Thomas; nunc videndum est, quomodo ex illis propositiones fiant. Hoc pertinet ad secundam mentis operationem; *Judicium* scilicet, á quo differt *propositio mentalis*, sicut ab operatione opus. *Enuntiationis* nomen præferunt quidam nomini *propositionis*. Nobis utrumque placet; sed frequentius, ut Scholæ morem geramus, propositionem vocabimus.

### §. 1.

### *De propositionis natura.*

Propositionem suam format in-

tellectus ( 1. p. q. 85. a. 5. ), cum *unum apprehensum alii componit et dividit.* Hoc est, cum intelligit, ea quæ rem circumstare videntur, ipsi convenire vel non convenire. Inde procedit *propositio vocalis*, ut his verbis D. Thomæ perspicuè declaratur: *Sed contra: Voces significant conceptiones intellectus: sed in vocibus est compositio et divisio, ut patet in propositionibus affirmativis et negativis: ergo intellectus componit et dividit.*

Propositio igitur est, *oratio quæ aliquid de alio enuntiat, affirmando aut negando: ut Deus est justus, Deus non est mutabilis.* Constat tribus partibus, *subjecto, prædicato*, et *copula*, de quibus supra diximus. Naturæ ordo postulat, ut prius subjectum, deinde prædicatum in enuntiatione ponatur. Quamvis non semper servetur hic ordo, ut si dicas *omnia vincit amor*, semper tamen id de quo alterum enuntiatur, *subjectum* est; id quod enuntiatur est *prædicatum.* Rursus, *subjectum*, ut ipsa vox indicat, debet *subjici*, vel esse inferius prædicato; aut saltèm tale, ut possit cum eo converti, id est prædicari, et subjici.

Verbum *substantivum*, quod est unicum scilicet, *Sum, es, est*, in omni propositione prædicatum cum subjecto, vel expressè vel æquivalenter copulat; nam verbum *adjectivum* æquivalet *substantivo* cum participio, ut hæc *Petrus currit*, idem valet, atque *Petrus est currens*; attamen ita loqui non solemus. Propositio interdùm solo verbo constat, ut *amo*; interdùm, nomine et verbo, ut *Adam peccavit*; interdùm, subjectum, prædicatum et copula distinctis vocibus exprimuntur, ut *Deus est omnipotens.* Hinc propositiones, quas Logici vocant de *primo*, de *secundo*, de *tertio adjacente.*

Non omnis oratio, quæ verbo et nomine constat, est propositio; sed ea dumtaxat quæ affirmat aut negat. Itaque orationes, quæ per verba infinita efferuntur, quæque aut petunt, aut promittunt, aut imperant, *propositiones*, sive *enuntiationes* dici nequeunt. Cum enim nihil affirment, aut negent, nec veri nec falsi judicium exprimunt.

§. 2.

*De propositione simplici, complexa, et composita.*

*Simplex* propositio dicitur, quæ simplicibus terminis constat, ut hæc *Deus est justus. Complexa*, cujus termini complexi sunt, id est, aliam quamdam abditam propositionem complectuntur, quæ dicitur *incidens*, ut illa Evangelica: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse intrabit in Regnum Cælorum* (Matth. 7. v. 21.).

Propositio *incidens*, et illa in quam incidit, idem habeant sub-

jectum necesse est: pronomen enim relativum, *Qui, quæ, quod,* et terminus ad quem refertur, pro eodem supponunt. Interdùm tamen propositio complexa est, quamvis omittatur pronomen; ut cum dicimus, *Deus invisibilis, visibilium et invisibilium est Creator.* Idem enim valet, *Deus invisibilis*, ac *Deus qui est invisibilis.* In qualíbet enuntiatione *complexa* plures possunt esse *incidentes*; ut si dicam: *Tum illi qui sapiunt, tum qui decipiunt, tum illi qui sunt nobiles, tum qui sunt ignobiles, sine discrimine mori debent.*

Regulas speculativas, quæ ad discernendam veritatem á falsitate in propositionibus *complexis* tradi solent, omittimus; quia hanc practicam præferendam censemus. Nihil securius, nè in *complexis* decipiamur, quam incidentes omnes á se invicem, et á præcipua propositione separare, examinare unamquamque, et opportunis distinctionibus, scholastico more, ambiguitates et æquivocationes depellere.

Propositio *composita* illa est, quæ *multiplici subjecto aut prædicato constat.* Hujus autem duæ sunt species. Alia enim est composita *sensu et verbis*, alia *sensu solo* composita. In illa, compositio est manifesta et obvia, in hac verò, abdita et obscurior; proindèque á Logicis vocatur *exponibilis.* De utrâque singullatim dicendum.

§. 3.

*De propositione verbis et sensu composita, ejusque speciebus.*

Propositio, cujus compositio manifesta est et obvia, pluribus simplicibus aliqua particula unitis, constat. Sex ejus species numerantur: *Copulativa, Disjunctiva, Conditionalis, Causalis, Discretiva, et Relativa.* Sinant ita nos cum Logicis loqui aures latiniores.

Propositio *copulativa* est, quæ simplices jungit per particulam *et*, ut illa Ovidii: *Et genus, et proavos, et quæ non fecimus ipsi, non ea nostra puto.* Ut copulativa sit vera, necesse est, *omnes simplices esse veras.* Nam earum conjunctio affirmatur aut negatur. Particulæ *nec*, et *neque*, habent etiam vim conjungendi; idem enim valent, quod *et non.*

*Disjunctiva* est, cujus partes disjunguntur per particulas *vel*, *aut*, hisque similes: ut illa Terentii; *Aut amat, aut odit mulier.* In hâc partes debent esse repugnantes, ideoque *una tantum vera est.* Quod si partes inter se non omninò pugnent, sed medium aliquod inter ipsas sit, disjunctiva erit falsa; ut hæc, *color vel est albus vel niger; est* falsa quia dantur colores medii.

*Conditionalis* sive *hypotetica* est, cujus membra copulantur per particulam *si*, vel aliam similem, ut illa Christi; *Si quis diligit me,*

*sermonem meum servabit.* Hujus veritas non pendet ex veritate partium, sed ex recta conjunctione et consequutione. Vide D. Thoma (1. Periherm. lect. 1.) *Hypotetica enuntiatio*, inquit, *non continet absolutam veritatem, sed significat aliquid esse verum ex suppositione.* Porrò non per solam particulam *si*, fit propositio conditionalis, sed etiam per *cum*, *dum*, *siquidem*, et alias quae idem valent.

*Causalis* est, in qua duæ simplices colligantur per particulas significantes causam: ut *vitia nostra quia amamus, defendimus.* Falsa est, si *antecedens non sit causa consequentis.* Id enim est, quod affirmatur aut negatur. Particulæ significantes causam sunt; *quia*, *eo*, *quod*, *quoniam*, *ideo*, et aliæ hujusmodi.

*Discretiva* est, in qua simplices connectuntur particulis adversantibus, quales sunt, *sed*, *verum*, *tamen*, *nihilominus* &c. ut illa: *Mendaci, quamvis juret, credendum tamen non est.* Ut sit vera, ejus partes debent esse veræ, et quamdam inter se veluti oppositionem habere.

*Relativa* est, cujus una pars refertur ad aliam, et ab ea vim sumit. Hæc relatio exprimitur per particulas *prius*, *post*, *sic*, *sicut* &c. ut illa D. Thomæ: *Prius sal quàm lux dicti* (Apostoli), *quia prius vita, quam doctrina;* Et illud Eccli. (26. v. 21.) *Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ.* In hac propositione affirmatur relatio inter duo ejus membra, *quæ si deficiat*, propositio falsa erit. Quamvis autem dicatur *relativa*, non est confundenda cum alia, quæ *comparativa* vocatur, et inter exponibiles recensetur.

§. 4.

*De speciebus propositionis solo sensu compositæ, sive exponibilis.*

Cum propositio, solo sensu composita expositione, sive interpretatione indigeat, jure vocatur *exponibilis*, cumque explicetur et innotescat propositione alia, quæ verbis et sensu composita sit; hæc rectè etiam vocatur *exponens.* Quatuor sunt ejus species: *Exclusiva*, *Exceptiva*, *Comparativa*, et *Reduplicativa.*

*Exclusiva* est, cui miscetur dictio aliqua exclusiva, v. g. *solùm*, *tantùm*, *dumtaxàt.* Hæ particulæ vel afficiunt prædicatum, et tunc cætera prædicata excludunt á subjecto; ut *divitiæ ad usum dumtaxàt sunt parandæ*; vel se tenent ex parte subjecti, et tunc á prædicato cætera subjecta excludunt; ut *solus Deus est æternus*; hoc est: *Deus est æternus, et nihil aliud est æternum.* Hæc copulati-

va dicitur exponens exclusivæ. Videri potest D. Thomas ( 1. p. q. 31. a. 3. ).

*Exceptiva* est, quæ afficitur particulis exceptivis, *præter*, *nisi* &c. ut illa Terentii : *Imperitus, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat*, sic interpretanda est : *Imperitus id quod facit, rectum putat; et ab aliis facta, non putat recta.*

Comparativa est, quæ afficitur comparativo (sive superlativo, quod vim habeat comparativi), ut *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis, in generatione sua, sunt* (Luc. 16. v. 8.). Ejus exponens tribus simplicibus constare debet, in quarum duabus positivum affirmetur de re excedente, et de re excessa; et in tertia affirmetur excessus, hoc pacto. *Filii sæculi prudentes, Filii lucis prudentes; Illi præ istis prudentes.*

*Reduplicativa* propositio est, quæ afficitur particulis reduplicantibus subjectum vel prædicatum, ut *Christus passus est, ut homo.* Exponitur autem per causalem sic, *Christus, quia est homo, passus est.* Particulæ, *quatenùs*, *in quantùm*, *ùt*, *secundum quòd*, et similes, quibus in Schola utimur, sumi possunt, *reduplicativè*, et *specificativè.* Sumuntur *reduplicativè*, cùm applicantur termino significanti causam propriam et proximam prædicati : accipiuntur autem specificativè, quando terminus, qui est subjectum, quamvis non denotet causam propriam et proximam prædicati, significat tamen aliquid, in quo hæc causa includitur. Unde hæc propositio : *Homo quatenùs homo sentit*, est falsa *reduplicativè*, quia vox homo non significat rationem propriam et proximam sentiendi; est autem vera *specificativè*, quia ratio proxima sentiendi, scilicèt *sensitivum*, includitur in significato hujus vocis *homo*. Hâc distinctionis formula ad declinandos captionis laqueos frequenter utimur; ideoque, tametsi parum latina sit, non est á Logico aspernenda. Recole quæ diximus cap. VI. §. 2.

§. 5.

*De reliquis propositionum speciebus.*

S. Thomas ( 1. Perih. lect. 13.) sic enuntiationem dividit : »Potest »accipi divisio enuntiationum se»cundum materiam, quæ quidem »divisio attenditur secundum habi»tudinem prædicati ad subjectum. »Nam si prædicatum *per se insit* »subjecto, dicitur esse enuntiatio »in materia *necessaria* vel *natura»li*, ut cum dicitur *homo est ani»mal.* Si verò prædicatum *per se* »*repugnet* subjecto, quasi excludens »rationem ipsius, dicetur enuncia»tio esse in materia *impossibili*, si»vè *remota*, ut cum dicitur *homo* »*est asinus*. Si autem medio mo-

»do se habeat prædicatum ad sub-»jectum, ut scilicet, nec *per se* »*repugnet* subjecto, nec *per se in-*»*sit*, dicetur enuntiatio esse in ma-»teria *possibili*, sivè *contingenti*." Hactenus D. Thomas. Porrò enunciatio est in materia possibili, quando prædicatum non convenit subjecto, et potest ei convenire; ut cum de homine sedente dicitur, *quod potest ambulare*; est vero in materia *contingenti*, quando prædicatum convenit subjecto, et potest ei non convenire; ut si dicatur *Petrus ambulat*.

Propositio igitur ratione materiæ quam significat, sive in qua versatur, dividitur, in *necessariam*, *contingentem*, *possibilem*, et *impossibilem*. Si modi hujusmodi, quibus prædicatum subjecto convenit, exprimantur, dicuntur in Scholis *propositiones modales*; Si non exprimantur, vocantur *absolutæ*. In propositione *modali* duo distinguenda sunt, *dictum*, *et modus*. Dictum est propositio *absoluta*, quam modalis continet. *Modus* vero interdùm nomine, interdùm adverbio exprimitur; ut in hac: *Necessarium est avarum esse miserum*. Dictum est, *avarus est miser*: Modus vero *necessarium est*. De usu hujusmodi propositionum videri potest D. Thomas 1. p. q. 14. a. 13. ad 2.m

Dividenda est etiam propositio in *affirmativam* et *negativam*. In eâ enim vel componimus, sive conjungimus extrema per verum, vel extrema dividimus per particulam negantem. Cum conjungimus, affirmamus; ut *Deus est justus*: cum dividimus, negamus; ut *Deus non mutatur*. Hìc nota, negationem non semper efficere propositionem *negativam*, sed tunc solum, cum cadit supra copulam: Unde hæ non sunt negativæ sed affirmativæ: *Deus præcipit non furari. Homo est non lapis*. Nota etiam quod affirmatio et negatio sunt forma propositionis; seu ut loquitur D. Thomas (1. Perih. lect. 10.), *qualitas et differentia essentialis*.

Dividenda est tertiò propositio in *veram*, et *falsam*. Quamvis enim in hoc primo libro, de veritate et falsitate, prout sunt in intellectu, non agamus; nostrùm tamen est, rectam terminorum connexionem, aptamque unius de alio enuntiationem cognoscere. *Vera* itaque proposito est, quæ affirmat esse quod reverà est; aut negat esse, quod revera non est. Falsa autem, quæ affirmat esse, quod revera non est; aut negat esse, quod revera est: indeque effatum illud; *ex eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa*.

Deniquè, dividenda est propositio in *universalem*, *particularem*, *indefinitam*, *et singularem*. Quæ quidem divisio, ut extat apud D. Thomam (1. Periherm. lect. 10.),

*sumitur secundum differentiam subjecti, quod prædicatur de pluribus, vel de uno solo*: Et ideo dicitur pertinere ad quantitatem enunciationis. *Universalis* propositio est, in qua subjectum afficitur signo universali, *omnis*, *nullus*; ut *omnis peccans est ignorans*: *Particularis*, cujus subjectum afficitur signo particulari, *aliquis quidam*; ut *aliqui pisces respirant*, *quidam pisces non respirant*. *Indefinita* est, cujus subjectum est terminus communis nullo signo affectus: ut hæc; *Melancolici sunt suspiciosi*. Nota hic, quod propositio *indefinita* vim habet universalis, si *necessaria* sit, aut *impossibilis*; si autem sit *possibilis*, aut *contingens*, ex se tantum habet vim *particularis*. Quia tamen proferens captiosè, fortè terminum syncathegorematicum omittit, (recole dicta cap. VI. §. I. Petes 2.°) opportet illum apponere; ut si quis dicat: *Senex est morosus*; videndum est, num apposito signo *omnis* rectè habeat, et sententiam ejus qui dicit, propriè exprimat: alitèr assumatur *quidam*, et rursus expendatur, donec res in plano sit. Singularis demum propositio est, cujus subjectum aut singulare est, aut affectum signo singulari; ut *Sanctus Petrus est Christi Vicarius*: *Hic homo est bonus*.

Logici propositiones *universales* et *particulares*, quæ simul *affirmativæ* vel *negativæ* sunt, quatuor litteris Geometrarum more exprimunt; quæ memoriæ gratia, versiculis duobus comprehenduntur in Schola tritis.

Asserit A, negat E, verùm generaliter ambo.

Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

# CAPUT VIII.

## *De proprietatibus propositionum.*

Ex comparatione unius propositionis ad aliam quædam consequuntur, quæ á Dialecticis *propositionum proprietates* vocantur. Hæc autem sunt tres. *Oppositio*, *Conversio*, et *Æquipollentia*.

### §. I.

### *De oppositione Propositionum.*

*Oppositio* strictè sumpta, est *affirmatio et negatio ejusdem de eodem, secundum idem*. Sic definita *oppositio* locum non habet in duabus propositionibus affirmativis, neque in duabus negativis. Deficit etiam inter affirmativam et negativam, quotiescumque inter subjectum et prædicatum variatio vel minima invenitur. Verùm cum propositiones subalternæ, ut mòx di-

cemus, inter oppositas admittantur, eo ferè modo, quo magnum et parvum dicuntur opposita, ideo quidam benignius *oppositionem* sic definiunt: *Est pugna duarum propositionum, quæ eodem subjecto et prædicato constant.*

Hæc autem pugna quatuor modis in propositionibus accidit. Vel enim propositiones sola quantitate pugnant, ut hæ: *omnis homo est justus, aliquis homo est justus*, et dicuntur *subalternæ*; vel pugnant qualitate, cujus generis aliæ sunt universales, ut hæ: *omnis homo est justus, nullus homo est justus*, et dicuntur *contrariæ*; aliæ particulares, ut *aliquis homo est justus, aliquis homo non est justus*, et dicuntur *subcontrariæ*; vel pugnant quantitate et qualitate simul, ut *omnis homo est justus, aliquis homo non est justus*, et dicuntur *contradictoriæ*. En schema.

| | | |
|---|---|---|
| Omnis homo est justus. | Contrariæ. | Nullus homo est justus. |
| Subalternæ. | Contradictoriæ. Contradictoriæ. | Subalternæ. |
| Aliquis homo est justus. | Subcontrariæ. | Aliquis homo non est justus. |

Duo in hoc schemate animadvertenda. Primum est, nec *subalternas* nec *subcontrarias* esse verè et propriè inter se oppositas. Ratio est, quia in *subalternis* non est affirmatio simul et negatio; et in *subcontrariis*, subjectum, cum indeterminatum sit, ut advertit D. Thomas (I. Periherm. lect. IX.), non est idem, nisi sola voce. Secundum est, quod ad contradictorias revocantur propositiones oppositæ *Singulares*; ut hæ, *Seneca est sapiens*, *Seneca non est sapiens*. Licèt enim sint quantitatis ejusdem; pugnant tamen inter se, quantum pugnare possunt.

Regulæ autem dignoscendæ veri-

tatis et falsitatis in oppositione propositionum, istæ quatuor sunt. 1. *Contradictoriæ* ita se habent, ut semper una sit vera, et altera falsa. 2. *Contrariæ* possunt esse simul falsæ, non tamen simul veræ. 3. *Subcontrariæ* possunt esse simul veræ, non tamen simul falsæ. 4. *Subalternæ* possunt esse simul veræ, et simul falsæ.

Obvias harum regularum causas, nè multis moremur, omittimus. Id tamen non prætereundum: Quæ diximus de *absolutarum* propositionum oppositione, facilè *modalium* oppositioni posse accommodari. Consuli possunt Dialectici veteres, qui in hanc rem multa scripsére. Nos id unum admonemus, cavendum esse á sophismatibus, quotiescumque audiantur contradictoriæ, quæ sint enuntiationes complexæ; ut si quis dicat, *nullus equus magis ridet quam canis*, *aliquis equus magis ridet quam canis*. Istæ enim revera non sibi contradicunt, quia plura enunciata continent, quæ sunt expedienda omnia, ut singulæ *exponentes* unius partis contradictionis, singulis *exponentibus* alterius opponantur.

## §. 2.

### *De propositionum æquipollentia.*

*Æquipollentia* est, cum duæ propositiones oppositæ ita inter se conciliantur, ut ad eamdem significationem et sensum ducantur per particulam *non*. Hæc particula igitur conciliat *contradictorias*, si alterius subjecto præponatur; conciliat *contrarias*, si postponatur; conciliat *subalternas*, si præponatur et postponatur; quæ omnia comprehenduntur versiculo memoriæ gratia.

*Præ contradic: Post contra:*
*Præ postque subalter.*

Sic ex propositionibus in schemate contentis, si dicas, *Non omnis homo est justus* æquiparabitur suæ contradictoriæ *Aliquis homo non est justus*. Si dixeris: *Omnis homo non est justus*, erit æquipollens suæ contrariæ *nullus homo est justus*. Si autem ita efferas: *Non omnis homo non est justus*, eam conciliabis cum subalterna sua, *aliquis homo est justus*.

Subcontrariæ non possunt fieri æquipollentes. Nam si particula *non*, postponatur ut in contrariis, particularis affirmativa evâdet eadem ac sua opposita; si autem præponatur, æquivalebit contradictoriæ, non vero subalternæ. Inspice schema, et res patebit.

## §. 3.

### *De propositionum conversione.*

*Conversio* propositionum est: *Permutatio terminorum; id est, subjecti in prædicatum, et prædicati in subjectum, retenta veritate utriusque propositionis.* Ea autem tri-

plex est, *simplex*, *per accidens*, et *per contrapositionem*. *Simplex* est, in qua fit simplex conversio prædicati in subjectum; quod accidit in propositione universali negativa, et particulari affirmativa, v. g. *Nulla materia est spiritualis; Nullum spirituale est materia. Per accidens* est; in qua, facta conversione mutatur quantitas, quod fit in universali affirmativa, et interdum etiam in negativa, v. g. *Omnis homo est animal, aliquod animal est homo. Per contrapositionem* est, in qua, post conversionem extremorum, utrique termino præponitur particula *non*, quod fit in particulari negativa, et interdum etiam in universali affirmativa; v. g. *Omnis homo est animal, omne non animal est non homo.* Leges istæ disticho hoc comprehenduntur.

E. I. simpliciter convertitur. E. A. per accid.

A. O. per contrap. Sic fit conversio tota.

Quæret hic fortasse quispiam, cur hodiernæ litterarum luci permiscere has tenebras audeamus? Cui enim commodo, inquiet, deservire poterit tota hæc de propositionum æquipollentia, et conversione doctrina? R. Nos eam insinuasse, ut palam omnibus fieret, non videri nobis prorsus inanem. Aristoteles fusius de his disputat propter sui temporis Sophistas, adversus quos, his omnibus opus erat, nè contra veterum sapientiam prævalérent. Porrò egregiè falleretur quicumque Sophistarum, si nationem extinctam crederet. Vigent hodiè, dominantur alicubi, se solos sapientes jactant, arbitranturque cæteros esse fungos. In qua arte, quæso, inimici Ecclesiæ et omnes Religionis hostes curas suas, cogitationes, industriam, diligentiam denique omnem potissimùm exercent, nisi in arte fallendi? Unde illam hauserunt? Suspicamur certè, et jurè suspicamur, eorum Antesignanos veteri Peripateticorum Logicæ operam dedisse; ut ex regulis dissolvendi fallacias, eas texere, et textas *sub latibulo ambiguitatis involvere* addiscerent. Quid miramini? Nonne extat celebratissima Logica, in qua, ut alia omittam, quinque integris foliis de Propositionum conversione, tamquam de re maximi momenti, disseritur? Cur scholæ subtilitates, et abditæ in ea logica quisquiliæ ac nugæ; pluribus qui nostra despiciunt, et emunctas se habere nares credunt, non malè dent?

Verum hoc instituti nostri non est. Quod diximus, eo fine diximus, ut Auditores nostri intelligant, plures esse hodiè qui Logicam Aristotelis é manibus nostris rapere conantur, ne eorum versuta disserendi ars nobis innotescat. Clausos putant nos habere oculos: sicque nobis tamquam feroces victores insultare pergunt. Ad propositum re-

vertamur, cumque artificiosa dispositio terminorum et propositionum, de qua hactenùs diximus, ad præcipuum sciendi instrumentum, syllogismum scilicet, ordinetur; artem, quæ in eo est, ob oculos ponamus. Ars hæc tria continet: Argumentationem in genere, syllogismum simplicem, et quasdam alias syllogismorum formas. Tria hæc ordine consideranda sunt.



# CAPUT IX.

## *De argumentationibus.*

### §. I.

### *De natura et speciebus argumentationis.*

*Ratiocinari*, ex D. Thoma (1. p. q. 79. a. 8.), *est procedere de uno intellecto ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoscendam.* Argumentari verò est, verbis exprimere discursum hunc, quo intellectus ex uno judicio ad aliud colligendum progreditur. Ut enim diximus cum D. Thoma (1. p. q. 34. a. 1.), *Verbum quod voce profertur, ex interiori verbo procedit.* Nostrùm igitur est agere hoc loco de argumentatione, quæ sic definiri potest: *Oratio, quæ res ignotas per notas patefacit.* Vel, *quæ ex rebus perceptis, ad id quod non percipiebatur adducit:* v. g. Sol est; ergo dies est.

*Argumentum* nonnihil differt ab *argumentatione*: hæc enim est, auctore Cicerone; *artificiosa argumenti explicatio:* argumentum verò, *inventum quid ad faciendam fidem.* Tullio consonat D. Thomas (2. 2. q. 4. a. 1.) docens, quod *per argumentum intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero.* Observandum enim est, quod quando conjunctio prædicati cum subjecto minus clara est, adhibetur *medium* aliquid, quo utrumque perspicuè conjungatur. Terminus ergo qui hoc medium exprimit, quatenus refertur ad duo extrema quæ conjungit, vocatur *medium*; quatenus refertur ad conclusionem quam efficit, dicitur *argumentum. Argumentatio* autem est, ipsius argumenti vel medii artificiosa aptatio et explicatio. Itaque hæc, argumentatio dicitur: *Omnis materia est extensa, ergo divisibilis.* Nam cum mihi non constaret, omnem materiam esse divisibilem, *argumentum* sumpsi ab ejus extensione, quo vinculo duos illos terminos affirmando conjunxi. Quamvis autem tres istæ voces *Ratiocinatio*, *Argumentatio*, et *Argumentum* propriè significent id quod diximus, ferè tamen promiscuè usurpantur, neque nos hunc usum horrebimus.

In omni argumentatione, id ex

quo aliud infertur dicitur *antecedens*, sive una sive pluribus propositionibus constet. Pars illata vocatur *conclusio*, sive *consequens*. Illatio consequentis ex antecedente dicitur *consequentia*. Particulæ illativæ *ergo*, *igitur*, *itaque*, &c. sunt illationis notæ.

Sequitur inde, vim omnem argumentationis non consistere in veritate aut falsitate propositionum, sed dumtaxat in illatione: Quare propositiones possunt esse veræ, et argumentatio non consistere; ut si dicam, *Sol lucet*, ergo *pluit*. Contra: propositiones possunt esse falsæ, et illatio bona, ut si dicam, *terra movetur*, ergo *Sol stat*.

Itaque illatio nec vera nec falsa est, sed bona vel mala, legitima vel illegitima. Inde manat hæc regula in omni disputatione servanda. *Consequentia numquam distinguenda est, sed concedenda aut neganda. Consequens numquam negandum aut concedendum, sed distinguendum, quotiescumque propositio sit ambigua; aut duplicem possit sensum admittere.*

Species argumentationis quatuor numerantur, quod quatuor veluti viis, progrediatur intellectus ad ignota ex notis aperienda. Vel enim progressus hic est *á partibus ad totum*, et sic fit *inductio*: vel *á toto ad partes*, et sic formatur *syllogismus*: vel *á parte ad partem*, et sic est *exemplum*: vel *á verisimilibus et signis ad res significatas*, et tunc *argumentatio* verè et propriè vocatur enthymema, ut mox dicetur. Docet autem Aristoteles (1. post. cap. 1.), quatuor has argumentandi formas posse ad duas reduci, enthymema scilicet ad syllogismum, et exemplum ad inductionem; ea prorsus ratione, quâ imperfecta omnia ad perfecta revocantur. Dicamus fusìus de singulis.

## §. 2.

## *De Syllogismo, et enthymemate.*

Syllogismus est, *argumentatio, in qua ex universali particulare in eo contentum infertur*; ita fermè: *Omne malum est fugiendum; sed peccatum est malum, ergo est fugiendum.* Nititur his principiis, *quod dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento.* Item, *quod negatur de omni, negatur de quolibet sub eo contento.* De Syllogismo accuratius postea dicemus.

Sciendum interea, quod etiam de singularibus possunt fieri veri syllogismi, quos Logici *expositorios* vocant, quia rem sensibus veluti exponunt. Hujusmodi est: *Sanctus Petrus fuit peccator; Sanctus Petrus est salvatus; ergo aliquis salvatus fuit peccator.* Hi syllogismi rectè et evidentèr concludunt, dummodò argumentum sivè medium quod assumitur, sit verè et in omni sensu singulare. Tunc enim prò

eodem semper supponit, proindèque eamdem ad arguendum habet vim ac terminus universalis distributivus. Hinc non valet: *Pater est Deus; Filius est Deus;* ergo *Filius est Pater.* Nam ut advertit S. Thomas (1. p. q. 39. a. 4. ad 1.): »Hoc nomen Deus, licet »conveniat cum terminis singulari»bus in hoc quod forma signifi»cata non multiplicatur; convenit »tamen cum terminis communibus »in hoc, quod forma significata »invenitur in pluribus suppositis."

*Enthymema* in varias significationes, variosque usus trahi solet. Distinguere illud opportet in *verum,* et *vulgare. Veri* et propriè dicti enthymematis hæc est definitio: *Syllogismus detruncatus, ex verissimilibus et signis procedens.* Ex. gr. Titius habet oculos impudicos; ergo corde et animo impudicus est. *Vulgare* vero nihil est aliud, quàm *syllogismus altera præmissarum minutus.* Ex. gr. Christianus es; ergo vivendum tibi juxta legem Christi. Itaque *vulgare* enthymema hoc nomen sibi adquisivit ratione solius formæ. *Verum* autem illud habet, ratione formæ simul et materiæ. Hoc Rethorum potius, quam Logicorum est proprium: Illud omnibus, qui disputant, convenit. Hæc quæ á veteribus Peripateticis didiscimus (Javello p. 144. Fonseca pag. 137. Massio 1130.), dilucidiùs exponere oportet.

*Verosimilia,* in quibus verum *enthymema* versatur, á Cicerone dicuntur ea, *quæ ferè fieri solent,* vel ùt cum Schola et D. Thoma loquamur, *quæ inveniuntur ut in pluribus,* quâ ratione dicimus *filium á matre diligi,* quia ita plerumquè fit.

Signa autem (de quibus fusius agendum cum de demonstratione tractabimus) alia sunt *necessaria,* quæ significatum *necessariò* demonstrant, quomodo respiratio v. gr. est signum vitæ; alia *non necessaria,* quæ suum significatum probabilitèr tantum indicant; quô pacto, vulgò dicuntur nubes esse signum pluviæ.

Signo *necessario* utuntur Philosophi, quoties demonstrant á *posteriori.* Unde hæc est vera demonstratio, et non enthymema, *Titius non respirat;* ergo *mortuus est.* Signo autem *non necessario* argumentantur Dialectici et Rethores, cum probabilia persuadére intendunt. Ut si quis dicat: *Cajus ridet;* ergo *lætatur.* Hoc est *verum* et propriè dictum enthymema ex *signo* ductum; sicut sequens ex *verosimili* procedit, *Berta est mater Caji;* ergo *illum diligit.*

In his duobus enthymematis exemplis clarè vides, cur *verum* enthymema, syllogismum detruncatum vocaverimus. Sola *assumptio* potest in eo exprimi, Propositio necessariò reticenda est, non sola

compendii et brevitatis causa, sed quia numquam est universalitèr vera; ideoque in omni disputatione posset negari á respondente. Hoc patet in exemplis allatis, non enim est omnino verum quod *omnis mater diligat filium*; *neque quod omnis ridens lætetur*. Omne igitur enthymema, cui hoc nomen verè et propriè conveniat, semper erit *syllogismus* detruncatus. In hoc á Facciolato recessimus.

Audiatur D. Thomas, qui hucusque dicta de entymemate, paucis explicat et illustrat (1. post. lect. 1. litt. d.) »*In Rethoricis*, in»quit, persuasio fit per *enthymema* »aut per *exemplum*; non per *syl»logismum* aut *inductionem* comple»tam::: Loco syllogismi, in quo ne»cesse est esse aliquam universa»lem, utitur (Rethor) aliquo en»thymemate, in quo non necesse »est, esse aliquam universalem." (non modò compendii causa, sed etiam *propter incertitudinem materiæ circa quam versatur*, ut antea dixerat). »Unde patet, quod »sicut *enthymema* est quidam *syl»logismus detruncatus*; ita exem»plum est quædam inductio imper»fecta." Hactenus D. Thomas.

Hinc factum arbitramur, ut omnis syllogismus mutilus vulgò vocetur *enthymema*. Neque nos adeo morosi sumus, ut hanc enthymematis ampliationem á tòt sæculis vigeatem, improbemus. Imò syllogismos omnes *detruncatos* enthymemata vocabimus, quoties res ferat; et inter arguendum, non *propositionem* modò, sed et *assumptionem* reticebimus, dum eam supplêre possit auditor. Quid enim hoc interest? *Sapientis est*, ait D. Thomas, *non curare de nominibus*. In viam redeamus.

## §. 3.

### *De inductione et exemplo.*

Inductio est *argumentatio carens medio, in qua concluditur universale per enumerationem singularium, ex quibus constat*, v. gr. Nec *Creso* aurum, nec vires *Achilli*, nec *Demosteni* eloquentia, nec *Alexandro* gloria felicitatem afferre potuerunt; idemque contingit in cæteris rebus caducis. Nemo igitur est, qui in rebus cum tempore labentibus felix esse unquam possit.

*Singularium* nomine in definitione *inductionis* intelligenda veniunt, non ea tantum, quæ sunt verè singularia, sed etiam quæ *minus universalia*. Unde perfecta est hæc inductio: *Omne animal nutritur, et omnis planta nutritur*; igitur *omne vivens nutritur*.

Nititur inductio hoc fundamento: *idem de eodem affirmari debet*. Universale autem, non differt nisi modô quodâm et ratione á singularibus simul comprehensis. Hinc colligitur vitiosam esse inductionem,

si quæ pars enumeranda prætermittatur.

Infertur ex hoc principio, tutiorem esse inductionem cum á speciebus ad genus progredimur. Nam species facilius cognosci et numerari possunt, quam individua. Id patet in postremo exemplo. Non sic valet inductio, quæ á singularibus sive individuis ad speciem ascendit, sed ea periculi plena est et salebrarum.

In id genus inductionibus diligentissime inspiciendum est, cujus generis sit propositio, inductione singularium probanda. Aliter enim per eam ostenditur propositio *necessaria* aut impossibilis, et aliter possibilis aut contingens. Propositio necessaria est *per se nota*, sicut et impossibilis *per se repugnans*. Ad cognoscendam autem veritatem propositionis per se notæ nihil aliud requiritur (ut suo loco explicabimus), nisi prænoscere *quid sit prædicatum*, et *quid sit*, et *an sit subjectum*. His cognitis, propositio necessaria probatione non æget, siquidem ejus veritas statim se menti offert. Clarissimo exemplo id explicat D. Thomas (1. 2. q. 51. a. 1.) »Ex ipsa natura ani»mæ intellectualis convenit homi»ni, quod statim cognito quid est »*totum*, et *quid est pars*, cogno»scat quod omne totum est ma»jus sua parte; et simile est in »cæteris. Sed quid sit *totum* et quid »sit *pars* cognoscere non potest ni»si per species intelligibiles, á phan»tasmatibus acceptas. Et propter »hoc Philosophus in fine Posterio»rum ostendit, quod cognitio prin»cipiorum provenit nobis ex sensu," ad quem directè pertinet, ut suo loco dicemus, cognitio et enumeratio singularium. Si ergo enumeratio singularium solum requiritur ad cognoscendum de toto, *quid sit et an sit*; cum ad hanc cognitionem habendam satis sit, quædam tota et quasdam partes vidisse; dicendum est, ad inductionem, quâ ostenditur veritas propositionis *necessariæ*, aut falsitas *impossibilis*, exactam omnium singularium enumerationem non esse necessariam.

Est vero prorsus necessaria, cum propositio inductione probanda est possibilis aut contingens. Tunc enim vitiosa erit, si partes omnes non enumerentur; ut *si quis lepores omnes esse griseos colligeret, quia nullos alios vidit*. Hoc vitio frequenter peccant homines in judicio de personis; sic injuriam passi ab aliquibus judicibus, statim conclamant omnia tribunalia esse corrupta; sic qui vident quosdam Ecclesiæ ministros vitiis deditos, statim labem toti ordini inurunt. Id verò plane mirandum, cum prava hæc inductio vulgo placeat quoties de malis loquitur, vix ea utatur cum de bonis sermo est: Quam-

vis enim plures in aliquo statu bonos videat, non ideo in genere statum illum laudat. Nihil iniquius his judiciis: at nihil inter homines frequentius.

Exemplum est *imperfecta inductio sive oratio, in qua singulare aliquid ex uno, aut perpaucis similibus confirmatur.* Sic arguit Apostolus 1. Cor. 9. his verbis. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* Ex quibus sic colligit: *Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Exempli nomine omnem similitudinis rationem complectimur, sive sit rei, sive sit facti. Argumentatio autem exemplo formata, talem habet vim, qualis est ratio proportionis inter exemplum et rem, pro quâ probanda inducitur. Hoc argumenti genus præcipuè valet in moralibus, et apud plebem. Ideò diximus Rethoris esse propium.

§. 4.

*De Epicheremate, Sorite, et Dilemmate.*

Epicherema, quod ad formàm argumentationis attinet, est *syllogismus, cujus propositioni aut assumptioni rationes adjiciuntur*, ita ut modò quatuor, modò quinque partibus constet, interdùm etiam tractatus integros Epicherema unum contineat. Exemplum sequens, solius propositionis majoris rationem adducit. *Qui cupit et metuit felix non est, cum nec tutò habeat quod habet, nec habeat quod cupit habere, àt divites cupiunt multa quæ non habent, et quæ habent metuunt amittere;* ergo *divites non sunt felices.*

Dixi quod *ad formam* attinet: Non enim desunt, qui ex materia sumptum nomen censent. Facciolatus certè in postrema sua Acroasi, pluribus probat, Epicherema procedere ex *probabilibus*, sicut enthymema ex *verisimilibus*, ideoque utrumque argumentationem esse dialecticam existimat; indequè factum putat, ut duo hæc nomina promiscuè á pluribus usurpentur. Nos de his alibi.

*Sorites*, qui latino nomine *acervalis* dicitur, interdùm argumentatio quædam est ad fallendum comparata, de qua in fine Logicæ agémus, interdùm verò Sorites dicitur, *acervus quidam propositionum sibi inter se cohærentium, in quo prædicatum antecedentis fit subjectum consequentis; donec ultimæ prædicatum cum primæ subjecto componatur*, hoc pacto; *Peccatum Deum offendit, quod Deum offendit nos á Deo separat, quod nos á Deo separat, summo bono nos privat, quod summo bono nos privat est omnium malorum*

*maximum*; ergo *peccatum est omnium malorum maximum*. Hoc argumenti genus plures potest secum involvere fallacias; nihil enim facilius, quam vocem aliquam ambiguam, aut etíam propositionem duplicis sensus intromittere, ut interim mens tot proportionibus onerata, falsitatem conclusionis non advertat. Abeat ergo hinc Leibnitius, qui, referente Facciolato, Soritem in exemplum perfectissimæ demonstrationis afferre non est veritus. Nihil autem absurdius, quam quod refert Rossell (tom. 1. §. 1050. not. 1.) de *Soria* quodam, qui nomen suum celebrari cupiens, syllogismis *Soritas* substituere optavit.

*Dilemma* demum est *argumentatio, quæ cornuta* dicitur, quòd *ejus antecedens* duabus partibus constet, et incommodum utrimque pariat. Ex. gr. *Si uxorem deformem duces, tibi non placebit, si pulchra placebit aliis; ergo omnino ducenda non est.* Hoc argumenti genus in duobus deſſicere solet, vel cum inter disjunctionis partes datur medium, vel cum utraque pars retorqueri potest vice versa, ut exemplum allatum hoc modo: *si uxorem pulchram duces, tibi placebit, si deformem non placebit aliis; ergo ducenda est.*

Celebriores enumerabimus argumentandi formas. Omnium princeps atque optima est *syllogismus*, ad cujus formam revocari possunt ceteræ, addita propositione generali. Inductio ipsa, quam diximus *carere medio*, potest fieri syllogismus, si ipsi addatur universalior propositio: Ecce syllogismus ex inductione in exemplum adducta: *Omne vivens vel est animal, vel planta, sed animal nutritur, et planta nutritur;* ergo *omne vivens nutritur.*

Syllogismus autem est duplex: Simplex, et compositus. De utrôque statim agemus. Placet enim regulas quasdam generales prius adducere, quibus unusquisque facilè intelligat, *quid ex quo* apta consequutione possit concludi.

## §. 5.

*In quo traduntur quatuor regulæ, præ oculis habendæ in omni Argumentatione.*

Prima regula: *ex vero nullo modo sequitur falsum.* Quotiescumque igitur antecedens est verum, et consequens falsum, consequentia cēnsenda est mala vel illegitima.

Secunda regula: *Ex falso aliquando sequitur id, quod aliunde verum est*; ut ex illa falsa, *Omnes Apostoli sunt reprobi*, sequitur hæc aliunde vera, *ergo Judas est reprobus.* Hæc regula majoris momenti est, quam vulgò existimetur. Plerùmque enim veram rei causam nos invenisse putamus, quia veris effectibus causæ quas fingimus concordant. Nihil autem facilius, quam veris effectibus falsas causas aptare.

Tertia regula : *Ex impossibili sequitur quodlibet.* Hæc regula est veluti corollarium præcedentis, abiitque jam in axioma omnium sermone tritum.

Quarta regula *ex ipsa argumentationis* definitione manans, *Antecedens debet esse notius consequente.* Ideoque cavendum, ne in antecedente utamur propositionibus obscuris, aut ignotis, aut ambiguî sensus, quæ tenebras potius quam lucem consequenti effundant. Persuasumque sit nobis omnibus, quod non possunt non esse caliginosa et flexiloqua, quæ fortè adhibeamus ad explicandum aliquid, quod nobis ipsis compertum non sit, nec fortè esse possit. Nunc de Syllogismo agendum.


# CAPUT X.

## *De Syllogismo simplici.*

### §. I.

### *De natura syllogismi simplicis, ejusque vi, et efficacia.*

Syllogismus *simplex*, qui etiam *cathegoricus* dicitur, est ille, in quo *duo sunt* simplices *termini*, et *medium* unum, ex quibus fiunt tres simplices enunciationes. Prima enuntiatio, unde vis manat ratiocinationis, vocatur á latinis *propositio*, secunda *assumptio*, tertia *conclusio.* Vulgò in Scholis prima dicitur *propositio major*, secunda *propositio minor*, tertia *consequens*, vel *consequentia.* Porro *major* dicitur, non quia primo loco sit, sed quia continet id quod majus extremum vocamus, sicque etiam secundo loco posita diceretur *major.* Termini autem sunt, *minus extremum*, id est subjectum conclusionis; et majus extremum, id est prædicatum ipsius. Terminus autem, quem *medium* appellamus, est utriusque *extremorum* veluti mensura et nexus, et in conclusione locum non habet. Accipe exemplum : *Pater est honorandus*, sed *Princeps est pater*; ergo *Princeps est honorandus.* En Schema.




Accusantur Dialectici nostri quod medium terminum dicant, ¿ quî enim potest, id quod me-

dium est, terminare? Sed advertere debérent hi Censores, quod vox quam vocamus *medium*, est verè *terminus* in majori et in minori. Adde, quod si comparetur ad totum syllogismum, *medium* rectè dicitur, quòd extrema conciliet, id est subjectum cum prædicato componat, et ad cognoscendam veritatem conclusionis mentem ducat.

Nihil ergo mirum, quòd inventio hujus *termini medii*, curas omnes cogitationesque eorum, qui disputant, ad se rapiat. Siquidèm propositâ quæstione aliquâ, tota vis et ratio ejus solvendæ in eo est, ut palam fiat subjectum contineri in prædicato; v. gr. cum quæritur utrum Princeps sit honorandus, eo fine quæritur, ut ostendatur utrum inter *honoranda* contineatur *Princeps*, tamquam aliquod particulare in universali, sive tamquam pars in toto aliquo. Si quis igitur invenerit aliquid quod contineat Principem, et contineatur inter honoranda; planum faciet, ipsum quoque Principem inter honoranda contineri. Terminus hic videtur esse *Pater*, qui tamquam medium adhibitum est á nobis in allato syllogismo.

Invento medio, et ejus ope formato syllogismo, convincitur intellectus, et conclusioni assensum præbet, propter principium illud, cui diximus hanc argumentationem inníti. *Quod dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento.* Reflectitur enim intellectus supra se, suumque syllogismum, et sic ratiocinatur:

*Quod dicitur de omni dicitur de quolibet sub eo contento,*

*Atqui in præmisis asserui* honorandum *dici de omni* Patre, et Principem *esse aliquid contentum sub Patre*;

Ergo *honorandum, debet dici de* Principe.

§. 2.

*In quo exponitur quid sit materia et forma syllogismi, quid figura ejus, et modus?*

Figuras et modos syllogismorum, eorumque regulas communi Scholarum nostrarum usu et consensione probatas, contemnunt authores Logicæ Portus Regii; novamque, unicam et generalem regulam se inventos jactant, eamque sic inscribunt P. III. cap. 10. *Principium generale, cujus ope, sine ulla ad figuras aut modos reductione, statui potest de omni syllogismo; legitimusne, an vitiosus sit.* Eorum vestigiis religiosè inhærent *Lugdunenses*, novamque (ut ab eis dicitur) regulam, tamquam unicam et optimam celebrant (Disset. 3. a. 2. §. 2.). Ita autem se habet; *Una præmissarum conclusionem contineat, et altera contentam declaret.*

Quid vero novi habet hæc regula? Quid additur in ea ad prolatum mox axioma, *Quod dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento*? Axiomatis hujus, regulæ illius identitatem probatio reflexa, in fine præcedentis paragraphi adducta, manifestam facit. Si autem regula generalis, sive axioma ipsis scholarum parietibus propemodùm insitum, speciales syllogismorum regulas, modos, et figuras ab Scholis ablegare jubet tamquam inutiles; dicere similiter aliquis posset, quod dummodo Christianus sciat duo illa præcepta *in quibus universa lex pendet ac Profeta* (Matth. 22.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; eximere se potest studio præceptorum specialium, quæ in duobus illis implicitè continentur. Hoc cum sit intolerabile dictu, ingens etiam absurdum est, speciales syllogismorum regulas propter generalissimam contemnere. Tritam ergo sequamur viam, et veteres nostras regulas in medium producamus.

Duo in quolibet simplici syllogismo consideranda sunt, *Materia*, et *forma*. Materia duplex est; altera *remota*, hoc est termini, et medium; altera *proxima*, hoc est, propositiones inde conflatæ. *Forma* est artificiosa materiæ dispositio, quæ rursus duplex est, vel materiæ remotæ et dicitur *figura*, vel proximæ, et dicitur *modus*. Rem inspice in hoc exemplo: *Omnis virtus est expetenda, temperantia est virtus; ergo temperantia est expetenda*. Vox *expetenda* in propositione majori, et in conclusione reperta, est *majus extremum*. *Virtus* quæ subjicitur in majori, et prædicatur in minori, est *medium*. *Temperantia*, quæ est subjectum minoris et conclusionis, est *minus extremum*. Combinatio *temperantiæ* et *expetendæ* cum *virtute*, est figura hujus syllogismi. Et combinatio *quantitatis et qualitatis* propositionum, ex quibus constat dictus syllogismus, est ejus *modus*.

## §. 3.

### *De syllogismorum figura, ejusque regulis.*

*Figura*, ut insinuavimus, est apta medii cum duobus extremis ad concludendum colligatio. Cum autem quadrifariàm medium cum extremis colligari possit, quadruplex existit figura syllogistica. *Prima*, in qua medium in majori est subjectum, in minori prædicatum. *Secunda*, in qua medium utrobique prædicatum est. *Tertiá*, in qua medium utrobique est subjectum. *Quarta*, in qua medium prius prædicatur, deinde subjicitur. Sed postrema hæc, quæ vulgò *Galenica* dicitur, apud Aristotelem nullo in numero est; quia non differt á prima, nisi quatenus major secundo loco ponitur, minor primo. Ea er-

go rejecta, tres solum remanent figuræ, quas designat is versiculus truncatis vocibus constans:

Sub- præd- prima: sed altera
bis præd-: tertia bis sub-.

Sensus est: In prima figura *medium* subjicitur in majori, et prædicatur in minori, ut *Malum est fugiendum, vitium est malum;* ergo *vitium est fugiendum.*

In secunda figura, *medium* in utraque præmissa prædicatur; ut *Nulla frugalitas est vitium, omnis avaritia est vitium;* ergo *nulla avaritia est frugalitas.*

In tertia figura, *medium* in utraque præmissa subjicitur; ut *Omnis virtus est amanda, aliqua virtus est laboriosa;* ergo *aliquid laboriosum est amandum.*

Regulæ syllogismorum ad figuram spectantes quatuor sunt, quatuor his versibus, memoriæ gratia, comprehensæ.

1.... Terminus esto triplex, major, mediusque, minorque.
2.... Præmissis dicat ne finis plura, caveto.
3.... Aut semel aut iterum medium genus omne capescat.
4.... Nequaquam medium capiat conclusio oportet.

EXPLICANTUR.

Prima regula: *In quolibet syllogismo non sint nisi tres termini,* quorum unusquisque in duabus propositionibus quarum est pars, eodem sensu sumatur. Tota enim syllogismi ars et vis (ut diximus §. primo), est ita connectere minus et majus extremum cum medio, ut ea deinceps possit inter se connectere. Ideo vitiosus est iste, *Canis latrat, sydus est canis;* ergo *sydus latrat. Canis enim,* geminam habet significationem, ideoque *duo media* constituit.

Principium cui hæc regula innititur, est axioma, quo uno veluti cardine tota vertitur argumentandi ars: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Inde manat regula hæc generalis; *Quæ dua eidem in præmissis conveniunt, ea sibi mutuò conveniunt in conclusione.* Confer (ut id obitèr dicam) regulam hanc cum generalissima Lugdunensium. Nonné ei par est, et rectitudine et extensione. Cur ergo illam prædicant tamquam unicam et novam? Sed dimittamus illos, et dicamus utilia.

In hanc primam regulam passim peccatur. Hinc tot distinctiones (utique necessariæ), quæ inter disputandum adhibentur. Siquidèm innumera sunt, quæ sensum verborum immutant et alterant. Cum *medium* est ambiguum, distinguendæ sunt *major* et *minor*, et subinde neganda *consequentia.* Cum æquivocatio est in *majori extremo,* distinguenda est *major* et *consequens.* Cum *minus extremum* va-

riat sensum, distinctio debet cadere super *minorem* et *consequens*. Exempla usus suggeret.

Ad distinctiones hujusmodi in promptu habendas, non facilè dici potest, quantum conferant divisiones terminorum et suppositionis, atque hujus et appellationis regulæ. Eas, ne memoriâ cadant, oportet frequenter recolere; idque faciat necesse est quicumque, cujuscumque facultatis sive Auditor, sive Professor, nisi velit subdolis aliorum verbis, aut scriptis allucinari. Admonitionis hujus necessitatem, adolescentibus, quibus repetere lectiones non placeat, tempus et experientia demonstrabunt. Sed nimis moramur.

Secunda regula: *Nullus terminus in conclusione supponat pro pluribus, quam in præmissis.* Tunc enim ex parte colligeretur totum, sive universale ex particulari, quod falsam redderet definitionem ipsam syllogismi. In hanc regulam peccat iste: *Omne animal est vivens, omne animal est substantia;* ergo *omnis substantia est vivens.* Vitium est in voce *substantia*, quæ in conclusione pro omni substantia sumitur; in præmissis pro aliqua tantum, hoc est, pro ea quæ reciprocatur cum animali.

Tertia regula: *Medium in aliqua saltem præmissarum supponat distributivè;* id est, sumatur pro omnibus et singulis significatis. Nam si in utrâque præmissâ sumatur tantum pro aliquibus (quod est supponere disjunctivè), erit *sensu duplex* terminus, ideòque ad concludendum ineptus. Unde hic non concludit: *Aliquod animal ridet, equus est animal;* ergo *ridet.* Vox *animal*, quæ est medium, in majori significat animal rationale, in minori irrationale; itaque duo sunt in eo media, quod est contra regulam primam.

Quarta regula: *Medium nunquam ingrediatur conclusionem.* Siquidèm adhibetur in præmissis tamquam causa ex qua oritur conclusio, nihil autem oriri potest ex seipso. Unde hic perperam concludit: *Animal est vivens; planta est vivens:* ergo *planta vivit ut animal.* Sed de syllogismorum *figura* satis; ad *modum* transeamus.

§. 4.

*De Syllogismorum modo, ejusque regulis.*

Modus syllogismi est: *Trium ejus propositionum certa quædam dispositio et connexio, quatenus sunt universales aut particulares, affirmativæ aut negativæ.* Connexiones sive combinationes hujusmodi, si inutilium quoque rationem habere velis, sunt numero sexaginta quatuor, utì perpicuum tibi fiet, si eas consideres in schemate, quod adducit P. Roselli tom. 1. n. 152. Inst. Log. Modi utiles sunt tantum

novemdecim, quorum novem ad primam figuram pertinent, quatuor ad secundam, sex ad tertiam. Verùm cum quinque posteriores primæ figuræ nullius ferè sint usus, quia sunt indirecti, hoc est, ita concludunt, ut minus extremum prædicetur de majori in conclusione, (qua de causa fortè non fuere ab Aristotele in Logicam inducti) ideò illis prætermissis, reliquos in tres classes pro figurarum numero divisos, quatuor his versibus complectimur.

*Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*que præibunt.
*Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*, sequentur.
Tertia post veniet rationum turba, *Darapti*,,
*Felapton*, *Disamis*, *Datisi*, *Bocardo*, *Ferison*.

## EXEMPLA QUATUOR MODORUM PRIMÆ FIGURÆ.

| | | |
|---|---|---|
| | *BAR-* | *Omne honestum est laudabile;* |
| 1....... | *BA-* | *Omnis virtus est honesta:* |
| | *RA.* | Ergo *omnis virtus est laudabilis.* |

| | | |
|---|---|---|
| | *CE-* | *Nullum vitium est laudandum;* |
| 2....... | *LA-* | *Omne mendacium est vitium:* |
| | *RENT.* | Ergo *nullum mendacium est laudandum.* |

| | | |
|---|---|---|
| | *DA-* | *Omne honestum est laudabile;* |
| 3....... | *RI-* | *Aliqua actio est honesta:* |
| | *I.* | Ergo *aliqua actio est laudabilis.* |

| | | |
|---|---|---|
| | *FE-* | *Nullum vitium est laudandum;* |
| 4....... | *RI-* | *Aliqua actio est vitium:* |
| | *O.* | Ergo *aliqua actio non est laudanda.* |

## EXEMPLA SECUNDÆ FIGURÆ.

| | | |
|---|---|---|
| | *CE-* | *Nullum vitium est laudabile;* |
| 1....... | *SA-* | *Omnis virtus est laudabilis:* |
| | *RE.* | Ergo *nulla virtus est vitium.* |

| | | |
|---|---|---|
| | *CA-* | *Omne honestum est laudabile;* |
| 2....... | *MES-* | *Nullum vitium est laudabile:* |
| | *TRES.* | Ergo *nullum vitium est honestum.* |

*FES-* *Nullum vitium est laudabile;*
3....... *TI-* *Aliqua actio est laudabilis:*
*NO.* Ergo *aliqua actio non est vitium.*

*BA-* *Omne honestum est laudabile;*
4....... *RO-* *Aliqua actio non est laudabilis:*
*CO.* Ergo *aliqua actio non est honesta.*

## EXEMPLA TERTIÆ FIGURÆ.

*DA-* *Omnis virtus est laudabilis;*
1....... *RAP-* *Omnis virtus est habitus:*
*TI.* Ergo *aliquis habitus est laudabilis.*

*FE-* *Nullum vitium est laudabile;*
2....... *LAP-* *Omne vitium est habitus:*
*TON.* Ergo *aliquis habitus non est laudabilis.*

*DI-* *Aliqua virtus est laudabilis;*
3....... *SA-* *Omnis virtus est habitus:*
*MIS.* Ergo *aliquis habitus est laudabilis:*

*DA-* *Omnis virtus est laudabilis;*
4....... *TI-* *Aliqua virtus est habitus:*
*SI.* Ergo *aliquis habitus est laudabilis.*

*BO-* *Aliquod vitium non est jucundum;*
5....... *CAR-* *Omne vitium est habitus:*
*DO.* Ergo *aliquis habitus non est jucundus.*

*FE-* *Nullum vitium est laudabile;*
6....... *RI-* *Aliquod vitium est habitus:*
*SON.* Ergo *aliquis habitus non est laudabilis.*

Hi sunt quatuordecim modi, quibus frequentius utimur. Regulæ autem ad eos spectantes sunt quatuor, sicut quas exposuimus ad tres figuras pertinentes: Eas his quoque carminibus placet primò indicare.

1.... *Nil duo conjungas si particularia gignunt.*
2.... *Utraque si præmissa neget, nil inde sequetur.*
3.... *Ambæ affirmantes nequeunt generare negantes.*
4.... *Est parti similis conclusio deteriori.*

EXPLICANTUR.

Prima regula: *Ex puris particularibus nihil concluditur.* Nam in duabus particularibus voces multiplicantur, ut dictum est in tertia figurarum regula. Ut si quis dicat; *Quædam substantia est lapis; quoddam animal est substantia:* ergo *quoddam animal est lapis.*

Secunda regula: *Ex puris negativis nihil sequitur.* Nam ex eò quod duo extrema repugnent uni tertio, non sequitur repugnare inter se, sed tantum ex eò quod unum extremorum sit idem cum alio tertio, et aliud non sit idem. Sicut etiam ex eò quod duo sint inæqualia alicui tertio, non sequitur quod sint inæqualia inter se. Unde hic non concludit: *Nullus homo est lapis; nullum marmor est homo:* ergo *nullum marmor est lapis.*

Notandum autem quasdam esse propositiones quæ ita efferuntur, ut reverâ affirment, quamvis negare videantur. Id fit, quia continent propositionem incidentem, vel terminum aliquem infinitum. Tunc ergo cautio diligens adhibenda est.

Tertia regula: *Ex præmissis affirmativis non concludatur negativè.* Nam extrema conjuncta cum medio nequeunt non conjungi inter se.

Quarta regula: *Conclusio debet sequi debiliorem partem.* Id est, si una præmissarum sit particularis, conclusio debet esse particularis. Alioqui termini universalius acciperentur in conclusione quam in præmissis, contra secundam figurarum regulam. Rursùs: si una præmissarum sit negativa, conclusio debet esse negativa: nam si extremorum unum convenit cum medio, non vero alterum; fieri non potest ut ea inter se conveniant.

Circa regulas, totumque syllogismi simplicis artificium tria demùm animadvertimus. Primum est, esse syllogismos qui in aliquam ex præscriptis hactenus legibus peccant, et tamen eorum conclusio est aliunde vera: ut in istis: *Aliquod animal est album; aliquis homo est animal:* ergo *aliquis homo est albus.* Item *Nullum animal est lapis; nulla arbor est animal:* ergo *nulla arbor est lapis.* In his inquàm, consequens est verum, et consequentia est mala, vel aliter in conclusione est veritas quam præmissæ non ostendunt. Nihil enim faciliùs ut sæpiùs diximus, et sæpiùs dicendum est non modò in Physicis, sed etiam in Logicis, quàm veris effectibus falsas causas

aptare. Ad hujusmodi syllogismos respondendum est verbis D. Augustini (lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 34.): *Etsi vera sint omnia, non est tamen vera regula conclusionis.*

Secundum est: Trium figurarum optimam et perfectissimam esse primam: tum quia in hâc unâ *medium* loco suo collocatur, hoc est inter utrumque extremum; sicque geminum præstat officium, prædicati scilicet et subjecti: tum quia servatur in eâ naturæ ordo. Nam prædicatum conclusionis, quia latìus patet *medio*, de illo enuntiatur in majori: *Medium* vero ipsum, quia latìus patet subjecto, de illo dicitur in minori.

Tertium est: Syllogismum dividi in *formatum*, et *informem*. Syllogismus *formatus* est, cujus termini et propositiones suo quæque ordine distinctè collocantur. Hic est, cujus artificiosam dispositionem hucusquè explicuimus. Syllogismus *informis* est, qui proponitur absque ulla certa dispositione terminorum et propositionum. Hujusmodi est hæc propositio: *Cum ethnicè vivas, sperare non potes eam salutem, quæ solis christianè viventibus est á Deo promissa.* Hi syllogismi frequentissimi sunt in colloquiis, atque libris didascalicis; eisque Rethores, sicut Philosophi formatis libentìus utuntur. Examinandi sunt tamèn, et ad formatos reducendi, ne quidpiam fallaciæ in ipsis lateat. Hactenùs de syllogismo simplici, quæ utilia judicavimus diximus omnia. Nunc de aliorum dispositione et arte agendum est.

## CAPUT XI.

### *De cæteris syllogismorum formis.*

Quinque postremos primæ figuræ modos Capite præcedenti consultò omissimus, cum enim imperfecti sint et ferè inutiles, hic eorum est locus. Id ut clarius pateat, discrimen inter modum *directum*, et *indirectum* explicandum erit. Modus *directus* est ille, per quem majus extremum conclusionis enuntiatur de minori extremo; ut si dicam: *Quælibet virtus est laudabilis, quælibet prudentia est virtus*; ergo *quælibet prudentia est laudabilis.* Modus *indirectus* est ille, in quo minus extremum enuntiatur de majori, ut si conclusio superioris argumenti convertatur hoc modo; ergo *aliquod laudabile est prudentia.*

Voces symbolicæ á nobis omissæ, quibus significantur modi quinque indirecti primæ figuræ, sunt istæ: *Baralip-ton*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Friseso-morum.* Cum modi hujusmodi sint imper-

fecti, sicut omnes ad secundam et tertiam figuram spectantes; quatuor tantum sunt qui perfecti habentur, illi scilicet, qui indicantur per voces *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, et *Ferio*. His prænotatis

§. I.

*De syllogismis imperfectis ad perfectos reducendis.*

Reduci dicuntur syllogismi, vel cum imperfecti ad perfectos revocantur, vel cum præmissæ ita invertuntur, ut negans conclusionem ritè illatam cogatur sibi adversari. Reductio illa *directa* et *ostensiva* dici solet, hæc *indirecta et ad impossibile*. De utrâque pauca, et primum quidem de directa seu ostensiva.

Quomodo hæc fieri debeant docent litteræ consonantes vocum symbolicarum, quibus syllogismorum modi exprimuntur. Prima enim consonans modi cujuslibet imperfecti, designat revocandum eum esse ad modum perfectum, qui eâdem incipit consonante: v. g. *Cesare*, *Camestres*, ad *Celarent*. *Darapti*, *Datissi*, ad *Darii*. Cæteræ consonantes S. P. M. quæ post primam sequuntur, immutationem in propositionibus faciendam demonstrant. Nam S. significat propositionem indicatam per vocalem mox præcedentem, convertendam esse simpliciter: P. per accidens: M. mutandas esse loco præmissas. Sicubì C. reperitur argumento, est modum illum carere reductione directa, et ad indirectam confugiendum esse. Hæc omnia disticho comprehensa sunt memoriæ causa.

*S. vult simpliciter verti, P. vero per accid.*
*M. vult mutari, C. per impossibile duci.*

En vobis exemplum: reducendus sit octavus modus primæ figuræ qui *Fapesmo* dicitur.

A. *Omne animal est substantia;*
E. *Nullus lapis est animal:*
O. Ergo *aliqua substantia non est lapis.*

Major propositio quam denotat A, convertenda est per accidens propter consonantem P, quam præcedit, hoc modo; *Aliqua substantia est animal.* Minor quam denotat E, quia præcedit consonantem S, convertenda est simpliciter hoc modo; *Nullum animal est lapis.* Demûm, consonans M. indicat invertendas esse præmissas hoc modo:

E. *Nullum animal est lapis;*
I. *Aliqua substantia est animal:*
O. Ergo *aliqua substantia non est lapis.*

Habetis modum perfectum *Ferio*, ad quem revocandus erat *Fapesmo* propter consonantem *F* in utrôque primam. Interdùm una tantum propositio immutanda est; v. g. cum *Cesare* revocandus est ad *Celarent*; tunc autem ubi eidem, jam immutatæ, aliæ non immutatæ addun-

tur, absoluta est reductio. Et de ea quidem, quæ *ostensiva* seu *directa* dicitur, hactenùs.

Reductio *indirecta* seu *ad impossibile*, locum habet in omnibus modis tum secundæ, tum tertiæ figuræ, tum etiam primæ, si quis tam audax sit ut nè illos quidem habere ratos velit, sed pertinet maximè ad *Baroco* et *Bocardò*, qui per directam reduci utiliter nequeunt. Fit autem hac ratione. Si quis concessis præmissis neget conclusionem (quod fieri solet cum reprehenditur syllogismus tamquam ineficax), negatæ conclusionis sumitur contradictoria. Hæc in prima figura ponitur loco majoris, et quæ erat major syllogismi loco minoris; excipitur modus *Celantes*, in quo minor assumitur pro majore. In secunda figura major servatur, et contradictoria conclusionis ponitur loco minoris. In tertia figura minor suo loco servatur, et contradictoria fit major; atque inde oritur syllogismus, cujus conclusio est opposita alterutri ex præmissis jam concessis. Itaque adversarius compellitur ad impossibile, quia cogitur concedere duas contradictorias esse simul veras contra principium illud: *Impossibile est idem esse ac non esse.* Exemplo res clarior fiet, proposito hoc syllogismo in *Festino.*

E. *Nullum peccatum est laudabile;*
I. *Aliquod odium est laudabile:*
O. Ergo *aliquod odium non est peccatum.*

Si quis concessis præmissis neget conclusionem, sumam ejus contradictoriam; Omne odium est peccatum, ex qua cum majori retenta, quia syllogismus est secundæ figuræ, perfectum syllogismum in *Celarent* conficiam hoc modo.

E. *Nullum peccatum est laudabile;*
A. *Omne odium est peccatum:*
E. Ergo *nullum odium est laudabile.*

Atqui conclusio hæc contradicit minori illi prioris syllogismi; *Aliquod odium est laudabile*, jam ab adversario concessæ: erunt igitur per illum veræ duæ propositiones contradictoriæ, quod est impossibile. Latini homines, qui his de rebus elegantius scribunt, non dicunt reducere *ad impossibile*, *sed urgere incommodo adversarium:* Incommodum autem in eo est, quia cogitur sibi ipsi adversari. At de reductione syllogismorum satis multa diximus. Fusius, suo sæculo consulens, agit de illis Aristoteles lib. 2. prior. Analyti, unde pauca hæc sumpsimus, ut consuleremus nostro; cui quidem non abs re erit, si quod Canus obsecrat lib. 9. cap. 1. *utilia habeantur ista, non ut ornamenta virorum, sed ut exercitamenta puerorum.*

§. 2.

*De syllogismis complexis, eorumque analysi instituenda.*

Cum syllogismus, suaptè natura

simplex, ex propositionibus complexis constat, *complexus* dicitur. Hujusmodi syllogismi iisdem omninò legibus ac syllogismi incomplexi reguntur; quamobrèm propositiones *principales ab incidentibus* acuratè secernendæ sunt, utræque autem ad incomplexas revocandæ et recto ordine efferendæ, quatenùs appareat cujusnam sint figuræ, interdùm enim medium præposterè collocatur et videtur esse prædicatum, cum tamen sit subjectum; interdùm idem extremis accidit, præsertìm ubi conclusio *modali* aliqua propositione incidenti turbatur. Sint exempla: *Deus jubet ut diligamus inimicos; Titius est nobis inimicus:* ergo *eum diligere debemus.* Syllogismus iste, verba dumtaxàt reputantibus, videtur esse in secunda figura; in quâ ex puris affirmativis, ob medium non distributum, nihil rectè concluditur. Si autem singulæ ejus propositiones evolvantur, et recto ordine efferantur hoc modo: *Inimici sunt diligendi, et Deus id jubet;* sed *Titius est nobis inimicus:* ergo *Titius diligendus est, et Deus id jubet*: é vestigio apparebit eum esse in primo modo primæ figuræ; sicque rectè atque evidentèr concludere. Rursus: *Necesse est diligere inimicos; Titius est inimicus:* ergo *eum diligere necesse est.* Effer recto ordine incidentem modalem *necesse est*, á principali separando hoc modo: *Inimici sunt diligendi, et hoc necessariò faciendum est;* sed *Titius est inimicus:* ergo *Titius diligendus est, et hoc necessariò faciendam est:* habebis syllogismum primæ figuræ.

Non placent hæc auctoribus *Logicæ Portus Regii*, quibus complexi non sunt syllogismi quicumque propositionibus complexis constantes; sed ii dumtaxàt, qui conclusionem complexam habent, cujus prædicatum vel subjectum non effertur integrum in præmissis, sed ex parte. Hujus rei exemplum ponunt syllogismum istum: *Sol est res insensibilis;* sed *Persæ adorant Solem:* ergo *Persæ adorant rem insensibilem.* Ubi prædicatum conclusionis *adorare rem insensibilem,* non comparatur ex integrò in majori cum medio, nempè *Sol.* At oppidò falluntur prædicti authores, non enim hâc de causâ complexus est adductus syllogismus, sed quoniam conclusio propositiones duas complectitur, alteram *principalem,* alteram *incidentem.* Nempe: *Persæ adorant rem aliquam, et hæc res est insensibilis*, quas etiam in majori exprimere deberet, si quis vellet ex immediatioribus arguere hoc modo: *Quicumque adorant Solem, adorant rem insensibilem; sed Persæ adorant Solem:* ergo, &c. Propositio itaque illa *Sol est res insensibilis*, est ratio probans majorem hujus postremi syllogismi, quæ

in priori illo, brevitatis causa et quoniam suppleri facillimè potest, suppressa fuit, ut patet si quis diceret: *Sol est res insensibilis; ergo quicumque adorant Solem, adorant rem insensibilem.* Quamobrem implicitum Epicherema est prior ille syllogismus, sed verum tamen. Porro contingit sæpiùs, ut qui verbo disputant, vehementia imaginationis abrepti probationem mediatam loco immediatæ proferant, sic enim sibi videntur ad victoriam citìus perventuri: tunc autem callidus concertator facile elabitur, et quâ datur viâ, argumentum et arguentem eludit. Cavendum ergo á vehementia disputationis, et sedatè arguendum semper ex immediatis propositionibus; iis enim ordine adhibitis, disputatio et clarior est, et efficacior. Hæc obitèr: Ad artem cogitandi redeamus.

Mirum est quantum operæ et laboris insumant ejus authores, in his de quibus agimus non explicandis, sed obscurandis. Videlicet inquiunt (3. p. cap.9.) vulgares Logicæ, non ferendo abusu, multis disserunt de syllogismo *simplici*, cujus ferè nullus in disputando est usus; de syllogismis autem complexis, qui frequentissimè adhiberi solent, vix agunt, aut ne vix quidem. Fusè itaque citato loco complexorum syllogismorum naturam explicant, lectoresque suos solicitant ut locos consulant, in quibus de terminis et propositionibus complexis plurimis disserunt foliis. Locos istos nos consuluimus, ut morem eis geremus; sed aha! Ubi de propositionibus et terminis complexis multis agunt, multa etiam illi complectuntur, quibus viam sternunt lubricæ illi atque improbatæ distinctioni juris et factì circa sensum propositionum, quas Ecclesia damnat. »In judicio, inquiunt p. 2. »cap. 6. circa opinionem alicujus »Philosophi, v. g. circa opinionem »Lucrecii de natura animæ nostræ, »duo judicia acuratĕ distinguenda »sunt, *principale unum et doctri*»*nale*, *incidens alterum et histo*»*ricum.* Principale est illud: Doc»trina de anima, quæ dicitur esse »Lucrecii, est vera vel est falsa. »Incidens est illud: Lucretius verè »docuit illam doctrinam, vel fal»sum est quod illam docuerit." Quid vobis videtur? Appello vos, ó Magistri et sapientes, quibus cura formandæ juventutis incumbit: nostis scandala ex prædicta distinctione orta. Cavete ergo ne Logica adeo vafrè scripta, scandalizèt aliquem ex pusillis istis, quorum curam geritis.

§. 3.

*De syllogismo composito.*

Syllogismus *compositus* est ille, cujus propositio seù major duabus partibus constat, quarum alte-

ra totam conclusionem comprehendit, altera causam ejus. Triplex est: *hypotheticus* seu *conditionalis*, *conjunctivus*, et *disjunctivus*.

Syllogismus hypotheticus seu conditionalis, quem Cicero connexum vocat, est ille, cujus major duas partes contínet copulatas per particulam *si*. Ut rectè fiat, si sit ajens, hoc est si conclusio sit affirmativa, regi debet hoc canone: *Posito antecedenti, ponitur consequens*. Ex. gr. *Si justitia est, virtus est; sed justitia est: ergo virtus est.* Si sit *negans*, hoc est, si conclusio sit negativa nititur hac regula. *Sublato consequenti, tollitur antecedens*. Ex. gr. *Si justitia est, virtus est; sed virtus non est: ergo justitia non est.* Dum ergo in affirmativo, posito consequenti colligitur antecedens, rectè non concluditur; ut si quis dicat: *Si justitia est, virtus est; sed virtus est: ergo justitia est.* Hoc fallaciæ genere peccant hodie, qui res naturales ex arbitrariis hypothesibus probare solent hoc modo: *Si mundus constructus est ut putat Cartesius, rectè se habet; sed rectè se habet: ergo ita constructus est ut putat Cartesius.* Similiter deficit syllogismus negativus, si sublato antecedenti tollatur consequens; ut si quis dicat: *Si justitia est, virtus est; sed justitia non est: ergo virtus non est.*

Porrò si rationem prædictarum regularum expostulas, in promtu illa est é Dialecticæ penu desumpta. *Consequens* apud Dialecticos dicitur, quod necessariò consequitur alterum. *Antecedens* verò, quod necessariò antecedit atque infert. Porrò hoc modo se habent genus et species, quæ se mutuò antecedunt et consequuntur pro vario efferendi modo. Nam ajendo, genus consequitur speciem, ut *si justitia est; virtus est: Si homo est; animal est.* Negando species consequitur genus, ut *si virtus non est; justitia non est: Si animal non est; homo non est.* Quod si antecedens et consequens reciproca sunt, et alterum ex altero promiscuè inferatur, nullum discrimen erit inter syllogismos affirmativos et negativos: v. g. *Si homo est, rationalis est*, &c. Verùm enimverò, in syllogismo hypothetico affirmativo major aliquando negativa est: sed tum quidem genus præcedit; in minori autem sumitur id quod habet rationem speciei, ex qua cum affirmando consequatur genus, rectè concluditur; ut: *Si non est resurrectio mortuorum, neque Christus resurrexit, Christus autem resurrexit; est igitur resurrectio mortuorum.*

Syllogismus *conjunctivus* est ille, in quo major propositio est negativa, et duabus partibus constat copulatis per particulam *et*; ex. gr. *Nemo potest Deo servire et mammonæ; sed multi serviunt mammo-*

*næ :* ergo *multi non serviunt Deo.* A positione unius partis ad positionem alterius rectè concludit hoc syllogismi genus, at non é contrario, nisi in reciprocis.

Syllogismus *disjunctivus* est ille, in quo major propositio partibus constat disjunctis per particulas *vel*, *aut*, hisque similes ; ita quòd vel una pars affirmetur ut altera negetur, vel una negetur ut affirmetur altera ; v. gr. *Aut nox est, aut dies est ; sed nox est; ergo dies non est : vel sed nox non est ; ergo dies est.* Peccant hujusmodi syllogismi, si inter extrema disjunctionis cadat medium. Peccant rursus, cum particula *non* in majori non negat, sed terminum facit infinitum ; in conclusione autem negat, ut siquis diceret : *Aut es homo, aut non es homo* ; Sed *es homo :* Ergo *non es homo* : *Non homo* enim est terminus infinitus in majori, quæ sic efferri deberet : *aut es homo, aut es non homo ;* conclusio autem *Ergo non es homo,* est propositio negativa. Porro, si membra sunt plusquam duo, tunc si unum affirmatur, reliqua debent removeri, et è contrario ; si verò unum removeatur reliqua affirmantur disjunctivè : v. gr. *aùt es ingenuus, vel libertus, vèl servus; non ingenuus,* ergo *libertus, vel servus.* Si quis verò syllogismos tum conjunctivos, tum disjunctivos diligentèr expenderit, facilè deprehendet eos *conditionali* syllogismo æquivalere, et in eum resolvi posse.

Excessimus autem modum fortassè, nos tam multis de syllogismo disserentes ; sed eò venia digni, quod absque illius plena cognitione, Logicum arbitramur esse, aut dici posse neminem. Restat, ut sicut ab initio promissimus, de methodo pauca agamus, ne methodo recentiorum omnino adversari videamur. Sit ergo.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

## CAPUT XII.

### *De Methodo.*

§. I.

*Quid et quotuplex sit methodus.*

Methodus græcè, latinè reddi potest ; *via brevis et expedita inveniendæ atque explicandæ veritatis, ea ratione, ut priora posterioribus lucem effundant.* Methodus itaque differt ab *ordine*, quia *ordo* facit ut rem unam discamus post aliam, *methodus* ut unam per aliam.

Duplex est *methodus :* altera *libera*, quæ á judicio scribentis et loquentis pendet, et pro rerum ac temporum varietate variari solet, cujusmodi est Poetarum, atque Oratorum methodus ; altera *legi-*

*bus adstricta*, quæ ad Dialecticam pertinet. *Methodus poetica*, et *oratoria* nihil est aliud, quam prudentia quædam per totam orationem fusa, quæ quidem prudentia non caret arte. *Methodus Dialectica* est, quæ adhibitis sciendi instrumentis, definitione, divisione, argumentatione res investigat, atque enucleat. Hinc *simplex* dicitur, si quæstiones simplices, ex. gr. *quid*, *vel quotuplex res sit* definiendo ac dividendo explicet; si vero quæstionem compositam *qualis sit* argumentando resolvat, *composita* vocatur. Illa primam mentis operationem regit, id est simplices perceptiones et explicationes, hæc secundam et tertiam, id est judicia et ratiocinationes: porrò ad eam revocatur *methodus* illa, quam *Geometricam* quidam vocant, quidam verò *methodum definitionis*; cum prius vocabula definiendo explicentur, deinde axiomata ponuntur, postremò argumentationes conflantur vel firmæ vel infirmæ, pro varia rerum natura et conditione de quibus disputatur.

*Methodus* simplex in *analyticam*, et *syntheticam* rursus dividi solet, hoc est in eam quæ *dissolvit*, et eam quæ *componit*. Illa ex uno facit plura; hæc ex pluribus facit unum. Nomina derivata sunt á græcis vocibus *analysi*, et *synthesi* in Geometria solemnibus, quæ *compositionem*, et *resolutionem* significant. *Methodo* itaque *analytica* á compositis ad simplicia progredimur: *methodo synthetica* á simplicibus ad composita, quemadmodùm enim composita ex simplicibus constant ita in simplicia resolvuntur.

Hinc patet *Synthesim* seu compositionem esse, cum progredimur, 1.° á rerum elementis ad res ipsas: 2.° á partibus ad totum: 3.° ab universalibus ad minus universalia, vel etiam ad singularia: 4.° á mediis ad finem: 5.° á causis ad effecta. Hæc in Scholis vocatur *methodus naturæ et prioritatis*, siquidèm imitatur naturam quæ in rerum genesi, simili prorsùs modo progredi videns.

*Analysis* seu resolutio oppositam terit viam, ideoquè procedit, 1.° vel é rebus ipsis ad earum elementa, 2.° vel á toto ad partes, 3.° vel á singularibus, seu concretis ad universalia et abstracta, 4.° vel á fine ad media, 5.° vel ab effectibus ad causas.

Hæc sunt quæ de natura et speciebus *methodi* veteres Philosophi plerique omnes docuere. Condilliacus verò, qui omnes illos parvipendit; qui novos quamvis Geometras dedignatur; qui scientias nihil esse nisi *exactas linguas* putat: Condilliacus inquàm, qui se unicum analyticum jactat, et analysim ubique crepat, notionem *analysis* prorsus evertit, ut in sequenti paragrapho patebit.

§. 2.

*In quo ostenditur, cavendum esse á methodo quâ utitur Condilliacus.*

Eversam fuisse funditus á Condilliaco utriusque *methodi* notionem, statim videre potest quicumque ad manus habeat ejus Logicam hispanè versam. Ibi enim pag. 139. absque ambagibus docet, quod *componere, et resolvere, non modò ad synthesim pertinent, verum etiam ad analysim. Absurdè inquit cogitaret, qui hæc duo se mutuò excludere opinaretur: vel posse ratiocinari quempiam, qui ab alterutrâ ex his duabus viis recedere decrevisset.* Verbo: sic se explicat: *Hæc duo eò solo inter se differunt, quod analysis semper benè incipit, synthesis semper malè.* Hactenùs analyticus iste, qui sentire cum aliis ineptum ducit, ac putidum.

Deinceps vero per apertos ab ipso tramites ad avia plura connititur. Tota ejus doctrina, in compositione et resolutione idearum est posita. Ideas, quô nomine sensationes intelligit (1. p. Log. cap. 3.), in simplices et compositas dividit. Compositas rursus solvit in simplices; Et istas, Epicureorum more, ex perspicua rerum impulsione in sensus nostros, certitudinem suam haurire constanter tenet. Neminem statuit rectè loqui, nisi noverit ideas suas componere, et dissolvere: cumque tota hæc ars, eô docente, externorum sensuum et memoriæ sit propria, eam vulgo notam esse putat, adeò ut vel *puellæ sarcinatrices* (ut ipse loquitur pag. 24.) eâ utantur, cum vestis ab eis exigitur ad normam alterius consuenda.

Quorsùm hæc autem, nisi ut ejus discipuli discrimen inter sensum, et intellectum paulatim obliviscantur? Nam (1. p. cap. 7.) ideas omnes, et facultates animæ rationalis ad imagines sensuum et memoriæ, et ad facultatem sentiendi reducit. Part. 1. cap. 1. sensationes é necessitatibus petit. Ibidem cap. 8. necessitates é bonis delectabilibus derivat. P. 1. cap. 6. Leges è necessitatibus sumit, indeque infert moralitatem esse conformitatem actionum cum his legibus. Quid ex hac gradatione sequatur nemo non videt, purus putusque Epicureismus.

Ecce ergo præposteram Condilliacci *analysim* intelligentiæ, sive habitui primorum principiorum substitutam; ut ab illa, non ab istis scientiæ deriventur. Ideo enim (cap. 9. Art. Cog.), *Syntheticos* vocat Philosophos omnes et Geometras, qui conclusiones scientiarum ex principiis universalibus colligunt. Si quando igitur ex ejus sectatoribus quispiam, te ad disputandum de *methodo* provocet; cura diligenter,

ut verus quæstionis status perspicuè ante omnia figatur : hic enim esse debet : ¿ Scientiæ resolvuntur nè in principia universalia per se nota, quod cum Aristotele, et D. Thoma Scholæ docent ; an in visa Epicuri, hoc est, in impulsiones rerum externarum in sensus nostros, quod Condilliacus, juniorum analyticorum coripheus, contendit ?

Cum hæc audierit, qui te verborum involucris subvertere optabat, statim nisi malè conjicimus, retrogredietur ; sicquè de rebus Logico altioribus respondere non teneberis. Nec enim hoc loco alia de causa de his te monitum voluimus, nisi ut te á consuetudine eorum, quorum sermo ut cancer serpit, averteremus. Sciens ergo viam pravam á qua fugias, audi nunc quam tenere debeas.



# CAPUT XIII.

## *In quo statuitur methodus in scientiis comparandis adhibenda.*

Scientias bifariam comparari posse, docet D. Thomas (q. 11. de ver. a. 1.), vel per inventionem, vel per disciplinam. »Quando naturalis ratio, *inquit*, per seipsam »devenit in cognitionem ignotorum, »hic modus dicitur inventio. Quan»do rationi naturali aliquis exterius »adminiculatur, hic modus dicitur »disciplina." Sunt á Junioribus quàmplures, qui *analysim* ad inveniendum, *synthesim* ad docendum omninò requiri arbitrantur. Unde illam *methodum inventionis ;* hanc *doctrinæ methodum* appellant. Sunt alii, qui tàm in inveniendo, quàm in explicando solam methodum *analyticam* adhiberi volunt, eâ ratione ducti, quod scientiæ eâ sola via ritè doceri possunt quâ fuerunt inventæ. Unde cum solâ *analysi* eas inventas putent, *synthesim* tamquam scientiarum progressui inimicam aversantur. Nos sententiam D. Thomæ tribus propositionibus declaramus.

1.ª Prop. *In scientiis tam docendis quam inveniendis, utraque methodus suas partes obtinet.*

2.ª *Inventio veritatis in conclusionibus scientificis pendet á synthesi, cognitio autem primorum principiorum per analysim habetur.*

3.ª *In docendo, per synthesim demostrantur conclusiones ; et per analysim explicantur principia.*

Ad primam propositionem quod attinet observa, nos non requirere *synthesim* simul et *analysim* ad unamquamque scientificam ratiocinationem, sicut Condilliacus, sed ad diversas ; duas enim esse cujuscumque disciplinæ partes exploratum est ; alteram in qua principia

per se nota tamquam fundamenta jaciuntur; alteram, in qua ex principiis positis, ad ea quæ sunt inde consequentia proficiscimus. Hoc prænotato

Secundam propositionem sic paucis declarat D. Thomas (1. post. lect. 3.) »Duplex est modus ad»quirendi scientiam, unus quidem »per demonstrationem, alius autem »per inductionem. Differunt autem »hi duo modi, quia demonstratio »procedit ex universalibus (en syn»thesis), inductio autem procedit »ex particularibus, en analysis.

Idem docet (1. p. q. 79. a. 8.), »Ratiocinatio humana *inquit*, se»cundum viam inquisitionis vel in»ventionis procedit á quibusdam »simpliciter intellectis, quæ sunt »prima principia (En Synthesis): »et rursùs in via judicii, resolven»do redit ad prima principia (En »analysis), ad quæ inventa exa»minat."

Scientiarum igitur inventores duo quærentes, oppositis viis incessére, á particularibus nempè ad universalia; ut invenirent principia et ab universalibus ad particularia, ut demum conclusiones agnoscerent.

Tertia propositio planè infertur ex secunda. Docet enim Doctor Angelicus (q. 11. de ver. a. 1.), *quod eodem modo docens alium ad scientiam ignotorum deducit, sicut aliquis deducit seipsum in cognitionem ignoti*. Doctor itaque rectæ methodi sibi conscius; primò, principia discipulis non utcumque proponit, sed explicat per exempla sensibus manifesta, et per singularium inductionem; eô prorsus modo, quô ipse ad eorum cognitionem pervenerat, id est per *analysim*. Deinceps vero, principiis bono in lumine positis, et addiscentium captui accommodatis, ad alteram disciplinæ partem progreditur; atque ex ipsis et veritates minus universales ratiocinando concludit, et falsitatem propositionum principiis repugnantium argumentando demonstrat. Utroque autem hoc modo *Synthesis* adhibetur. In docendo ergo *synthesis* et *analysis* locum habent.

Fallitur ergo Baldinottus, qui (lib. 3. §. 352. not. 1.) Peripateticos, ex ignorata humanæ cognitionis *analysi*, abstractis solum universalibusque principiis scientias superstruxisse obgarrit. Addiscat nostram sententiam antequam nobis detrahat. Abhorremus utique ab illis, qui, ut ipse refert, *Philosophiam sola experimentali methodo tractandam censuerunt*. Sola inquàm; nam et hanc *methodum* nos etiam, cum opus est, adhibemus ad cognoscenda principia ut demonstratum est ex D. Thoma. Verùm ad deducendas conclusiones, quibus fallacem experientiam ad judicium vocamus, principiis utimur. Horum autem *authoritatem* qui aggredi

conantur ( quod de recentioribus ferè omnibus post Lockium testatur ipse ), videntur nobis *signatum super nos lumen vultus Dei* velle extinguere. Sed hæc fusius Libro tertio persequemur. Recole interea quæ de inductione diximus cap. IX. §. 3.

## CAPUT XIV.

### *Ubi statuuntur leges in quærenda veritate servandæ.*

Docendæ atque explicandæ veritatis regulæ ad institutum nostrum spectare non videntur. Tyronibus enim scribimus non Præceptoribus; qui utiquè exercitatione ipsâ, et zelo disciplinæ, perfectius sibi illas comparabunt, quam possímus nos speculando exponere. Ratio autem sive methodus demonstrandi veritatem in IV. libro fusius exponenda est. Hoc ergo loco tres tantum vias monstrabimus, per quas rectè incedant tyrones omnesque scientiarum candidati, ut veritatem quam quærunt inveniant. Sunt autem 1.ª Meditatio. 2.ª Lectio Librorum. 3.ª Disputatio. Sit ergo

§. I.

*In quo traduntur regulæ veritatis inveniendæ per meditationem.*

Qui ad veritatem investigandam se meditationi accingit, has leges observet: *Prima*, ut frequenti memoria repetat, quæ cap. III. de attentione diximus. *Secunda*, ut mentem præjudiciis et præoccupationibus vacuam meditando servet. *Tertia*, ut ingenium adferat veris justisque meditandi causis prudentèr intentum: *illi enim qui volunt inquirere veritatem*, ait D. Thomas ( 3. Metaph. lect. 1. ), *non considerando prius dubitationem, assimilantur illis, qui nesciunt quo vadant*. *Prudenter* autem diximus, mox enim contra universalem Cartesii dubitationem dicendum est. *Quarta*, ne quid prius aut plus judicet quam perceperit, aut percipere possit. Nam ut monet S. Thomas ( 1. Ethic. lect. 1. ), *ad hominem benè instructum pertinet, ut tantum certitudinis quærat in unaquaque materia, quantum natura rei patitur*. *Quinta*, ne authoritati plus tribuat quam oporteat, et recta ratio postulet: meditatur enim, ut veritatem suis oculis non alienis videat, si oculos habeat ad videndum satis aptos; nam qui minus videt, oculatiori plusquam sibi fidere oportet. Atque ut id obitèr dicamus,

hoc consilio veri Divi Thomæ discipuli doctrinam ejus sequuntur, probè scientes neminem eam non amare, nisi qui vel prorsus illam non novit, vel tantum á limine salutavit. Ne ergo æmuleris Philosophos, qui dicuntur *Ecclectici*: Hi enim, ut ait Facciolatus (in Epist. præmissa Institutionibus), *idem ferè faciunt atque illi, qui libera Religionis arbitria poscunt vagantes in incertum, diversoria multa habent, domum nullam.* Publica philosophandi forma necessaria est.

Præter has regulas generales, speciales alias in decursu Logicæ ad meditandum accipies. Progrediamur itaque.

§. 2.

*In quo traduntur regulæ ad veritatem investigandam per Librorum lectionem.*

Studiosus laboris patiens librosque è manibus non dimitens, ad apicem scientiarum perveniet, si has leges observet. *Prima*: Abstineat omninò á lectione librorum, qui Religioni, pietati, bonisque moribus adversantur; in quibus abs dubio habendi sunt, qui vel ab Ecclesia, aut á legitimis Potestatibus vetiti extant; vel quos Præceptor eruditus ac pius, tamquàm perniciosos, sive periculosos è discipulorum manibus evellendos monet.

*Secunda*: Servet diligenter quod ex veteri proverbio docebat Plinius (lib. 7. epist. 3.), ut scilicet *multum potius, quam multa legat.* Vitiatur quippè animus pravis libris, turbatur multis. Idem præcipitur, ni fallimur postremo capite Ecclesiastes, cujus voces non sunt obliviscendæ: *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi.... His ampliùs, fili mi, ne requiras. Faciendi plures Libros nullus est finis.*

*Tertia:* Meditationem lectioni perpetuo fædere sociare necesse est. Confussionem enim parit, inquit Seneca, lectio promiscua, cui meditatio non accedit. Meditationi adjungantur adversaria ut insinuavimus cap. III. §. 4., in quibus scribas potissima quæque legeris, et intellexeris; vel etiam extracta, quæ dissertationes integras, imò librum aliquem rariorem contineant. *Sæpe enim*, inquit S. Augustinus (lib. 4. de ani. et ejus orig. 7.), *nos præsumimus aliquid memoria retenturos: et cum id putamus non scribimus; nec nobis postea cum volumus venit in mentem, nosque pœnitet credidisse venturum, vel litteris non illigasse ne fugeret.*

*Quarta:* Historiam litterariam, cum per ætatem liceat colere oportet: et antequam id liceat, quærere á sapientibus nùm liber qui legendus offertur selectus sit, an tinea dignus? nùm probati autho-

ris, an contempti? num sibi utilis an inutilis? Si utilem, probatum, et selectum nanciscatur, eum opus est *nocturna versare manu, versare diurna*; fierique, ut ita dicam, hujusmodi librorum helluonem.

*Quinta:* Artes *Criticam* et *Hermeneuticam*, postquam in facultate quam profitetur perfectè instructus sit, in subsidium advocabit. De his fusè agit P. Roselli quæst. XXV. Nos, nec verbum ullum, longè enim sumus ab hypercritici Genuensis sententia, qui criticen cum Logica vel confundit, vel saltèm commiscet.

*Sexta:* Caveat ne ingenii sui vires inutiliter obtundat in extricando libri alicujus obscurioris sensu, nisi fortè ad hoc eum cogat præceptum aliquod ad bonum Ecclesiæ, vel Reipublicæ sibi impositum. Sicut enim sunt Scriptores plures qui obscurè loquuntur, quòd alitèr nequeant; ita sunt alii qui obscurius scribunt, quòd alitèr nolint. Quicumque obscuritatem vitare et proficere in litteris cupiat, legat opus est elegantissimam Facciolatti Acroasim, quam inscripsit de *Obscuritate in disputando*.

## §. 3.

### *Qui regulas continet inquirendi veritatem per disputationem.*

Scholasticæ exercitationes, quæ more majorum institutoque habentur, dupliciter fieri consueverunt; *Dialogis* et *syllogismis*. Utroque modô disputatum est á veteribus non solum Philosophis, sed etiam Theologis. Verùm post natam Scholam mos syllogismorum prævaluit, præsertim cum ludicra hæc certamina verbis aguntur: nam cum scriptis, etiamnùm viget hodie *Socratica* illa *methodus* disputandi per *Dialogos*. Quod ad nos attinet, mox Syllogismorum causam contra Philosophos novos defendendam suscipiemus; eorumque methodum cæteris esse utiliorem, tum ad scholasticas Academiarum exercitationes, tum ad veritatem inquirendam, demonstrare conabimur.

Cæterùm vehementer optamus, ut in his quoque exercitationibus aliquis detur locus *Dialogis*. Enimverò, quamvis syllogismus sit præcipuum, non est tamen unicum *instrumentùm sciendi*. Etiam definitio et divisio hoc titulo donantut ab omnibus. Cur ergo in consuetis Scholæ exercitiis, in quibus Candidatòrum memoria, ingenium, intelligentia, judicium, discursus, et quod caput est applicatio examinantur; non sunt instituendi Dialogi, in quibus vel mutuò se illi interrogent, vel á Præceptoribus interrogentur de *definitionibus* et *divisionibus* rerum et verborum, et de aliis benè multis; que absque

argumentis, et disputatione in qualibet Facultate docentur, et memoriæ commendantur? Cur ad periculum in his omnibus doctrinis publicè faciendum non sunt adigendi adolescentes? Nonnè earum notitia ad ritè disputandum, imò ad sciendum, est necessaria? Dividatur igitur tempus, quod in litterariis exercitiis insumitur; et pars, quamvis major, Syllogismis detur, pars definitionibus et divissionibus concedatur. Sic tenaciùs hærebunt memoriæ ea, quibus tota vitâ et in omni disciplina indiget vir eruditus et sapiens. Verùm hæc viderint quorum interest. Nos ad nostras disputandi regulas veniamus. Harum quædam utrique ex disputantibus sunt *communes*; aliæ *opponentis* propriæ, aliæ *respondentis*.

Communes sunt: *Prima*: ut paccato animo, et ab omni perturbatione libero, urbanis politisque verbis disputationem instituant: caveantque diligenter, nè ob partium studium, vel cavillandi pruriginem, vel pertinatiæ tumorem, vel inanis gloriæ afectum disputatio crescat in altercationem, et exinde lites oriantur. *Servum* enim *Dei*, ait D. Paulus (2. ad Tim. 2. v. 24.), *non opportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* In quem locum D. Thomas: *Quæstiones*, inquit, *in tantum sunt amandæ, in quantum ducunt ad veritatem, per hoc quod oportet, quod omnes unum dicant.*

*Secunda*: Utrique sollicitudo erit conveniendi in principiis; nam si in eis disentiant, perperàm et inutiliter disputabunt: et proverbium est, *contra negantem principia non esse arguendum.*

*Tertia*: Tollatur æquivocatio, ac omnis vocum rerumque ambiguitas, ita ùt utraque pars rem propositam, et statum quæstionis benè intelligat.

*Quarta*: Caveant ambo ne tangantur problemata illa, quæ si quis tangat, auctore Aristotele (Lib. Top. I. cap. XI.), vel in crimen venit, vel sensu carere dicitur. Digna est quæ ab omnibus legatur Acroasis Facciolati, cui titulus: *De quo quærendum non sit*, cujus summa est: 1. Nonnisi sub certis limitibus de Dei cultu, et amore Parentum posse disputari. 2. Absurdum esse in quæstionem vocare, quæ sensibus aptè dispositis clarè percipiuntur. 3. Signum esse insipientiæ, vel nimis plana et explicata, vel nimis recondita et implicata disputationibus agitare.

Propriæ opponentis leges sunt novem. 1. Non incipiat á propositionibus vagis. 2. Caveat á syllogismis implicatis et longis. 3. Abstineat ab argumentis quæ nimis probant. 4. Non probet quod respondens non negat, sed semper in conclusionem deducat propositio-

nem ultimo negatam. 5. Non dicat illum dixisse, quod non dixit. 6. Non concludat id, quod quamquam concedatur, nihil facit ad rem. 7. Non mutet medium sivè argumentum, quod ab initio assumpsit. 8. Poterit tamen ostendere, Respondentem sibi contradixisse. 9. Abstineat ab argumentis, quæ invidiam, et despectum respondenti creare possint.

*Respondentem*, Genuensis (Art. Log. Crit. lib. 5. cap. X.), Gravesandus (Introduct. ad Phil. p. 2. cap. 19.), aliique Juniores methodum mathematicam in rebus Philosophicis affectantes, á munere suo, et á legibus disputantium eximunt. Ubi enim propositam Thesim se demonstrasse credunt, antythesi valedicunt; neque de ulla difficultate quæ adversus thesim philosophicam, quam demonstrasse falsò putant, proponi posset, vel minimum sunt solliciti. Si quis autem eos urgere velit, reponunt se non scholastico et contentioso, sed mathematico more agere. Ita sophistis antico more agere. Ita sophistis ansam præbent, ut quidquid in buccam venit eructent. Quò fit, ut cum incauti, simplices, et semieruditi illos audiunt, errores absque objectionibus propositos axiomatum loco habeant. Attendite Adolescentes ab hoc fermento. Veritas, etiam demonstrata, objectionum solutione redditur splendidior.

Respondentis ergo leges sunt etiam novem. 1. Ut consideratâ et bene perspectâ vî argumenti, respondeat *nego*, vel *concedo*, vel *distinguo*, et nihil amplius. (Recolenda quæ diximus cap. x.) 2. Poterit interdùm propositiones (quamtumvis falsas aut dubias) *permittere*, cum scilicet ex his, nihil contra thesim quam propugnat potest concludi ab opponente. 3. Non debet probare quod negat, scire tamen debet quare negat. 4. Non sufficit pro solutione argumenti adferre absurdum quod ex eo sequeretur, nisi argumentum sit manifestum sophisma, cui *solutio fucata* adhiberi potest, ut suo loco dicemus. 5. Non satis est proferre rationes, quibus nititur propositio impugnata, si rationes illæ vim argumenti non infirment. 6. Argumentum non solvit, qui difficultati objectæ aliam difficultatem objicit. 7. Perperàm respondet, qui arguentem in aliam quæstionem callidè injicit. 8. Non sufficiunt Respondenti propositiones illæ generales: *multa ignoramus; non possumus omnia intelligere*. 9. Debet abstinere á doctrinis, quæ ad argumenti solutionem non pertinent. Qui contra fecerit vitium incurret, quod S. Hieronymus (in Epist. ad Occean.) *Pisonianum* appellat, quia Piso ille, cum vix loqui posset ob linguæ balbutiem, tacere nesciret. Eodem vitio peccant sæpè hæretici, et sæpissimè nullius

Religionis homines.

Hactenùs leges explicuimus, quæ nobis visæ sunt in quærendâ veritatê servari opportere. Omnes illæ ad Dialecticæ usum referuntur. Nec eas improbaret, ut opinamur, Illustrissimus Melchior Canus, qui lib. 9. cap. 1. de quibusdam nostrorum veterum quæritur, quod *de usu Dialecticæ non fecerint ne verbum quidem ullum.* Age igitur; ipsum quantum in nobis sit æmulemur, qui postquam de Locorum usu disseruit, tria adjecit ejusdem usus exemplaria. Nos duo tantum adducemus.



## CAPUT XV.

### *In quo quæritur, utrùm ad exuenda præjudicia admittenda sit á Logicis methodus Cartesiana*, seu dubium de omnibus, *quod Juniores vocant* methodicum?

Videantur ad conferendum. Rosselli. Jacquier Inst. Philos. Log. p. 2. cap. 3. a. 2. n. 4. Genuensis Art. Log. lib. 5. cap. 5. §. 5. et Lugdunenses.

Status quæstionis hujus implicatior est quàm ipsa quæstio. Quare ne in incertùm pugnemus, oportet perspicuis verbis et notionibus eum aperire et explicare. Non disputamus hoc loco adversus rigidos Scepticos, sive *Aporeticos*: cum eis enim congrediendum nobis est tum in Libro III, in quo primorum principiorum certitudinem et evidentiam statuemus; tum in IV, ubi conclusiones ex illis fluentes, certas et evidentes esse demonstrabimus. Nunc ergo supponimus cum Cartesianis, datum esse nobis á Deo ut quædam certò et evidentèr cognoscamus. Verùm: cum innumera sint falsa præjudicia, quæ mentem nostram in transversùm agunt, quæritur hìc, àn ad evellenda hujusmodi præjudicia expediat, ut illi putant, dubitare de rebus alioquì certis et evidentibus, proindequè de omnibus, saltèm semel in vitâ.

Nondùm explicatus manet status quæstionis. Ecce enim *Lugdunenses*, conterranei sui Cartesii, *methodum* defendunt, et *dubium methodicum* ad sydera extollunt; et tamèn hoc epiphonemate quæstionem suam claudunt: *Id unum postulat methodus Cartesiana, ut nulli assentiamus propositioni, quæ non sit per se nota, aùt cum aliis per se notis clarè colligata.* Si addidissent, quod probabilibus etiam assentímur cum formidine partis oppositæ, integrum Scholæ nostræ sys-

tema *methodus Cartesiana* juxta ipsos contineret. Quid ergo? Quid novi *dubio suo methodico* litteris attulit Cartesius, ut de illo dicant in eadem quæstione Lugdunenses, quod *quasi Fabius alter cunctando*, sive dubitando, *rem Philosophicam restituit?* Sed quid miramur? Hæc ad novum terminorum abusum (de quo cap. VI. §. 3.) videntur referenda.

Nos non putamus, Cartesium extendisse famosum dubium suum *philosophicum* sive *methodicum* ad veritates revelatas. Nec verò de his nunc quærimus an liceat dubitare. Norunt enim Catholici omnes, quod dubius in fide infidelis est. Noster Rossellius (tom. 1. q. 23. a. 1. nota 3.) probè noscens ex D. Thoma, dubia circa personas in meliorem partem esse interpretanda, Cartesium (quod ad propositum attinet) á notis multorum absolvit; *nullo* tamen *modo* inquit *probare possumus ejus consilium, dubitandi etiam de existentia rerum sensibilium, etiam de mathematicis demonstrationibus, etiam de principiis per se notis, ut ipse docet I. P. princ. §. 4. sq.* Hactenus Rosellius. Certè cum Cartesius (I. P. Princ. n. 7.) dixerit hanc cognitionem: *Ego cogito; ergo sum*: esse omnium primam et certissimam, videtur in omnibus aliis *minimam* saltèm *incertitudinis suspicionem* invenisse.

Verùm: quid nostra interest, sensum librorum sive propositionum Cartesii hoc loco investigare? Ad hanc dissolvendam quæstionem, opus esset refellere versutam illam distinctionem *juris*, et *facti*, jam pridèm inventam, ut scriptores errorum à Theologicis Censuris exempti viderentur. Hoc autem neque hujus loci est proprium, neque puerorum captui accommodatum. Non ergo quærimus quid senserit Cartesius de *dubio methodico*, sed quid ipsi sentiendum esset? *Acutè* enim *disputantis* ait Cicero (Lib. 5. Tusc. quæst.) *illud est, non quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit videre.*

Hic est igitur status quæstionis, quam proponimus: Expedit ne ad exuenda falsa præjuditia, dubitare semel de omnibus, etiam de certis et evidentibus? Ad eam solvendam

Dico 1.° *De principiis scientiarum, et de propositionibus per se notis nemo debet, imò nec potest unquam prudenter dubitare.* Quid sit propositio *per se nota* Lib. 3. exponetur, atque interim poterit à Professoribus explicari.

Prob. Evidentia et dubitatio de eâdem propositione non possunt esse simul in eôdem intellectu; atqui intellectus de principiis scientiarum, et propositionibus per se notis habet evidentiam: ergo de eisdem nequit habere dubitationem. = P. Maj. Dubitatio est suspensio assensus; e-

videntia autem assensum vel ab invito extorquet (se habet enim ad intellectum, sicut apertio oculorum ad visum); sed impossibile est intellectum assentiri et simul suspendere assensum (alioqui assentiretur et non assentiretur; sicque verificarentur contradictoriæ): ergo. Minor et supponitur in quæstione, et constat ex dictis de inductione cap. IX. §. 3. et rursùs lib. III. demonstrabitur.

Eamdem minorem perspicuis verbis sic explicat D. Thomas (1. Post. lect. 19.), *Proprium est horum principiorum, quòd non solum necesse est ea per se vera esse, sed etiam necessè est videri quòd sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum.* In eamdem sententiam Tullius, *Necesse est*, inquit (lib. 3. Acad. qq.), *ut lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere.*

Ut autem hæc radicitus intelligantur sciendum est ex D. Thoma (1. p. q. 2. a. 1.), quòd ad hoc ut propositio *per se nota sit omnibus nota*, requiritur ut sit omnibus notum de ejus prædicato et subjecto *quid sint, et quid nomina significent* (ibid. a. 2. ad 2.). Qui hæc non cognoscit, non dubitat, sed ignorat omninò veritatem propositionis per se notæ. Itaque nemo potest de re evidenti prudentèr dubitare. *Prudentèr* inquàm, quia forsàn aliquis, præ stultitia vel amentia, ad exercendam libertatem, posset de illa dubitare, vel fingere se dubitare.

Dico 2.º *Insanùm esset dubitare de his, quæ sensibus rectè dispositis, eorumque objecto et medio benè se habentibus, clarè percipiuntur.*

Prob. Fieri nequit, ut quispiam dubitet de eo quod sensu percipitur modo dicto in thesi; sed insanùm est tentare id quod fieri nequit: ergo insanùm est dubitare &c. Prob. Maj. Id quod sensu percipitur modo dicto, est evidens intellectui; sed fieri nequit ut quispiam dubitet de eo quod est evidens intellectui, ut probatum est: erg. Prob. maj. Homo per intellectum evidentèr cognoscit, quod sensus non fallitur quando percipit modo dicto: erg. Prob. ant. Homo per intellectum evidentèr cognoscit sensationes omnes et earum modos, quorum unus est perspicuitas seu evidentia: ergo. = Prob. ant. Homo per intellectum dominatur sensibus, (ipsis enim utitur cum voluerit, et eorum actiones examinat, et de ipsis judicat ut quisque in se experitur); sed ad hoc necessarium est cognoscere sensationes omnes, et earum modos: ergo.

Hæc probatiô satis est hoc temporis: de criterio enim veritatis in perceptione sensibilium agendum est libro sequenti. Si quis interim nosse cupiat quid, ex more Peri-

patetico, responderi debeat conantibus dubitare an sint vera quæ sensu percipiuntur; præstò est Aristoteles ipse, qui interrogatus aliquando, ut refert Diogenes Laertius in ejus vita, cùr ea quæ pulchra sunt diutiùs nos detineant, *hæc vero*, inquit, *cæci interrogatio est.*

Dico 3.º *Ut á falsis præjudiciis liberemur, nullum excogitari poterat medium inutilius, quam dubitare aliquando de omnibus etiam certis et evidentibus.*

Diximus *falsis*, quia quamvis præjudicia in malam partem ferè accipiantur à Junioribus, tamen si vis vocis perpendatur, præjudicia sunt anticipata quædam judicia, quæ nobis aut ætas, aut consuetudo, aut educatio, aut authoritas instillavit ut certa. Horum aliqua sunt vera, à quibus non indigemus liberari, sed tantum à falsis. Hoc notato:

Prob. Nullum excogitari potest medium inutillius ad finem aliquem assequendum, quam illud quod est et impossibile, et superfluum, et noxium ipsi fini; atqui dubitare aliquando de omnibus etiam certis et evidentibus, est et impossibile, et superfluum, et noxium cum à falsis judiciis liberari conamur: ergo: Declaratur minor quoàd singulas partes.

Esse hoc medium *impossibile* probari potest inductione. Demonstravimus enim, neminem posse dubitare nec de his quæ sunt evidentia sensui, nec de his quæ sunt evidentia intellectui.

Esse *superfluum* facilè intelligitur. Nam spirituale lumen intellectus nobis à Deo datum est, ut veritates evidentes à non evidentibus, et à falsitatibus distinguamus, sicut lux corporea ab ipso creata fuit, ut animal per eam discerneret quæ clarè et quæ obscurè videt; et quæ prorsus non videt, atqui propositiones per se notæ, et corpora à sensibus clarè percepta secum ferunt evidentiam veritatis; lumen igitur intellectus sufficit ad hæc distinguenda à rebus non evidentibus, et à falsis; ergo sufficit ut non acquiescamus falsis præjudiciis: ergo *dubium methodicum* est superfluum.

Demum, Cartesius ipse veritus fuit, ne *Dubium methodicum* de omnibus quærenti veritatem foret noxium, ut loco citato refert P. Rossellius. Et sanè: Necesse est eum qui de omnibus dubitat assuescere sophismatibus, ea undique expiscari, et in aliquo pretio habere, veluti sufficientia ad gignendum dubium. ¿Quod enim aliud argumenti genus ad lucem rebus evidentibus eripiendam adduci potest? Quem autem sophismata sic delectant, quid mirum erit, si tandem in rigidum incidat scepticismum. Formidandum esse hoc periculum agnoscunt omnes, qui historiam litterariam horum temporum

non ignorant. Ut juvenes ab hoc periculo arceantur, memoria teneant gravissimam hanc Facciolati sententiam. *Qui de rebus omnibus sibi dubitandum putant, ut præjudicia tollant.... videntur nobis similes Medicis illis, qui ut humores noxios ab humano corpore expellant, animam expellunt.*

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies 1.° Deus tales nos creare potuit, ut omnibus hominibus contingat quod aliquibus contingit; sed aliqui homines (nempe qui dormiunt et qui mente laborant), evidenter se cognoscere putant, quod falsò imaginantur: ergo idem potest omnibus contingere. Prudens igitur est Dubium methodicum Cartesii.

R. 1. Hoc argumentum sapere absolutum et rigidum scepticismum. Unde dici posset formula scholæ, quod *nihil probat, quia nimis probat* contra tertiam opponentis legem.

R. 2. Disting. Maj. Deus tales nos creare potuit ut omnibus contingat quod aliquibus contingit *per se et naturaliter C. maj. per accidens et propter causam aliquam defficientem* N. maj. et Dist. min. N. cons. Nam si errores dormientium et fræneticorum omnibus hominibus naturaliter convenirent, essent homini à natura; proindequè Deo authori naturæ tribuerentur, quod sine blasphemia non potest dici. Rem autem, unde sumitur argumentum, explicat D. Thomas (Q. 1. de vers. a. 11.) his verbis: *Naturalis actus alicujus rei, semper est uno modo* (ideo diximus esse illum qui convenit omnibus) *nisi impediatur, vel propter defectum intrinsecum* (id contingit in phræneticis, ut suo loco explicabitur), *vel ob extrinsecum aliquod impedimentum.*

Objicies 2.° Qui inquirit veritatem de illa dubitat, ut insinuavimus ex D. Thoma cap. XIV. §. 1. Reg. 3.; sed qui disputant inquirunt veritatem: ergo de illa dubitant. Nunc sic: sed Philosophi disputant de principiis scientiæ naturalis, et Theologi de veritaribus revelatis, quæ sunt principia sacræ scientiæ; ergo utrique de illis dubitant saltem dubio methodico.

R. D. maj. Qui inquirit veritatem, *ut eam vel melius intelligat, vel aliis manifestet et confirmet* N. Maj. Qui inquirit veritatem *eam pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens;* Conc. maj. et applicata minori hac disjunctione N. conseq. Responsio hæc est satis clara, et prima pars distinctionis est D. Thomæ Opusc. 10. art. 32. Secunda vero pars est ipsius 2. 2. q. 10. á 7.

Instabis: in quarta regula disputantibus præscripta cap. XIV. §. 3. dictum est, neminem de Dei cultu,

et amore parentum posse sine crimine disputare. Unde hoc crimen, nisi disputatio et dubitatio reciprocarentur, hoc est, nisi omnis disputatio dubitationem involveret?

R. In hac quæstione monendos esse auditores, ut caveant à novo terminorum abusu quem diximus. Disputatio et dubitatio toto cælo inter se distant. Illa est res externa: hæc tota interna est. Dubitatio est motus quidam rationis supra utramque partem contradictionis, cum formidine determinândi alteram partem ejus. Disputatio instituitur sæpè ab eo, qui veritatem quam probè novit aliis manifestare, et contra impugnantes defendere conatur. Unde Angelicus Doctor loco citato ex 2. 2. *Si autem*, inquit, *disputet aliquis de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium, laudabilè est:* Verùm de his Theologi. Quod ad Logicos attinet, regula ipsis tradita inviolabilis censeri debet: cautum enim est ab Ecclesiâ, ut de rebus fidei non disputetur ab omnibus, neque coram omnibus.

Urgebis: Dubitare methodicè nihil est aliud, quam rationes dubitandi examinare, sed qui disputant de principiis, vel ad confutandos errores vel exercitii causa, omnes rationes dubitandi examinant; ergo methodicè dubitant.

R. D. Maj. Nihil est aliud quam rationes *proprias* dubitandi examinare; Conc. Maj. Rationes *alienas* dubitandi tantùm examinare N. Maj. et D. min. Qui disputant &c. rationes dubitandi *alienas* tantum examinant Conc. min. *Proprias* N. Min. et cons.

Itaque, qui *methodicè* ad morem Cartesii *dubitat*, examinat rationes dubitandi, quæ ipsum ad dubitandum movent, quærit enim dubio suo *methodico* certitudinem, quam proindè nondum habet. Cartesius ipse hoc fatetur his verbis: *Scepticos non imitabar, qui dubitant tantum ut dubitent, et præter incertitudinem ipsam nihil quærunt. Nàm contra, totus in eo eram, ut aliquid certi reperirem.* Hæc Cartesii verba ex Lugdunensibus accepimus. Et (quod mireris) perspicaces eorum oculi vident in hoc loco, *eximium Philosophiæ recentioris Parentem* (ita eum laudant) *numquam verè dubitasse de propositionibus, aut evidentibus, aut evidenter demonstratis.* O miram interpretandi peritiam!

Argui postremò potest ab exemplo: Ut baculus curvus fiat rectus, eum inflectimus in oppossitam partem: Ergo ut mentem deviam, ob præjudicia, á veritate ad veritatem convertamus, inflectere eam expedit per dubitationem in oppositam falsitatem.

R. Quod exemplum á quo ducitur argumentum, falsò supponit mentem nostram inclinatam esse ad

falsum potiùs quam ad verum; quod oppidò falsum esse, colligi potest ex his quæ docet D. Thomas (1. 2. q. 85. a. 2.). Propterea (3. cont. Gent. cap. 108.) principium hoc statuit: *Nulla virtus cognoscitiva circa proprium objectum decipitur.* Mens igitur humana stat naturaliter recta: Unde sicut ineptè ageret, qui baculum rectum curvaret, ut rectus evaderet: ita absurdè quis per dubitationem inflecteret mentem rectam circa res evidentes, in oppositam falsitàtem.

Hæc nobis videntur satis esse, ut Scholæ Peripateticæ Auditores à *methodico* Cartesii *dubio* circa res evidentes, vehementèr abhorreant. De probabilibus autem, et verisimilibus, et generatìm de omnibus quæ non sunt evidentia, qua ratione dubitandum sit, suo loco docebimus. Nunc syllogismorum causa suscipienda est.



## CAPUT XVI.

### *In quo statuitur nihil esse in disputatione utilius, quàm ratiocinari per syllogismos.*

Videantur ad conferendum Ross. q. 27. a. 2. q. 33. a. 1. q. 35. a. 1. Baldinotti lib. 3. c. 4. Genuens. lib. 5. Log. cap. 4. cap. 8. et 9. Jacquier Log. P. 3. cap. 1. art. 1. et 2.

Veteris sapientiæ illusores, qui á sæculo sexto decimo scientiarum omnium reformationem tentant, in artem syllogisticam tamquàm omnium malorum causam, ferè omnes invehuntur. Eorum princeps Verulamius syllogismos rejicit, unamque dumtaxat inductionem probat. Hunc imitati Cartesius, et Gassendus indicto adversus Aristotelicos bello; armaque hæc nostra, quibus scholastici veteres aliquibus retrò sæculis, veritatem propugnarant; è manibus omnium tollere conati sunt. Arbitratur etiam Lockius syllogismorum nullam esse utilitatem ad verum inquirendum. Novissimè Condilliacus, comtemptione Veterum reformatores scientiarum omnes longè superans, totam syllogisticam artem frivolam esse, nihilquè boni succi continere, affirmat in sua Cog. Art. Cap. IX. P. 1. tom. 9. Artificium etiam, quo duo extrema cum medio comparantur, ut extrema ipsa inter se convenire liqueat; nedùm inutile, sed et pernitiosum esse pronunciat; illudque ansam præbére multam abutendi ratione, (quo nomine, ut sæpè insinuavimus, facultatem sentiendi videtur intelligere) insolenter deblaterat.

Adversus illustrem hanc celebrium Philosophorum turbam, pa-

trocinium syllogisticæ artis á nobis libentèr suscipitur. Non tamen á nobis solis: consentientes enim nobiscum habemus et syllogismorum Patronos atque laudatores è novis Philosophis quamplurimos; scilicet, Auctores Logicæ Portus Regii, Clericum, Heineccium, Wolfium, Bælium, Alambertum, aliosque quorum meminit Baldinottus (in Not. ad cap. IV. lib. III. ubi etiam seriem adversantium texit, et utrorumque loca indicat.) Additque, Jacquierum iis subirasci, qui signa figuris et modis syllogismorum destinata irrident, et Leibnitium, qui *unus*, judicio dissertissimi Facciolatti (Rudiment. Log. p. III. cap. III. in Not.) Juniores omnes acumine superat, syllogismum, tamquam nobilissimum et pulcherrimum humanæ mentis inventum, extollere.

Discrepantes igitur sunt de arte syllogistica Philosophorum, etiam novorum, sententiæ. Earum narratio statum quæstionis aperuit. Nos veterum doctrinæ tamquam scopulo adhærentes, sententiam nostram duabus propositionibus declaramus.

PROP. I.

*Artem syllogisticam evidentis esse utilitatis negare non potest, nisi qui illam non noverit.*

Prob. 1.º Ars perficiens ratiocinationem (quæ est homini naturalis), est evidentèr utilis; sed ars syllogistica id præstat: ergo: Prob. min. Ratiocinatio perfici censetur, cum ejus conclusio necessariò concedenda est ab eo qui concessit præmissas; atqui ars syllogistica partes quibus constat ratiocinatio ita disponit, ut concessis præmissis ad aliud necessariò concedendum deveniatur: ergo. Prob. min. Ars syllogistica subjectum et prædicatum propositionis negatæ conjungit in præmissis cum aliquo tertio; atqui præmissis sic dispositis et concessis, necesse est concedi conclusionem: ergo. Min. patet ex principio quo nititur tota Ars syllogistica: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

Illustratur hæc ratio: Ars syllogistica originem ex observationibus traxit. Scrutantes enim veteres Philosophi, quo pacto homines, absque duce aliquo, in scientiis profecissent; quid rectum, quidque vitiosum esset in unaquâque ratiocinatione lumine solo naturali disposita; potuerunt distinguere, rectumque retinere, et abjicere vitiosum. Artem syllogisticam sic inventam, Aristoteles præcepta colligens quæ dispersa apud seniores legebantur, et multa proprio marte addens, ad summum fastigium coexit. Non tamen eam *primus tradidit*, tametsi id affirmet Baldinottus (Not. ad n. 276.): neque ejus inventor censendus est, quamvis ipse de hoc glorietur. (Vid. Massius pag. 109. sq.

Roselli in not. ad art. 2. quæst. 2.) Hoc obitèr prænotato: sic potest argui. Ars quæ perfectiora naturæ opera imitatur est evidentèr utilis; atqui ars syllogistica perfectiores ratiocinationes (naturæ opera) imitatur: ergo est evidentèr utilis.

Prob. 2.° Ars quâ exploratur an prædicatum conveniat subjecto, cum id perspicuè non cognoscitur, est evidentis utilitatis; sed Arte syllogistica hoc exploratur: ergo. Prob. min. Arte syllogistica duo fiunt: primum est *inventio medii*, cum quô subjectum et prædicatum propositionis ignotæ ritè conjungantur. Secundum est *judicium*, quo mens decernit eam conjunctionem ritè fuisse factam, et ratam habendam esse; atqui hæc duo satis sunt ad explorandum &c. ergo. Declaratur Propositio, sive Major. Ars syllogistica duas habet partes, *Topicam et Analyticam.* In *Topica*, ut norunt omnes, docetur quibus viis sit quærendum et *inveniendum* medium. *Judicium* autem, quo ejus cum extremis conjunctio rata et legitima censetur, fit per Aristotelicam *analysim* sive *resolutionem.* Hæc est duplex, *Prior*, scilicet, et *Posterior. Prior* est, cum propositio, quam syllogismus ex ignotâ facit notam, resolvitur in formalia syllogismi principia, scilicet; *Quod dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento* : et *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Posterior* analysis est, cum eadem propositio, seu conclusio resolvitur ad materialia Syllogismi principia; ea scilicet, quæ certitudinem judicii ostendunt, propterea quòd sunt causa ejus rei, quæ illata est ex præmissis. Hujus *posterioris analysis* exempla plura adducentur, cum in lib. IV. de demonstratione agémus: *analysis* autem *Prioris* experimentum jam fecimus cap. X. §. 1. in fine.

Ex hâc doctrinâ, quam desumpsimus ex B. Alberto Magno (Tract. 1. Log. cap. VII.), ex D. Thoma (1. p. quæst. 79. a. 8.), cujus textum cap. XIII. retulimus, et (quod Hispanos Logicos excitare debet), ex Cl. Viro Francisco Sanctio Brocensi (Org. Dial. lib. 2.), qui disciplinæ huic nostræ valdè addictus, Academiæ Salmanticensis, totiusque Hispaniæ ornamentum fuit ac decus; manifestè infertur, Arte syllogistica explorari veritatem propositionis, ante syllogismum ignotam. Moneat ergo eos, qui syllogisticam Artem subvertere conantur, tollere á mente nostrâ aptissimum et inveniendi, et judicandi instrumentum.

## PROP. II.

*Rectus Syllogismorum usus in omni facultate et disciplinâ laudabilitèr adhibetur.*

Ante probationem notandum, quod cum duplex sit syllogismus,

ut diximus in calce Capitis x. alius informis, alius formatus; utriusque opportunum usum laudandum in hâc thæsi asserimus: Sic intellecta propositio, quamvis necessariò sequatur ex præcedenti; eam tamen probare placet, tum ex præscriptione, tum ex detrimentis quæ ex neglecto syllogismorum usu res litteraria patitur.

Prob. ergo 1.° præscriptione. Syllogismis usi sunt, post natas litteras, Philosophi Græci ac Latini, Sancti Ecclesiæ Patres, Scholæ Theologi; et novi etiam Philosophi his temporibus. Cur igitur eorum vestigia non sequamur? Adde, quod omnis argumentatio ad Syllogismum revocatur, ut monuimus cap. IX. §. 4, atque, ut de illâ judicetur rectenè processerit, an secùs, mox docuimus eam in principia, quibus nititur Syllogismus, esse resolvendam. Quis principia hæc nullius usui fuisse Veteribus, audebit affirmare?

Non abs re esset, ut Magistri hoc loco discipulis quædam indicarent ex his, quæ in hanc rem gravissimè dicta sunt á Melchiore Cano in Libris IX. et X. ut ea unusquisque in suis adversariis annotaret. Nos abstinere non possumus quin ea referamus, quæ in fine cap. XI. lib. XII. scripta reliquit. „Etsi non sum nescius, *inquit*, quàm „sit, non Scholæ dico in disputando mos, sed tota omninò Schola Theologia (*idem nostræ Philosophiæ accidit*) hæreticis invisa; „sed eò magìs existimo, Scholasticam disserendi formam ad hæreses refellendas efficaciorem, quò „magis hæreticis invisa est. *Et paulò infra*: Verùm si eo loco res „sit, ut adversum lutherana dogmata certare cogar, eligant alii „(nihil enim impedio) suave orationis genus, quo molliùs et familiariùs homines istiusmodi ad „Ecclesiæ benevolentiam alliciant: „dummodo mihi relinquant Scholæ „ossa nervosque, ac pressam disserendi soliditatem." Hactenus pro Syllogismorum usu, sive pro Scholasticæ concertationis more (idem enim sunt) Illustrissimus Canus, quem quis Hispanorum non præferat sexcentis Cartesiis, totidemque Condilliacis? Utinam autem impedire potuisset quod noluit! sententiam nempe illius, cui in disputatione cum Ecclesiæ hostibus plùs placebat (ut refert) oratio ad Rhetorum leges artificiosè composita, quàm usus Scholasticæ concertationis per Enthimemata et Syllogismos: adeo enim exarsit ex eo tempore adversus scholasticam disserendi formam persequutio, ut ars omnis Syllogistica penè non extincta videatur. Mala autem inde orta sequens probatio indicabit.

Prob. Propositio, *urgendo incommodo adversarios*. Experientiâ horum temporum compertum est,

Adolescentes, qui neglectâ Scholasticâ disputandi forma, sive Syllogismorum usu, in disciplinis philosophicis more geometrico instructi sunt, vix habere quid respondeant, si eorum dictis vel levitèr contradicas. Quamvis enim in demonstrationibus mathematicis Syllogismorum leges exactè custodiantur, ut fatetur Genuensis Art. Log. lib. 5. cap. 8. §. 47., ad eas tamen non attenditur à discipulis, neque animadvertitur à Magistris: quâ de causâ praxis illa demonstrandi nihil deservit ad Logicam addiscendam. Enimverò, cum Mathesis Candidati ratiocinantur et demonstrant, multum juvantur caracteribus et figuris; ex quarum inspectione, non minus quam ex aliarum propositionum citatione multæ præmissæ supplentur, nec verò memorantur. Hinc ergo fit 1. ut analysis illa prior, quam diximus, ad principia, quibus ars syllogistica innititur, nec fiat unquam, nec possit fieri ab illis. 2. Ut nec sophismata agnoscant, nec sophistarum versutias præcavére possint. 3. Ut argumenta contraria nec sibi proponant, nec de ipsis curent ut diximus. 4. Et quod caput est, cum in exercitationibus litterariis responsionem ad argumenta sibi proposita prætereunt, nihil verecundentur.

Inde verò malum aliud multo graviùs scaturire viri sapientes norunt, et his verbis deflet piissimus P. Rosselli in not. 1. ad §. 1273. »Cum *adolescentes hujusmodi, Geo»metrarum more in Philosophicis »instructi*, exercitati numquam fue»rint in arte cognoscendi sophisma»ta, statim velut arundines inclinan»tur in quamcumque partem; et si »in libros incurrant, qui falsa do»ceant fucatis argumentis, in falsi»tatem ruunt, præsertìm si malè mo»rati sint, et falsa illa dogmata vitio»sas passiones foveant. Utinam non »hæc potissima causa esset tam latè »manantis impietatis! Equidem præ»teritis sæculis, cum scholastica me»thodus colebatur, impii adversus »Deum et Religionem revelatam, »apud nos saltem, pauci erant."

*Solvuntur objectiones.*

Objicies 1.° contra primam propositionem. Academicorum veterum argumentum, quod Cartesius obscurè proposuit, forsitan quia alitèr noluit, ne unde esset deprehenderetur. Illud refert Baldinottus (Not. 1. ad n. 267). Nos verò, ut vis ejus tota inspiciatur, prout invenítur in Platonis Menone proponimus. Quod quæris arte syllogistica, vel scis, vel nescis: si scis, frustrà quæris: si nescis, etiamsi invenias non agnosces. Ars igitur syllogistica non est utilis.

R. Hoc dilemma deficere, quia inter disjunctionis illius partes datur medium, contra regulam datam cap.

IX. §. 4. Nam inter *scire ac nescire* idem, medium est partim illud scire, et partim nescire. Cum enim syllogismus sit argumentatio, in quâ ex universali particulare colligitur, necesse est ut ante syllogismum teneamus universale, et particulare non teneamus: appareant principia; lateant conclusiones; totum ultrò sese offerat, partes evolvendæ sint: Verbo; opus est, ut scientia præcedat scientiam, sed imperfecta perfectam, obscura claram, confusa distinctam. Ita Socratem refellit Aristoteles lib. 1. Post. cap. 1.

Ex hâc porro doctrinâ, magnam quamdam quæstionem solvit Div. Thomas (1. 2. q. 77. art. 2. ad $4.^{m}$): utrum scilicet, is qui facit aliquid incontinentèr, sciens prudensque peccet? an verò ignorantia labatur? Hæc sunt verba S. Doctoris: »Dicendum, quod ille qui »habet scientiam in universali prop»ter passionem impedítur, ne pos»sit sub illá universali sumere, et »ad conclusionem pervenire: sed »assumit sub alia universali, quam »suggerit inclinatio passionis, et »sub ea concludit. Unde Philoso»phus dicit in 7. Ethic. quod syl»logismus incontinentis habet qua»tuor propositiones, duas universa»les: quarum una est rationis; pu»ta, nullam fornicationem esse com»mittendam; alia est passionis, pu»ta, delectationem esse sectandam. »Passio igitur ligat rationem, nè as»sumat et concludat sub primâ, un»de eâ durante, assumit et conclu»dit sub secunda." En moralem D. Thomæ doctrinam, artis syllogisticæ propriam. Reputent ergo, qui artem hanc nostram contemnunt, quàm malè sibi rebusque suis consulant. Binas in hoc argumento Acroases edidit Cl. Facciolati; alteram cui titulus, *de electrâ*; alteram, quam inscripsit *de scientia et inscitia.*

Objic. 2.° contra eamdem. Ad inveniendam veritatem cujuslibet propositionis, sufficit ideas quibus constat resolvere: hoc est, ideam subjecti in omnes eas quas complectitur, et similiter ideam prædicati: ars igitur syllogistica ad nihil deservit. Prob. añs. Tactâ hujusmodi analysi, cuicumque evidens est prædicatum convenire, vel non convenire subjecto: ergo.

R. quod hæc objectio est Condilliaci, qui tamen postremum hoc antecedens improbatum relinquit; proindèque jure negari posset, sicque solvi nullius ponderis argumentum. Verùm quandoquidèm occasio tulit, explicare libet quid inter Aristotelis et Condilliaci analysim intersit. Itaque antecedens illud absolutè falsum distingui potest hoc pacto. *Facta analysi* &c. *evidens est* &c. si inventum fuerit medium utrique commune, vel idea aliqua quæ prædicato simul et subjecto clarè et evidentèr conveniat; Concedo: secùs, nego.

Sciant ergo Condilliaci cultores, legem esse Artis nostræ syllogisticæ, ut quando propositio aliqua ignota (et non per se nota) probanda incumbit, opus sit, eum qui probat resolvere ideam subjecti, et similitèr ideam prædicati in ideas omnes, quas utrumque complectitur; donec perveniatur ad aliquam, quæ utrique vel probabilitèr, vel certò conveniat. Cum hanc particulam in subdivisione idearum invenerit arguens, invenit *medium* quod quærebat: sicque ex ejus conjunctione cum extremis syllogismum construit, in quo propositio, quæ antea erat ignota, ex notis concluditur atque innotescit. Hæc est vera idearum analysis, ad quam, cum mente fiat et non sensu, sicut præpostera illa quam Condilliacus jubet, neque Aritmeticâ, neque Algebrâ indigemus.

Urget Condilliacus: Veritas propositionum pendet ab identitate idearum, quibus constat; sed hæc innotescit absque syllogismis: Ars igitur, quæ illos construit, est inutilis.

R. D. min. In propositionibus per se notis C. min. In aliis N. min. Responsio patet ex dictis, et ex dicendis de propositione per se nota quoad se, et quoad nos.

Contra secundam conclusionem, ut varios arguendi modos inveniant hìc tyrones, multa simul objicimus. Primum est illud quod magno verborum apparatu objicit Lockius, experientiam, scilicet, quâ videmus post tot, tantasque disputationes et syllogismos, Scholas omnes in eadem sententiâ manere. Syllogismi igitur non sunt instrumenta sciendi, sed tantum disputandi et vincendi adversarium. Nec enim videtur Aristoteles alio fine artem hanc excoluisse, nisi ut de aliorum sectarum Philosophis triumphum caneret.

2. Præterea qui syllogismis disputant, ut ad scopum perveniant longâ eorum catænâ indigent, quæ confusionem parit, et nauseam. Non est igitur laudandus eorum usus.

3. Deinde: Si usus syllogismorum expediret, injustè reprehenderentur á Scholasticis ipsis, ex. gr. â Melchiore Cano, Scholastici alii qui omnem operam, studium, laborem in contexendis syllogismis insumpsére. Reprehendendus est ergo hic usus, et non laudandus.

4. Postremò: Oratores arte syllogisticâ non utuntur: et tamen in proponendâ et explicandâ veritate excellunt. Extirpetur igitur Syllogismorum usus.

Ad primum dicendum, quod quilibet syllogismus rectè dispositus est instrumentum vel sciendi, vel opinandi pro ratione materiæ, quam termini et propositiones præseferunt. Res autem, de quibus in Schola veteri jam pridem disputatur, non sunt demonstrabiles, sed tantùm

probabiles: unde mirum non est, quod post tot syllogismos topicos in eâdem sententiâ permaneamus omnes. Dato etiam, quod syllogismi non valérent nisi ad disputandum, valdè tamen utiles habendi essent. Si enim adversarius sustineret errores contra Ecclesiam, vel Rempublicam, quibus utique alii scandalizarentur ¿nonne ejus convictio et confusio ingens hoc scandalum tolleret? Quoties id contigerit in Ecclesiâ poterunt hoc loco Præceptores discipulis indicare.

Ad secundum: Qui ritè et sapientèr disputant, duo secum adferre debent ad disputandum. Primum est, ut res de quibus disputant, bene notas ac perspectas habeant, vel ut tenet Horatius, *ut ipsis lecta potentèr sit res*. Secundum est, ut sint verè Logici. Sic enim syllogismos suos, vel enthimemata, vel epicheremata ad artis regulas exactè component. His dotibus instructi á tædiosâ illa syllogismorum catena abstinebunt: et statim á principio ad scopum tendent, et paucis, quantùm res patietur, disputationem absolvent, adversario convicto, vel saltem confuso.

Ad tertium. Apud æquos rerum æstimatores *arti nihil detrahunt artificum abusus*. Injustè igitur nobis objiciuntur quorumdam Scholasticorum vitia, dum silentur aliorum virtutes. Hæc est maligna illa inductio, cujus enorme vitium cap. IX. §. 3. paucis explicuimus. Ejus usus posset fortè, in plateis tolerari, in Academiis autem, nec debet, nec potest. Agnoscimus ergo, et declinabimus, quantum in nobis sit, vitia illa, quæ Logicis adscriptitiis reprehendit Canus. Verumtamèn excusandos illos censemus, quòd tempora ita ferrent. »Cum homines isti, *ait Facciolatus* (Inst. ad Lect.) »et ingenio valérent, et otio abun»darent; nec ullum tamèn præterea »tenérent litterarum genus, in quo »se jactarent; hoc tamquam orbe »conclusi, meditationes meditatio»nibus cumularunt, et in infinitas »ambages abierunt. Si quis eorum »volumina versare et cognoscere vo»luerit, non omnem prorsùs ope»ram perdet, sed cani similis erit, »qui proptèr paucillum cibi in mag»nis ossibus dentes fatigat. Nobis »non tantum est otii." Hactenus Facciolatus, cujus verbis placet, ad claudendam hanc responsionem, addere sententiam Melchioris Cani lib. XII. cap. XI. circa finem. *Itaque præclarum á Divo Thoma accepimus morem disputandi, si eum teneremus.*

Ad quartum: Oratores hoc nomine digni, arte syllogistica in suis orationibus perpetuò utuntur, quamvis eam dissimulent juxta proverbium: *Summæ artis est artem dissimulare.* Si quis porrò orationes fundunt verborum quidem flosculis

venustas, arte verò syllogistica vacuas, hi non oratores, sed garruli sunt appellandi. Hominum genus, nimis hâc tempestate frequens! Quod autem pejus est, et seriò animadvertendum, non desunt qui hoc styli genere altiores disciplinas, ipsam etiam Methaphysicam docent, inter quos verbosiores esse solent, qui vel suspectæ sunt Religionis, vel veræ Religionis hostes. Ab his velis remisque, ut aiunt, fugiendum est. Artem enim decipiendi apprimè callent, vitia ratiocinationis verborum phaleris dissimulant, mortiferum etiam animi venenum quod fundunt, linguæ melle tegunt, ut sic *in pejus proficiant errantes, et in errorem mittentes*. Præceptor igitur eruditus et pius, cujus cordi altè insideat nostræ Religionis veritas, curare debet omni tempore, ut discipulos suos, contra veteratores hujusmodi, monitos simul ac munítos semper habeat. Ideo addendum hìc puto sequens

*Monitum.*

Non operam malè locabunt Professores nostri, si peritiam detegendi hujusmodi vitia atque venena in pravorum hominum scriptis coram discipulis exerceant, ut eamdem illi imitatione assequantur. Hæc est recondita quædam Dialecticæ pars, quâ infelicia hæc tempora indigent, cum tamen illa oblita prorsùs et obliterata videatur. Posita est autem in retexendis et reformandis oratorum ac poetarum informibus syllogismis. Hoc exercitio, et rectus syllogismorum usus sensim animo insinuabitur, et neglecto atque avulso loquacium sophistarum apparatu, ratiocinationes eorum nudæ videbuntur, atque interna, quibus scatent, vitia deprehendentur. Discipuli itaque, qui et ingenio valeant, et judicio polleant, in hac Dialecticæ exercitatione maturè occupentur. Præsagit enim animus fore, ut si ita fiat, fructus sapientiæ uberrimos, non Ecclesiæ modò, sed et Reipublicæ etiam suo tempore afferant.

Satis hucusque diximus de vocalibus et scriptis instrumentis sciendi, quibus Logica mentem dirigit, ut ordinatè, facilitèr, et absque fallendi periculo apprehensiones suas, judicia, et discursus aliis manifestet. Primus igitur Logicæ liber hunc in modum absolutus sit. Quem plus fortassè nimiò longum fecimus; tametsi non sunt longa, quibus nihil demere possis.

# LIBER SECUNDUS.

## *De ideis, rebusque apprehensis.*

### CAPUT I.

### *De ideis generatim.*

EXternam idearum faciem, quæ scilicet in vocibus aut in scriptis, velut in speculo quodam, repræsentantur, hactenus superiori libro descripsimus. Nunc ideæ ipsæ in abdita et á sensibus remota earum officina, hoc est in mentis penetralibus, scrutandæ sunt. Cum autem ut observat D. Thom. (1. Periherm. Lect. 1.), *prima operatio intellectus ordinetur ad secundam, quia non potest esse compositio et divisio nisi simplicium apprehensorum; secunda vero ad tertiam, quâ ex aliquo verò cognito, proceditur ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis;* ideo hic præcisè agimus de ideis, rebusque apprehensis, quatenus ad judicia ordinantur. Primò itaque de ideis generatim: 2.° de prædicabilibus. 3.° de prædicamentis disseremus.

§. 1.

*In quo definitur idea.*

Animam nostram se ipsam per suum actum cognoscere docet D. Thom. (1. p. q. 87. a. 1.), cætera autem, quæ extra ipsam sunt, non possent ab ea cognosci, nisi aliqua ratione in eâ essent, ipsique unirentur (quæst. 84. a. 1.). Cum igitur non possint in ea esse, vel ipsi uniri secundum suam substantiam, ordinavit Creator omnium rerum Deus, ut ipsi unirentur per sui similitudinem et imaginem. Imago hæc vocari consueverat á latinis *forma* seu *species*, et á Græcis idea, juxta illud Ciceronis (1. Tusc.) *Quam Græci ideam, nos rectè speciem dicere possumus.* Nunc autem placuit novis Philosophis latinam vocem abjicere, et græcam usurpare.

Equidem D. Thom. voce hac græca utitur in tota quæstione 15. 1. p. verùm ibi *ideam* tantum vocat *formam objectam intellectui, ad*

*quam respiciens artifex operatur.* Attamen, cum statutum nobis sit, doctrinam S. Thom. auribus hujus temporis accommodare, vocem hanc *idea* ad sensum novorum Philosophorum usurpabimus, dummodo nobis per eos liceat retinere aliquando veteres *speciem* et *formam*, quæ nostræ sunt. Est ergo idea sic accepta *objecti cujusvis genuina imago, quæ in potentia cognoscente extat dum objectum cognoscitur.* Hæc enim imago est, per quam res externæ cum potentia cognoscente conjunguntur, ut ab ea cognoscantur.

§. 2.

*De impressione et expressione idearum.*

De origine idearum intellectualium; notiones plures Logico necessarias anticipavimus, lib. 1. cap. 11. §. 6., et rursus in 7. *verbum mentis* verbis D. Thomæ explicuimus. Distinctionem verò intimi hujus *verbi* á *specie intelligibili* huic loco reservavimus, quòd sine eà, natura *idearum mentis* vix possit innotescere. Ex doctrina igitur Angelici Præceptoris accipe sequentia.

*Primum.* Anima nostra, sibi conscia omnium quæ in nobis fiunt, sive ab ipsa sola, sive ab ipsa simul cum corpore; dum phantasmata (de quibus ibídem diximus) sensibus internis intuetur, intellectum ad ipsa convertit, ut illis mediantibus, res externas ad se solam trahat; easque, potentia qua cæteris præest, hoc est intellectu, speculetur.

*Secundum.* Ad hoc duplici virtute á Deo donata est: altera quidem *activa*, quæ ex phantasmatibus species intelligibiles eliciat; altera *passiva*, quæ species hujusmodi recipiat, ipsisque utatur. Primam vocat D. Thomas intellectum *agentem*, et secundam intellectum *possibilem* (1. p. q. 79.)

*Tertium.* Hujus distinctionis necessitas ex differentia inter sensum et mentem apparet. Objecta enim sensuum, antequam sensui præsententur; sunt *actu sensibilia*, quia nihil circa illa fieri debet, ut eorum imagines organis sensuum adhereant: ideòque nullus est sensus agens. Phantasmata autem non sunt actu intelligibilia, quia deficit ipsis immaterialitas, sine quâ nihil adhærere potest intellectui, neque esse actu intelligibile. *Oportet igitur*, inquit (ibid. art. 3.), *ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quæ faciat intelligibilia in actu per abstractionem specierum á conditionibus materialibus, et hæc est necessitas ponendi intellectum agentem.*

*Quartum.* Per hanc virtutem anima humana non semper actu intelligit, sed tantum potest intelligere cum voluerit, ut docet S. Doctor (ibid. art. 6.). Propterea duplicem statuit esse in homine memoriam,

aliam *sensitivam*, quæ est sensus quidam internus organo corporeo alligatus, (Vide quæ diximus loco cit. §. 4.), aliam vero *intellectivam* ad conservandas species intelligibiles, intellectu agente formatas. *Si memoria*, inquit, *accipiatur solum pro vi conservativa specierum, oportet dicere memoriam esse in parte intellectiva.... Ad rationem enim potentiæ passivæ* (ait art. 7.) *pertinet conservare sicut et recipere.*

*Quintum.* Ecce igitur *species intelligibiles* ab intellectu agente abstractas á phantasmatibus, atque in thesauro memoriæ intellectivæ conservatas. Cum mens nostra his utitur, actu intelligit; et (si ita loqui fas est) *intus* apud se *legit*, et secum loquitur; sicque sibi nunciat, quæ extra animam sunt. Hoc est *verbum* illud *mentis*, sivè *cordis*, de quo loquitur D. Thomas, de Misterio SS. Trinitatis agens (1. p. q. 34. art. 1.).

Ex hactenus dictis facile intelligitur, quantum inter se differant *species intelligibilis, et verbum mentis.* Illa est forma quædam, seu vis qua intellectus res apprehendit, et percipit. Hoc est opus apprehensionis, et veluti effectus quidam perceptione intellectus productus. *Species* est principium intelligendi, *verbum* verò est terminus intellectionis. Species intelligibilis intus omninò manet; *verbum* autem *mentis* verbo oris manifestatur.

De nominibus nihil moramur. Scimus equidem, verbum mentis passim vocari á nostris *speciem expressam*, et nomen *speciei impressæ* illi tribui, quam nos *speciem intelligibilem* communi nomine vocavimus. Nos autem á prædictis vocibus abstinuimus, non quod eas reprehendendas aut delendas censeamus; sed ut occassionem detractionis auferamus Genuensi, et Lugdunensibus, aliisque forsàn, qui nostra non intelligentes, de illis audactèr loquuntur, nosque calumniantur (Vid. Gen. Log. lib. 2. cap. 1. §. 2.; et Lugdum, de idearum origine quæst. 1.) nunciantes, Scholasticos Philosophos ideam materialem vocare speciem *impressam*, intellectualem verò speciem *expressam*. Hoc quàm falsum sit vidistis. Ridete igitur eorum irrissiones, et digniùs nobiliùsque vobis sit cum D. Thoma ab istis irrideri, quàm cum illis falsa sentire. In tractatu de anima cum eis ad pugnam veniemus. Hæc in transcursu dicenda erant. Nunc propositum concludamus.

Infertur ex dictis, ideas mentis, de quibus in hoc libro agimus, esse ejus *verba*, et non *species intelligibiles;* vel aliter esse species *expressas*, et non *impressas*: Excipienda est sequens quæstio, in quâ de utrisque disseritur: Retinete igitur id quod ab initio lib. 1. jam diximus: *Quid est idea? Id quod voce significamus:* hoc est *terminus* ipse *mentalis.*

# CAPUT II.

## *Ubi quæritur, utrum homo intelligat per ideas innatas, vel á rebus acceptas.*

Vid. ad conferendum D. Thomas, ejusque Interpretes. 1. p. q. 84. a. 3. Rosselli, Altieri, Jacquier, et Lugdunenses.

Celebris hujus quæstionis historia apta utique esset ad confirmandum vulgatum illud Ciceronis effatum: *Nihil est tam absurdum, quod non sit ab aliquo Philosophorum dictum.* Verùm Logico sequentia satis erunt. Cartesius obsoletam Platonis opinionem ex parte restituens, *ideas innatas* iterum introduxit: Lockius contra eas pugnavit: Lugdunenses vero cum Authoribus *Artis cogitandi*, sua plurimum interesse arbitrati sunt, Cartesianorum sententiam totis viribus propugnare. Nobis in hac controversia parum laboris adhibendum est. Eam enim expeditam habemus apud D. Thomam (1. p. q. 84. a. 3.), ubi inquirit, *utrum anima intelligat omnia per species sibi naturaliter inditas?* Hunc articulum more Logico exponendum suscipimus, ut sic tyrones nostri in syllogismis at distinctionibus scholasticis possint exerceri. Sit igitur

### CONCLUSIO.

*Nullæ dantur in nobis ideæ innatæ, per quas anima intelligat.*

Probatur 1.º Eôdem modo se habet aliquis ad formam, quæ est actionis principium, quô se habet ad actionem illam; sed idea sensibilis (sic dicunt) est principium sentiendi, et idea intelligibilis principium intelligendi: ergo eodem modo se habet homo ad ideas sensibiles et intelligibiles, quô se habet ad sentiendum et intelligendum: Nunc sic, sed homo est quandoque cognoscens in potentia tantum, tàm secundum sensum quàm secundum intellectum, ergo tantum est in potentia ad ideas sensibiles et intelligibiles: ergo nullæ dantur ideæ innatæ.

Si dicas cum Platone, animam non posse intelligere actu semper, propter unionem cum corpore, ex quâ nascitur oblivio, sic contra arguendum est.

Probatur 2.º Fieri posse non videtur, ut homo prorsùs obliviscatur eorum quæ naturalitèr cognoscit (sicut quod omne totum sit majus sua parte); sed ea quorum haberet ideas innatas naturaliter cognosceret: ergo ea nunquàm prorsùs oblivisceretur.

Si respondeas cum Cartesianis, oblivionem hanc (sive non usum specierum innatarum) ex defectu

attentionis et reflexionis provenire; cum defectuum hujusmodi prima radix sit moles corporis, idem est ac si diceres, quod unio animæ cum corpore primitivæ nostræ nescientiæ est causa. Stat igitur etiam contra Cartesianos argumentum D. Thomæ, illudque iterum sic instauramus.

Probatur 3.º Inconveniens est, quod naturalis operatio alicujus rei totaliter impediatur per id quod est sibi secundum naturam; sed uniri corpori est animæ naturale: ergo usum idearum innatarum, si darentur, totaliter non impediret. Minor probanda est authoritate Ecclesiæ: dicitur enim in symbolo Sancti Athanasii, quod *anima rationalis et caro unus est homo*; et definitum fuit in Concilio Viennensi, animam rationalem esse formam corporis. Verùm hæc suo loco, fusiori calamo urgebimus.

Probatur 4.º Ideæ rerum á mente accipiuntur per sensus, ergo non sunt innatæ. Prob. ant. Illi qui carent aliquo sensu, nullam habent in mente ideam objecti illius sensus; ut cæcus á nativitate nullam habet ideam coloris, sicut nec surdus vocis, unde surdi á nativitate sunt etiam muti: ergo: Hæc sunt argumenta D. Thomæ, quibus addimus sequens ex ejus doctrinâ deductum.

Probatur 5.º Ideæ mentibus hominum innatæ ad nihil nobis deservirent; ergo nullæ sunt. Prob. ant. Sensus et intellectus homini sufficiunt ad acquirendas ideas quaslibet, sibi ad vitæ usum necessarias: ergo: Ant. potest probari et ex dictis §. antecedenti; et ex dicendis de habitu primorum principiorum qui est nobis naturalis, saltem secundum inchoationem, ut docet S. Thom. (1. 2. q. 51. a. 1.)

## *Solvuntur objectiones.*

Objicies 1.º In mente sunt ideæ rerum universalium; sed istæ non accipiuntur á sensu, (qui solum singularia cognoscit): ergo ideæ rerum universalium sunt innatæ. = R. neg. min. Nam quamvis universalitas rerum non cognoscatur á sensu, cognoscuntur tamen ab illo res in quibus intellectus concipit universalitatem. *Dicitur* autem *cognitio mentis á sensu originem habere* (ait D. Th. q. 10. de verit. art. 6. ad 2.$^{m}$), *non quòd omne illud quod mens cognoscit sensus aprehendat; sed quia ex his quæ sensus aprehendit, mens in aliqua ulteriora manuducitur.*

Objicies 2.º Sunt in mente quædam ideæ quæ á sensibus oriri non possunt. Dantur ergo aliquæ ideæ innatæ. Pr. ant. Mens nostra cognoscit seipsam, suosque actus; proindeque horum habet ideas; sed hæ ideæ nullo modo ortæ sunt á sensibus, cum mens ejusque actus non sint sensibiles: ergo. = R. D. ultimam Maj. Mens nostra cognos-

cit seipsam suosque actus *primò et directè*. N. Maj. *secundò et reflexè*, hoc est ex cognitione sui objecti á sensibus accepta C. maj. et dist. min. Non possunt accipi á sensibus *directè et per se ipsas* C. min. *indirectè*, hoc est mediante objecto mentis N. min. et cons. *Primum objectum actus intellectus*, ait D. Thom. (1. p. q. 87. a. 3.), *non est ipsa ejus essentia, sed aliquid extrinsecum, scilicet, natura materialis rei* (cujus prima cognitio per sensum habetur): *Et ideo, id quod primò cognoscitur ab intellectu humano est hujusmodi objectum, et secundariò cognoscitur ipse actus :::: et per actum ipse intellectus.* Vides ergo, quod omnis cognitio, quam habet anima de seipsa, suisque rebus, oritur á cognitione rerum materialium, proindeque á sensu.

Objicies 3.º Ideæ rerum quæ non sunt objecta sensus, non possunt accipi á sensu; sed mens plures habet ideas rerum quæ non sunt objecta sensus: ergo: Pr. min. Objectum sensus est corporeum et loco extensum; sed mens plures habet ideas rerum quæ sunt incorporeæ, et loco inextensæ (cognoscit enim Deum et Angelos, veritatem et virtutem, et alia hujusmodi): ergo. = R. D. Maj. Non possunt accipi á sensu *immediatè* C. Maj. *mediatè* N. Maj. Cum argumentum hoc á D. Thoma adducatur, ipsius verbis dissolvendum est: *Incorporea*, inquit (1. p. q. 84. a. 7. ad 3.ᵐ), *cognoscuntur á nobis per comparationem ad corpora sensibilia; sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei, circa quam veritatem specculamur. Deum autem cognoscimus ut causam, et per excessum, et per remotionem. Alias etiam incorporeas substantias in statu præsentis vitæ cognoscere non possumus, nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia.* Cum igitur corporalia omnia sint objecta sensuum; manifestum est, cognitionem omnem, quam de rebus incorporeis habemus, sua quadam ratione á sensibus proficisci.

*Quarto*: Proponimus vetus argumentum, quod est tertium inter ea, quæ sibi objicit D. Thomas. Nemo potest verum respondere nisi de eo quod scit, sed aliquis etiam idiota si ordinatè interrogetur, respondet verum de singulis (ut narratur in Menone Platonis de quodam), ergo antea sciebat: nonnisi per ideas innatas; ergo. = R. Dist. Maj. Nemo &c. nisi de eo quod scit *antequam respondeat*, Conc. Maj. *antequam interrogetur* N. Maj. et Conc. min. N. conseq. *Ordinata enim interrogatio* (ait S. Doctor) *procedit ex principiis communibus per se notis ad propria. Per talem autem processum, scientia causatur in ani-*

*mo addiscentis. Unde verum respondet, non quia priùs noverit, sed quia tunc de novo addiscit.*

Objicies ultimò: Divus ipse Thomas (1. p. q. 79. a. 12.) docet, *naturaliter nobis esse indita sicut principia speculabilium, ita et principia operabilium.* Additque, illa pertinere ad habitum qui dicitur *intellectus principiorum*, et ista ad eum quem vocamus *synderesim.* Ex hac doctrina, quam centies repetit præsertim in *Prima Secundæ*, sic formatur argumentum. Principia naturaliter indita sunt propositiones constantes terminis naturaliter inditis (partes enim sequuntur conditionem totius); Sed termini hujusmodi mentales sunt ipsæ ideæ, ut sæpè diximus; Dantur igitur ideæ naturaliter inditæ. = Propter hoc argumentum contendit Lockius, ut videtur (apud Ross. tom. 1. §. 348.) nullo modo admitti posse principia innata: sed rem non intellexit.

R. itaque D. Maj. Principia naturaliter indita sunt propositiones, *dum sunt in habitu mentis* N. maj. *dum sunt actu cognita á mente* C. Maj. et conc. min. Neg. Cons. Diligenter enim observandum est, quod habitus primorum principiorum duo includit; *lumen* scilicet *rationis*, quò statim cognoscitur eorum veritas; et *terminos mentales*, sive ideas ex quibus constant. Docet ergo D. Thom. lumen illud esse quidem nobis naturaliter inditum; de subjecto verò et prædicato constanter tenet, eorum cognitionem esse acquisitam, acceptamque á sensibus. Ita se explicat quotiescumque de principiis naturaliter cognitis loquitur, præcipuè (1. 2. q. 51. a. 1.), ubi cum dixisset, *naturale* esse homini cognoscere veritatem hujus principii: *Totum est majus sua parte*; hæc subdit; *sed quid sit totum, et quid sit pars cognoscere non potest* (homo) *nisi per species intelligibiles, á phantasmatibus acceptas:* Verùm de his alibi fusius. Hæc satis sunt, ut videas, ex principiis quæ D. Thom. docet esse naturaliter indita, ideas innatas nullo modo inferri.



# CAPUT III.

## *De divisionibus idearum.*

Cum statutum nobis sit auribus hujus temporis loqui, oportet divisionem idearum á Junioribus Philosophis traditam exponere, eamque ad doctrinam D. Thomæ, quasi ad lydium lapidem examinare. Ideam ergo vulgò dividunt et ratione originis, et ratione suarum affectionum, et ratione objecti.

## §. 1.

### *In quo dividitur idea ratione originis.*

Ratione originis eas dividunt novi Philosophi in *adventitias*, quæ a rebus externis per sensus adveniunt, ut species montis: *factitias*, quæ á mente formantur ex ideis jam comparatis, componendo, separando, addendo, detrahendo, ut species montis aurei; et *innatas*, quæ ab ipso ortu, sine opera nostra ut ajunt, nobis inseruntur.

Ideas *innatas* superiori paragrapho prorsus explosimus. *Adventitias* autem et *factitias* possumus (parum curantes de vocibus) permittere, modò ritè explicentur; et *adventitiæ* solum dicantur simulacra illa, quæ in sensibus externis et internis formantur; *factitiæ* verò species intelligibiles et verba mentis, prout explicuimus §. 2. Cæterum, nec simulacra sensuum, nec species intelligibiles, sivè impressæ sunt ideæ istæ, de quibus hìc loquimur, ut patet ex dictis.

Rectius autem divideret, qui ideas ratione suæ originis in *acquisitas*, et *infusas* partiretur. *Acquisitæ* sunt, quas *factitias* et *adventitias* permittimus vocari. Infusæ autem; quæ ex speciali influentia divini luminis participantur, quales sunt illæ quibus anima separata intelligit, ut docet D. Thomas (1. p. q. 89. a. 1.). Hujusmodi ideæ infusæ non sunt nostri instituti; sed ad Theologos pleno jure spectant. Quapropter iis omissis.

## §. 2.

### *In quo dividitur idea ratione suarum affectionum.*

Ex hoc capite *primo* dividitur idea in claram et obscuram. Clara est (ex D. Thom. 1. post. lect. 19. lit. A.), cum res aliqua *lumine naturali intellectus statim fit nota.* Hanc secum claritatem ferunt ideæ quædam communes, ut idea entis, totius, partis, et similium. Obscura est idea, cum probatione vel explicatione æget, ut fiat perspicua. Sic ideæ essentiarum et rerum naturalium semper ferè habent aliquid obscuri, siquidem in natura nihil est nisi compositum et abstrusum.

*Secundò* in *distinctam*, et *confusam*. Idea *distincta* est in illo (ex D. Thoma 1. p. q. 85. a. 3.), qui cognoscit totum, sive universale, sive integrale, et omnes ejus partes. *Confusa* verò in eo, qui cognoscit totum aliquod, non verò singulas partes. *Sicut*, inquit, *cognoscere animal* indistinctè, *est cognoscere animal, in quantum est animal. Cognoscere autem* distinctè, *est cognoscere illud, in quantum est animal rationale vel irrationale.*

Observandum hìc, quod idea po-

test esse *clara* quin sit *distincta*: Non tamen potest esse *distincta* idea, quin sit *clara*. Sciendum est etiam quod Condilliacus (de Cog. Hum. P. I. Sect. I. cap. II.), et Lugdunenses (Diss. I. de idea cap. I. a. 2. §. 5.), magno conatu propugnant nullam esse ideam obscuram et confusam. Quare? Quia, inquiunt, *ubi aliquid obscuritatis in mente superest, illud non oritur ex presentis ideæ obscuritate, sed tantum ex alterius ideæ claræ absentia.* Fatentur igitur confusionem et obscuritatem esse in mente, et solum negant eam in ideis reperiri. Quid verò hac discretione puerilius? Quò fine in hac quæstione de vocibus ita seriò immorantur? Vix intelligimus. Sciant autem opus est, confusionem et obscuritatem quæ sunt in mente, non posse oriri nisi á confusione et obscuritate idearum. Si id velint intelligere horum Logicorum sectatores, legant art. 4. quæst. cit. in quo S. Thomas inquirit, *àn possimus multa simul intelligere.* Et respondet, quod multa per unam speciem intelligibilem possumus simul intelligere, non verò per plures: prioremque cognitionem *confusam* esse. Quotiescumque ergò idea aliqua representat multa per modum unius, confusa et obscura est, et causa confusionis et obscuritatis, quæ sunt in mente.

*Tertio* in *perfectam*, et *imperfectam. Perfectam* alicujus rei ideam habet (ex D. Thom. I. p. q. 12. a. 7.), qui eam tantum cognoscit, quantum cognoscibilis est. *Imperfectam*, qui non pertingit ad illum perfectum modum cognitionis, quo res est cognoscibilis. Itaque qui rem comprehendit *perfectam*, ejus ideam habet; *imperfectam* qui non comprehendit. Exemplo trianguli divisionem hanc explicat S. Doctor. *Si hoc quod est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, aliquis sciat per demonstrationem, comprehendit illum*, per claram ideam. Si verô aliquis probabiliter tantum noverit, non comprehendet ipsum, nec proinde perfecta erit ejus idea.

*Quartò*: in *intuitivam* et *abstractivam.* Idea *intuitiva* est, quæ nobis exhibet objectum ut coexistens ideæ, et nobis præsens, non modò in mente, sed etiam in seipso. *Abstractiva* verò, cum objectum repræsentatum nobis non adest, nisi ut cognitum in cognoscente. Sic notitia Dei quam nunc habemus, est *abstractiva*; quia illum non videmus nisi *per speculum in ænigmate*: Erit autem intuitiva in Patria, quia *tunc videmus eum sicuti est.*

§. 3.

*In quo judicium fertur de divisionibus idearum ratione objecti.*

Ad immanem idearum turbam,

quam oculis objiciunt novi Philosophi, cum eas dividunt pro varietate rerum, quæ menti objiciuntur; vix non expavescimus. Sex ad minus earum, paria nobis obtrudunt, cum ad hunc locum perveniunt: 1. Simplices, scilicet, et compositas: 2. Absolutas, et associatas. 3. Abstractas, et concretas. 4. Completas, et incompletas. 5. Adæquatas, et inadæquatas. 6. Universales, et particulares. Tolerabilior autem esset hæc idearum dissectio, si ejus authores in uniuscujusque notione tradenda convenirent. Verùm frustra doctrinæ conformitatem quæras ab illis, qui Philosophicam libertatem Majorum sententiis præferre constituerunt, quique novis vocabulis novas æquivocationes sectantur.

Patientiam miramur eruditissimi P. Rosselli, qui tres Quæstiones integras ad detegenda atque refellenda harum divisionum errata elaboravit. Nos brevitati, et vitandæ confusioni studentes, quid circa prædictas divisiones sentiendum sit, hoc est quid sit in eis inutile, quid indiferens et quid periculosum, perspicuè quantum fieri possit, declarabimus. Accipe igitur sequentia documenta.

*Primum.* Divisio idearum ex parte objecti eâdem ratione ac proportione fieri debet, quâ divisio terminorum vocalium, ex parte rei significatæ, facta est. Nam authore Div. Thoma, verbum quod ore profertur á verbo mentis procedit, illudque immediate significat. Quapropter constans nobis sententia est, ideam nihil aliud esse, quam ipsum verbum mentis, quod etiam vocari solet *species expressa*, et terminus mentalis. Itaque cum significatum ideæ et vocis idem tandem sit, poterit utraque eodem modo dividi ex parte rei significatæ.

*Secundum.* Hinc infertur quantum á verò aberraverint Lockius et Condilliacus, existimantes obscuritatem et confusionem idearum nostrarum, ab obscuritate et confusione significationis vocabulorum provenire, cum contra eveniat; nam verbum cordis non procedit á verbo oris, sed hoc ab illo, ut docet Div. Thomas, et evidens est. Vitia ergo loquutionis ejusdem hominis á vitiis idearum ipsius procedunt. Quamvis verum sit, quod obscuritas et confusio idearum unius provenire possit á verbis obscuris et confusis alterius.

*Tertium.* Ne nodum in Scirpo quærere videamur, postremis quinque idearum clasibus mox relatis licebit per nos uti, modò rectè explicentur, et vocibus illis vetus significatio conservetur; desumptæ enim videntur â distinctionibus scholasticis, quas respondentes ad argumenta passìm adhibemus. Notandum tamen, quod divisio secunda ideæ in *absolutam* et *associatam*, eadem est ac nostra termini in *absolu-*

*tum* et *connotativum*; et sexta in *universalem* tantum et *particularem* est diminuta, quod singularis omittatur. Periculum autem quod maximè formidamus in ideis simplicibus et compositis, totum latet. Recole quæ diximus lib. 1. cap. XI. de syllogismo complexo et composito; et audi documentum.

*Quartum.* Oleum et operam perderet, qui certam aliquam notionem ideæ simplicis á novis Philosophis quæreret. Nam 1. Baldinotus (not. ad §. 223.) certiores nos reddit, diversam acceptionem *simplicium* causam esse, cur qui ab eo vocantur syntetici et analytici, quamvis omnes *á simplicioribus* incipiendum esse doceant, de rebus tamen ipsis tantopere disentiant. 2. Lugdunenses autem (Log. Diss. 1. a. 2. §. 2.) affirmant, *á mente effici non posse ideas simplices, animamque circa eas esse merè otiosam.* 3. Condilliacus demum (Tom. 2. pag. 239.) ideas abstractas putat non esse simplices, séd hoc præconio tantum esse dignas quæ á sensibus transmittuntur, á quibus proindè incipere debeat analysis ab eo tantopere decantata.

*Quintum.* Ex doctrina D. Thom. idea simplex illa dicenda est, quæ pertinet ad primam mentis operationem; et composita quæ expectat ad secundam. Ratio est, quia S. Doctor (1. Post. lect. 1.), actionem primam intellectus vocat *intelligentiam indivisibilium, sive incomplexorum;* et secundam *compositionem, vel divisionem intellectus.* Hac de causa admonuimus lib. 1. cap. 3. §. 2., quod quamvis in enunciatione subjectum aut prædicatum pluribus vocibus interdum constet, semper tamen á Logico unumquodque eorum unus terminus censetur.

*Sextum.* Idea quam dicunt *compositam*, posset á nobis vocari idea *complexa*, ipsique accommodari definitio termini *complexi*, non cujuscumque, sed illius qui est complexus *re et voce*, vel *re* tantum. His animadversis, postremam divisionem quam diminutam diximus, implere, nostramque facere oportet.

Idea ergo pro varia extensione rerum quas refert, dividitur in *universalem*, quæ multa continet per modum unius, ut *animal; particularem*, quæ rem unam ræpresentat, non tamen determinatam, ut *aliquod animal*; et *singularem*, quæ unum quid certum ac determinatum significat: ut *hoc animal.* Ideam hanc singularem format intellectus *indirectè et quasi per quandam reflexionem*, ut docet S. Thomas (1. p. q. 86. á 1.). Hæc divisio ad tractatum, qui præcipuus est in hoc libro, nos vocat. Itaque

# CAPUT IV.

## *De universalibus generatim.*

§. 1.

*Hoc nomen universale de pluribus dici.*

Universale, ut vox ipsa indicat, est unum versus alia, hoc est, unum ad multa relatum. Hinc plura sunt, quibus hoc nomen accommodatur. Dicitur enim universale 1. in *causando* ut Deus O. M. qui universalis est rerum omnium creatarum causa. 2. in *repræsentando*, ut idea hominis, quæ omnes homines per modum unius repræsentat. 3. in *cognoscendo*, ut intellectus qui omnia potest cognoscere. 4. in *significando*, ut voces communes, quæ multa significant. 5. in *essendo*, ut naturæ rerum quæ in multis existunt. 6. in *prædicando*, ut cum formantur propositiones, in quibus una natura cum multis conjungitur. Duo hæc postrema universalia solo nomine differunt. Quamvis enim universale in *essendo* ad Methaphysicam pertineat, sicut ad Logicam *universale in prædicando*; eadem tamen omnino est natura, quæ et de multis *prædicatur*, et in multis est.

Et ecce vobis quare Logicum instruere cogimur de quibusdam quæ sunt propria Methaphysici. Qui enim fiet ut unius ejusdemque rei distinctam et claram ideam habeas, nisi eam ex omni latere introspicias? Tametsi alia extat potentior causa, quæ veterem Peripateticorum de *Prædicabilibus* Porphirii, et Aristotelis *Categoriis* disputationem, nulla ratione nos sinit prætermittere. Nimirum non pauca in his invenies, quæ ad detegenda, disolvenda, et dissipanda sophismata, quibus Fidei nostræ hostes eam obnubilare nituntur, maximopere deserviunt. Hæc reputent apud se eruditi ac sapientes viri, quibus cum vera Religio cordi sit; hæc tamen omnia, tamquam inania et levissima jubent á Logica exulare. Nos nostra sequamur.

§. 2.

*In quo proponitur definitio universalis á Sancto Vincentio Ferrerio tradita.*

Sanctus Vincentius Ferrerius, quem utriusque Philosophiæ, naturalis nimirum et Divinæ, fastigium attigisse, et in vita ejus legimus, et á Majoribus nostris accepimus; in opusculo, quod de *unitate naturæ universæ* ediderat, hanc universalis definitionem proponit. Universale est, *sua singularia accepta et intel-*

*lecta, secundum id præcisè in quo sunt conformia.* Ita refert, et certis documentis probat Scholasticus non inelegans, et apprimè eruditus P. Didacus Massius Valentinus (Comment. in Dial. Tom. 2. p. 1022.).

Quantum autem nobis hæc deffinitio placuerit ex quò in illam incidimus, vix dici potest. Exactè definitionis leges in ea servantur omnes. Hoc ut planum fiat, observandum est. 1. Ex D. Thom. (1. p. q. 85. a. 2. ad 2.), magnum esse discrimen inter universale et universalitatem. Nam *universale* est nomen concretum, quod subjectum significat cum sua forma. *Universalitas* verò est terminus abstractus, qui formam sine subjecto significat. 2. Hanc universalitatem sive formam, esse accidens quoddam sui subjecti sive naturæ universalis, in quam ab intellectu immititur, eodem ferè modò quo calor est accidens aquæ, in quam ab igne introducitur. Nihil enim refert (quod ad propositum attinet) an illud quod rei accidit, dummodo accidat, sit ens reale vel ens rationis. 3. Doctrinam esse D. Thomæ (cap. 7. de Ent. et Ess.) quod ex substantia et accidente non fit unum per se, sed tantum per accidens. Ex quo infertur, ex natura universali et universalitate fieri aliquid unum per accidens, non vero per se. 4. Docere ibidem Ang. Præcep., quod cum accidens definitur in concreto, proprium ejus subjectum ponitur loco generis, et forma ejus accidentalis loco differentiæ. E contrario vero cum definitur in abstracto; tunc enim forma ponitur loco generis, et subjectum loco differentiæ: exemplumque subdit ex *simo* et *simitate* desumptum. Si primum definiatur, dicendum est: *Simus est nasus recurvus.* Si secundum, definitio hæc erit: *Simitas est curvitas nasi.*

Hæc ad definitionem S. Vincentii transferentes, cum in ea definiatur universale in concreto, videmus positas loco generis naturas singularium, hoc est illud in quo singularia sunt conformia, hoc enim est subjectum universalitatis, quam loco differentiæ positam conspicimus. Eam enim denotant verba illa, *secundum id præcisè in quo sunt conformia.* Leges igitur definitionis (quantum patitur accidens in concreto definiendum) in definitione S. Vincentii exactè servantur. Quod si universalitatem in abstracto definire velis, sic ad sensum S. Vincentii poteris dicere: Universalitas est: *Secunda quædam nocio* (sive intentio, ut nostri vocant) *singularibus omnibus, secundum id præcise in quo sunt conformia, attributa.* Unde et universale vulgò definiri solet: *Unum aptum inesse multis, et prædicari de illis.*

Singularia autem, non accipiuntur nec intelliguntur secundum id præcisè in quo sunt conformia, nisi proprietatibus individuantibus, ab intellectu per abstractionem exuantur. Ad pleniorem ergo prædictæ definitionis intelligentiam agendum nobis superest, et de singularibus sive individuis, et qua ratione ab intellectu accipiatur id in quo sunt conformia.

§. 3.

*De singulari sive individuo, et de his quæ in eo continentur.*

*Individuum* dicitur aliquid, vel *generaliter*, vel *specialiter*. Primo modo locum habet in omni genere, etiam in accidentibus. Hoc sensu, potest sic definiri: *individuum est id, quod de uno tantum enunciatur.* Individuum secundo modo acceptum solis substantiis convenit, sicque definitur: *individuum est id, quod proprietatibus quibusdam constat, quæ omnes eædem convenire alii nullo modo possunt.* Proprietates istæ carmine comprehenduntur memoriæ causa.

*Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.*

Individuum substantiale dicitur á Philosophis *Suppositum.* Ubi vero *suppositum* est intellectualis naturæ, dicitur *Persona*, v. g. Socrates, cui facile applicantur septem proprietates carmine designatæ.

Individuum quod non est substantia completa, dicitur quidquid existit, sive per se, sive per aliud existat, sive in se existat ut totum, sive in alio ut pârs, sive naturâ sive arte factum inveniatur. Unde quævis existentia rem singulârem et individuam facit. At verò, ut aliquid sit individuum in genere substantiæ, hoc est, ut sit *suppositum* vel *persona*; requiritur etiam, ut per se completè existat, et in seipso subsistat; atque ut ita dicamus, ut sistat in seipso, ut sit sui ipsius, ut non possit alteri communicari. Hæc omnia secum adfert *subsistentia*, cujus sive *suppositum*, sive individuum substantiale, sive etiam persona est concretum, sicut vivens est concretum vitæ.

Hinc infertur 1.° »Non quodlibet individuum substantiale habere rationem Suppositi vel Personæ »(D. Thom. 3. p. q. 2. a. 2. ad »3.m), sed solum illud quod per se »existit, non autem quod existit »in alio perfectiori. Unde manus Socratis, quamvis sit quoddam individuum, non tamen est persona, quia non per se, neque in »se existit; sed in quodam perfectiori, scilicet in suo toto."

Infertur 2.° quod natura distinguitur á supposito naturæ, quòd est individuum subsistens in natura illâ (D. Thom. ibidem in cor-

pore, et 1. p. q. 3. a. 3.). Ratio est hæc: In rebus creatis per se subsistentibus multa inveniuntur, quæ non pertinent ad rationem speciei, hoc est ad *naturam*, quæ vox significat essentiam speciei, quam explicat definitio. Talia sunt septem proprietates individuales quas diximus; et accidentia adventitia, ut frigus hyemis, calor æstatis, et alia quæ nobis accidunt. Ideo in rebus creatis subsistentibus, etiam *secundum rem*, ait S. Doctor, *differt natura et suppositum*, *non quasi omnino aliqua separata*, *sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei*, *et superadduntur quædam alia*, *quæ sunt præter rationem speciei. Unde suppositum significatur ut totum habens naturam, sicut partem formalem et perfectivam sui*. Hactenus D. Thomas.

Manifestum est ergo, *Personam*, sive *suppositum*, sive *individuum* in genere substantiæ completæ, esse veluti quoddam totum; in quo diversi generis partes plurimæ, non modò continentur, sed etiam uniuntur. Hæ sunt in Socrate v. gr. principia essentialia ut *animal*, et *rationale*, conditiones singulares suæ materiæ, sive septem proprietates individuales quas diximus; et accidentia communia ipsi advenientia, ut sanitas aut ægritudo. Hæc omnia simul per modum unius repræsentantur in Simulacro Socratis, quod imprimitur in sensibus tum externis tum internis, quodque mens nostra indirectè et quasi per quamdam reflexionem cognoscit.

Diximus autem (cap. 2. §. 2.) quod cum intellectus noster multa simul per modum unius intelligit, confusè tantum cognoscit. Quid ergo? nunquam nè poterit mens nostra eorum omnium, quæ in persona, supposito, vel individuo continentur, notitiam claram et distinctam assequi? Potest utique: Deus enim O. M. animæ nostræ Creator, in necessariis non deficit. Audi S. Thomam (1. p. q. 85. a. 4. ad 3.$^{m}$) *Partes*, inquit, *possunt intelligi.... cognitione distinctâ, secundum quod quælibet cognoscitur per suam speciem*, *et sic non simul intelliguntur*. Hæc specierum sive idearum multiplicatio á Junioribus vocatur analysis, a nobis multò proprius dicitur abstractio: De qua

## §. 4.

*In quo explicatur quid et quotuplex sit abstractio.*

Propriam hanc et peculiarem mentis nostræ operationem sic definimus: Abstractio est: *actio intellectus separantis unam rem ab altera sibi unita*. Eam dividere possumus, habita ratione vel intellectus abstrahentis, vel objecti abstracti.

Ex parte intellectus abstrahen-

tis in tres species distribuit illam D. Thomas (1. p. q. 85. a. 1. in corp. et ad 1.m) *Prima* pertinet ad intellectum agentem, qui ad phantasmata conversus, ut diximus (Cap. 1. §. 2.), species intelligibiles sive impresas ab ipsis edùcit. *Secunda* fit in prima mentis operatione *per modum simplicitatis, sicut cum intelligimus unum nihil considerando de alio. Tertia* pertinet ad secundam mentis operationem: *Contingit* enim *per modum compositionis et divisionis, sicut cum intelligimus aliquid non esse in alio, vel esse separatum ab eo.*

Ex parte objecti est etiam triplex abstractio. *Prima*, dicitur abstractio formæ a subjecto seu materia; ut cum Theologus considerat peccatum, nihil cogitando de peccatore. *Secunda* est abstractio atributi ab atributo; ut cum Dux belli in aliquo suorum militum scientiam, fortitudinem, et pietatem seorsim considerat. *Tertia* est abstractio notionis universalis á particulari; ut cum Philosophiæ Moralis auditor virtutem in genere considerat, antequam ad ejus differentias et species sit progresus. Hæc est abstractio hujus loci propria.

Ex hactenus dictis facilè refutari possunt absurda duo, quæ Philosophiæ reformatores tamquam oracula fundunt. Primum est Wolfii, qui ideas, quas universales vocamus, nihil esse dixit, nisi perceptiones celerrimas plurium idearum similium. Nimis vero celeriter hæc definivit: Quæcumque enim fingatur celeritas in perceptione idearum sensibilium, materialium et singularium, nullæ ex illis, neque omnes celerrimè, aut simul naturam in sua communitate repræsentare possunt; cum unaquæque objiciat animæ nostræ naturam singularem proprietatibus individualibus circunscriptam. Absque abstractione igitur cognitio universalium non habetur. Ita (1. p. q. 76. a. 2. ad 3.m) sententiam Wolfii depéllit D. Thomas, cujus hæc est laus, ut errores post ipsum futuros etiam confutaverit.

Secundum est Gassendi, qui nè nobiscum sentire videretur, universalia dixit fieri non modò abstractione, sed etiam aggregatione similium idearum, quas putat in unam veluti aggeriem conglobari, ut naturam universalem repræsentent. Hoc temerè dici, quis non videt! Ab ideis sive á verbis mentis procedunt verba oris, ut diximus (cap. 1. §. 2.). Sicut ergo actiones et verba oris non possunt esse multa simul, sic necesse est, perceptiones et ideas sibi succedere. Atque ut exemplo utamur Ang. Præcep. (1. p. 85. a. 4.) *Sicut impossibile est, quòd idem corpus, secundum idem, simul coloretur diversis coloribus, vel figüretur diversis figuris.... ita impossibile est, quod idem intellectus simul perfi-*

*ciatur diversis speciebus intelligibilibus, ad intelligendum diversa in actu.* Hæc per transennam dicta sunt, graviora nos stimulant.

✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣

## CAPUT V.

### *Utrum id quod repræsentant ideæ universales, et significant nomina communia sit aliquid reale.*

Vid. ad conf. Javellus, Massius, Rosselli, Goudin.

Maximi momenti est hæc controversia, quæ nisi rectè et perspicuè dijudicetur, Philosophorum ingenia vel in palpabilem confusionem immergit, vel in horrendos errores præcipitat.

Heraclitus, Democritus, Epicurei, et reliqui veteres qui scientiam omnem, certamque rerum cognitionem è medio tollebant, ideò tollebant (1. p. p. 84. a. 1.) quòd nihil universale, incorporeum, et stabile agnoscerent. Horum deliria sequenti Libro manent refutanda.

His superveniens Plato, *posuit formas rerum sensibilium per se, sine materia subsistentes* (sunt verba D. Thomæ ibid. a. 4.), *sicut formam hominis, quam nominabat* per se hominem; *et formam vel ideam equi, quam nominabat* per se equum; *et sic de aliis. Has ergo formas separatas ponebat participari et ab anima nostra, et á materia corporali. Ab anima quidem nostra* ad cognoscendum, *à materia vero corporali* ad essendum: *ut sicut materia corporalis, per hoc quod participat ideam lapidis, fit hic lapis; ita intellectus noster per hoc quod participat ideam lapidis, sit intelligens lapidem.* Hactenus D. Thomas, qui in toto hoc articulo Platonis ideas rejicit, ad quem propterea lectores remittimus, si velint rem profundiùs investigare. Cum enim hæc opinio prorsùs absoleverit, nostræ hujus ætatis non est propria.

Quæ hodie verè sapientibus stomachum movere debet, est opinio Nominalium, á Stoicis primò (nè videtur) inventa, ab antiquis quibusdam scholasticis propagata, et novissimè á Condilliaco celebrata et locupletata. Veteres Nominales, quos ante Ocamum S. Anselmus *Dialecticæ hæreticos* vocaverat, et reprehenderat D. Thomas (1. p. q. 14. a. 15. ad 3.), solas voces et ideas universales esse contendebant, ita ut voces exteriores vocarent *universalia arbitraria;* interiores vero conceptiones, *universalia naturalia.* Cum autem persuasum haberent, scientias non esse nisi de universalibus; eas negare non ausi, propugnabant, voces solas et conceptiones esse scientiarum objecta. Si veteres tantum Nominales, ar-

guendi essent, satis foret ostendere, ideis universalibus aliquid extra animam respondere. Verùm Condilliacus ultra progreditur: et bis Nominalis, nec ideas reales nominibus, nec rem aliquam ideis abstractis respondere, totis calliditatis suæ viribus suscipit propugnandum.

Id ut exequatur, errores omnes Philosophicos (hos ferè non infinitos supponit) inde ortos asseverat, quòd ideæ abstractæ ab anima extra animam translatæ sint. (*En español: de haberse realizado todas las ideas abstractas.*) Ut ergo ab imaginato hoc insipientiæ fonte, proselytos suos avertat, Nominalium patrocinium apertè suscipit (De cogn. hum. sect. v. §. 5. not.). *Nominalium Thesis*, inquit, *bona erat, sed ratione satis mala probata.* Cur ita? quia Nominales, ut diximus, præter voces communes, internos etiam conceptus universales cum Stoicis admittebant. Ipse verò (Log. p. 2. cap. 5.), ideas abstractas nihil esse ait, nisi meras denominationes; et quicumque aliter existimet, subdit, *similis erit Pictori, qui obstinato animo hominem in communi depingere conaretur.* Quorsùm autem hæc comparatio? Nempe, ut intelligant tyrones hoc exemplo, ideas omnes nostras á sensibus acceptas in illis consistere, adeoque non repræsentare nisi res individuas, quemadmodum fieri non potest imago nisi hominis individui.

Porro ex hoc principio multa ille infert animadversione digna. Primum: ideas omnes generales et abstractas nihil esse in anima nostra, nisi ideas nominum, et non rerum. 2.$^{m}$ Verba nostra nihil esse nisi media quædam, quibus indigemus ad cogitandum. 3.$^{m}$ Artem cogitandi sive Logicam definiendam esse *linguam exactam.* 4.$^{m}$ hæc tria *loqui, ratiocinari*, et *formare* sibi *ideas* generales et *abstractas*, substantialiter esse idem.

Monstra hæc atque portenta, perinde ut causa postulat debellare, institutum nostrum non patitur. Refellenda sunt tamen more nostro, ut hinc saltem tyrones incipiant intelligere honorem animarum nostrarum. Nam et Baldinottus, scholasticorum alioqui inimicus Lib. 1. n. 22. hæc scripsit: *Idearum universalium magna est utilitas et præstantia, iisdem tantum antecellimus bestiis, quantum ratiocinatio valemus.* Sed prius contra veteres Nomiuales agendum est. Sit ergo.

## CONCLUSIO I.

*Id quod repræsentat idea abstracta naturæ universalis, est aliquid reale, extra animam in omnibus singularibus existens; quamvis secunda notio sivè intentio universalitatis non sit nisi in intellectu.*

Prob. 1.° ex definitione S. Vincentii. Idea universalis repræsentat id, in quo omnia singularia confor-

mantur; sed hoc est aliquid reale extra animam existens; non enim pendet ab intellectu nostro, sed á scientia Dei, quæ est causa rerum (1. p. q. 14. a. 8.): ergo.

Prob. 2.º et simul explicatur verbis D. Thomæ (1. p. q. 85. a. 2, ad 2.m): „Cum dicitur universale „abstractum duo intelliguntur: sci„licet ipsa natura rei: et abstractio „sive universalitas. Ipsa igitur natu„ra (cui accidit vel intelligi, vel abs„trahi, vel intentio universalitatis), „non est nisi in singularibus; sed „hoc ipsum quod est intelligi, vel „abstrahi, vel intentio universalita„tis, est in intellectu, et hoc pos„sumus videre per simile in visu. „Visus enim videt colorem pomi, „sine ejus odore; si ergo quæratur, „ubi sit color qui videtur sine odo„re, manifestum est, quod non est „nisi in pomo. Sed quòd sit percep„tus sine odore, hoc accidit ei ex „parte visus, in quantum in visu est „similitudo coloris, et non odoris. „Similiter humanitas (*natura abs„tracta á supposito*) quæ intelligi„tur, non est nisi in hoc vel illo ho„mine; sed quod humanitas appre„hendatur sine individualibus condi„tionibus, (quod est ipsam abstra„hi, ad quod sequitur intentio uni„versalitatis), accidit humanitati se„cundùm quod percipitur ab intel„lectu, in quo est similitudo na„turæ speciei, et non individualium „principiorum."

Prob. 3.º ratione. Objecta scientiarum naturalium sunt aliquid reale extra animam existens, (est enim scientia cognitio rei per causam suæ existentiæ); atqui ea quæ repræsentantur per ideas universales, sunt objecta scientiarum, (non enim dantur scientiæ de singularibus, cum hæc sint variabilia, et propemodùm infinita): ergo

Prob. 4.º alia ratione: Objectum intellectus est aliquid universale; (in hoc enim differt sensus ab intellectu, quod sensus, ut fert axioma, est singularium, et intellectus universalium); atqui objectum intellectus est aliquid reale extra animam existens: ergo aliquid reale extra animam existens est universale. Prob. min. Objectum intellectus est res directè intellecta; sed hæc extra animam existit (nam anima se et sua non nisi per reflexionem intelligit.): ergo.

Prob. 5.º ex Mysterio Incarnationis: Idea naturæ humanæ abstractæ á Persona, repræsentat aliquid reale extra animam existens: ergo. Prob. ant. Talis idea repræsentat aliquid realiter distinctum á persona, scilicet naturam: ergo. Ant. et patet ex dictis, et probatur sic ex mysterio fidei: Quæ sunt realiter separabilia, realiter distinguuntur; sed ex mysterio incarnationis constat, Verbum Dei assumpsisse naturam et non personam humanam: Ergo. Hæc probatio majorem cer-

titudinem causat in mente Christiana, quam demonstratio perfectissima. Ideo S. Anselmus (De Fide Trin. cap. 4.) hæc scripsit: *Qui non potest intelligere aliquid esse hominem nisi individuum, nullatenus intelliget hominem, nisi humanam personam. Omnis enim individuus homo, persona est. Quomodo ergo iste intelliget, hominem assumptum esse á verbo, non personam; id est aliam naturam* (á Divina), *non aliam personam esse assumptam?*

## CONCLUSIO II.

*Irrationabiliter et audacter affirmat Condilliacus, ideas universales abstractas nihil esse, nisi ideas vocum, sive meras denominationes, et cætera quæ retulimus.*

Prob. irrationabilitas: Negare internas nostras affectiones, quas intimo sensu percipimus, est irrationale; atqui unusquisque nostrum intimo sensu percipit, se, etiam cum tacet, et nihil de verbis sensibilibus imaginatur, abstrahere ideas generales, illis uti, ratiocinari, et reflectere supra omnes mentis suæ actus et ideas: (*Hoc experimento cognoscimus*, ait D. Thomas 1. p. q. 79. a. 4., *dum percipimus nos abstrahere formas universales á conditionibus particularibus*): irrationale est igitur omnia hæc negare.

Præterea, ex D. Thom. (1. p. q. 34. a. 1.) verba oris, ut sæpe diximus, á verbis mentis, mediante imaginatione, procedunt. Anima ergo nostra res intelligit, priusquam ad imperium rationis verba sensibilia imaginatione disponantur. Prius ergo est intelligere quàm loqui, imò quàm imaginari loquutionem. Caret igitur ratione qui ideas universales et abstractas, quæ sunt in solo intellectu, exterminandas putat.

Prob. audacia. Positio Condilliaci. 1.° tollit orationem mentalem, cum enim in ea non loquamur, diceret Condilliacus, quod non ratiocinamur. 2.° tollit visionem illam propheticam, quam vocant *intellectualem*. Hæc enim non fit per ideas á sensibus acceptas (D. Thom. 2. 2. q. 173. a. 2.), sed per species intelligibiles á Deo infusas. 3.° tollit possibilitatem actus interni fidei, quo nihil loquentes, omnia á Deo revelata generaliter credimus. 4.° Tollit demum possibilitatem apostasiæ generalis internæ, qua tamen implicantur impii quam plures, qui dum se catholicos fingunt, fidei mysteriis omnibus valedicunt. In hæc et alia præcipitia ruere necesse est illum, qui inter sensum et intellectum nostrum non satis acuratè distinguit.

### *Solvuntur Objectiones.*

Adversus primam conclusionem sequentia vel iis similia Nominales objiciebant. Si natura aliqua materialis per ideam universalem abstrac-

tam repræsentatâ, esset aliquid reale: *Primo:* esset etiam aliquid productum; 2.° esset existens; 3.° esset sensibilis. 4.° esset loco et tempori alligata; atqui hæc omnia naturis universalibus non conveniunt, sed tantum individuis: nihil igitur est in rerum natura illud, quod idea universalis repræsentat. = R. Permissis omnibus quæ in majori continentur, D. min. Hæc non conveniunt naturis universalibus sumptis *formaliter pro universalitate* C. min. sumptis *materialiter pro subjecto universalitatis* N. min. et conseq. Hæc generalis responsio, post ea quæ diximus, et quæ ex D. Thoma retulimus, illustratione non æget. Cæterùm nè difficultates Nominalium parvipendere videamur, sic respondemus ad singulas.

Ad 1.m In generatione substantiæ materialis natura et suppositum producuntur; sed cum discrimine, suppositum enim est terminus *qui* producitur, cumque producatur recipiendo naturâm (sicut diaphanum fit lucidum, recipiendo lucem) ideo natura dicitur terminus *quo* productionis suppositi. Hoc alibi fussius explicabitur. = Ad 2.m Cum omnia quæ continet suppositum in eo uniantur; in ipso pariter existunt. *Esse* (sive existere ait D. Thomas 3. p. q. 17. a. 2.) pertinet et *ad naturam* et ad *hyposthasim* (sive suppositum). *Ad hyposthasim quidem sicut ad id quod habet esse; ad naturam autem, sicut ad id, quo aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum formæ, quæ dicitur ens ex eo quod eâ aliquid est, sicut albedine est aliquid album, et humanitate est aliquis homo.* Itaque si propriè loquamur natura non est dicenda *existens*, sed suppositum per eam. = Ad 3.am Recolenda quæ diximus de sensibilibus per se et per accidens (lib. 1. cap. II. §. 3.). Ea enim huc transferentes facile intelligemus suppositum esse sensibile *per se*, et naturam *per accidens*. Siquidem hæc cognoscitur á nobis per intellectum, dum sensibus percipitur suppositum. = Ad 4.am Cum locus et tempus sint proprietates individuales, non repræsentantur per ideam abstractam et universalem naturæ: universalia enim sunt perpetua, ut suo loco dicemus. Sed de argumentis Nominalium satis. Audiamus objectiones Condilliaci contra secundam conclusionem.

Sed ubi sunt illæ? Quo loco paradoxum *idearum suarum nominalium* statuit (P. 2. Log. cap. v.), nullam ratiocinationem, aut probationem hoc nomine dignam invenimus. En principium unde proficiscitur. *Idea hominis in communi v. gr. est pars idearum totalium Petri, et Pauli.* = Examinemus hæc verba. Fiat analysis hujus *totius*, et harum *partium*. Vel loquitur Condilliacus de rebus repræsantatis per

ideas; vel de ideis ipsis. Si primum; diceret Aristoteles, eum sensu carere. Enim vero, quamvis omnia quæ sunt in individuo sensibus per modum unius repræsententur; nulla tamen pars clarè et distinctè ipsis objicitur, nisi illa quæ per se est objectum illorum, ut color respectu visus; Natura autem in communi non est *per se* sensibilis, sed tantum *per accidens*; hoc est eam cognoscimus per intellectum, dum principia individuantia sensibus percipimus. (Vide quæ diximus lib. I. cap. 2.) Somnianti ergo esset similis, qui dum videt Petrum, diceret se videre naturam humanam in communi tamquam partem ideæ singularis.

Si secundum: vereor nè positum á Condilliaco principium, materialismum sapiat. Siquidem apud eos, qui animam nostram á Deo factam putant, *idea hominis in communi* est aliquid spirituale in sola mente existens. *Idea* vero *hominis individui* est sensibilis et organo corporeo alligata; cujús proinde illa nequit esse pars, nisi spiritualitas ipsi denegetur. Rejiciendum ergo principium cui innititur Condilliaci Nominalismus.

Addit deinceps hoc lepidum enthymema: *Non datur homo in communi: ergo hæc partialis idea nihil realitatis habet extra nos.* = R. Hanc esse crambem recoctam, secundum scilicet argumentum Nominalium, cui jam responsum est. Præterea latet in eo *fallacia accidentis* (de qua suo loco), accidit enim homini ut diximus ex D. Thom. quod abstrahatur ab individuis, sivè quod consideretur in communi.

Argumentatur 3.° Condilliacus præpostero hoc dilemmate. *Dum cogito hominem; vel considero in hoc verbo denominationem communem, vel aliquid præter ipsam. Si primum; ergo idea mea circumscripta est huic nomini, adeoque est nomen ipsum. Si secundum; jam hominem mihi repræsento; atqui homo neque in rerum natura, neque in meo spiritu est homo abstractus, et generalis: ergo idea abstracta nihil est nisi denominatio.* = R. In hoc argumento manifesta est fallacia petitionis principii. Probat enim Condilliacus idem per idem, scilicet, ideam generalem et abstractam hominis esse meram denominationem, quia homo abstractus et generalis non est in meo spiritu; quod equidem nec probat ipse, nec probabunt unquam qui ejus Logicam amant.

Ex his inferre licet, quo in prætio habendæ sint declamationes adversus Scholasticos, quæ novus hic Nominalis evomuit de abstractionibus loquens (Sect. 5. de Cogn. Hum.). Ea hìc singillatim refellere longum foret. De illis redibit sermo cum de anima agémus.

# CAPUT VI.

## *De prædicabilibus Porphirii.*

Abstractio, quæ fit per intellectum agentem, et per primam possibilis operationem, naturam universalem aptam reddit ut de suis singularibus prædicetur. Cum enim (ut diximus §. 3. præced.) multa quæ non pertinent ad naturam individui, sive suppositi, in eo uniantur; abstractione fit, ut omnia quæ sunt in eo, singillatim et seorsim inspiciamus, cum singularibus comparemus, et qua ratione illis unumquodque conveniat, aut non conveniat, dijudicemus aut enuntiemus. Post consideratam ergo universalium abstractionem, de eorum prædicabilitate dicendum est. Itaque

### §. I.

### *De natura prædicabilium.*

Natura universalis et in multis est, et de multis prædicatur, adeoque definiri potest vel per id quod est, vel per id quod prædicatur, vel per utrumque. Quem definiendi modum et nos supra probavimus. Cæterùm aspernenda non est trita illa divisio universalis in *Metaphysicum* et *Logicum*; ut primum dicitur, *quod potest esse in multis*, et secundum *quod potest prædicari de illis*. Siquidem Methaphysica versatur circa essentiam rerum, Logica vero considerat modum prædicandi. *Prædicabile* ergo et *universale* Logicum idem sunt.

Itaque prædicabilia sunt notiones maximè communes, per quas veluti per notas quasdam ostenditur, quomodo res quævis de re quâvis prædicetur. Ad hoc requiritur quod prædicabile sit unum, hoc est natura quædam simplex, quæ de multis quidem singularibus prædicetur, et in multis sit; concipiatur tamen per modum unius, quatenus non complectitur nisi rationem unam, in qua singularia sunt conformia. Hæc unitas quæ ad prædicabile requiritur, non est quantitativa sed transcendentalis, hoc est non est unitas numeri sed tantum essentiæ.

Defectu hujus unitatis æquivoca et analoga á prædicabilibus excluduntur; hæc enim oportet de multis dici secundum eamdem rationem, adeoque esse univoca. Similiter individuum vagum v. g. *aliquis homo* non est prædicabile, quod ipsi deficiat perfecta abstractio á singularibus; quam ob causam, ratio, secundùm quam prædicatur, non est universalis; quamvis enim sit communis aliquibus, non tamen

omnibus. (Vid. D. Thom. 1. p. q. 30. a. 4.)

Prædicabilia ad prædicamenta referuntur, et ex eorum discrimine, prædicabilium natura melius innotescit. Hæc ergo sunt modi prædicandi, illa sunt res quæ prædicantur. Prædicabilia designamus per terminos secundæ notionis, quibus primæ notiones explicantur et dignoscuntur. Predicamenta sunt primæ ipsæ notiones per prædicabilia explicatæ. Utraque ad claram et distinctam rerum perceptionem inventa sunt. Prædicabilia Porphirii sub una universali idea colligunt, quæ in rebus dispersa inveniuntur, quamvis inter se similia omnino sint; ut naturam humanam, ubique sibi similem, et in omnibus individuis dispersam. Prædicamenta vero Aristotelis, pleraque omnino diversa, quæ in una eademque re conjunguntur, distinguunt, atque ad suum quæque genus referunt: ut in Petro v. gr. anima ejus et corpus ad substantiam pertinent, statura ad quantitatem, color ad qualitatem, et sic de aliis.

Hæc est ergo prima utilitas quæ ex prædicabilibus expectanda est, facilior prædicamentorum intelligentia. Cum enim Chrysaorius Patricius Romanus in Aristotelis *cathegorias* incidisset, nec eas posset facilè intelligere; obtinuit á Porphirio præceptore suo, ut hanc sibi introductionem componeret. Addit autem in præfatione Author ipse, magnum esse prædicabilium usum, in definiendo, dividendo, et argumentando. Id quoniam diuturna experientia comprobavit, tenendum est firmiter, quidquid Juniores obmurmurent.

§. 2.

*De divisione prædicabilium.*

Quinque numerantur prædicabilia vulgo nota: *Genus*, *differentia*, *species*, *proprium et accidens*. Hujus divisionis causæ ex intimo sensu uniuscujusque nostrum, sic accipiendæ sunt.

Cum nobis sese considerandum offert individuum aliquod, vel potiùs suppositum aut persona humana, v. gr. *Socrates*; post abstractam ab ejus phantasmate speciem intelligibilem, *anima nostra* (1. p. q. 84. a. 6. ad. 2.) *dividendo et componendo format diversas ejus imagines, etiam quæ non sunt á sensibus acceptæ: sensitiva enim cognitio* (ibid. ad 3.$^{m}$) *non est tota causa intellectualis cognitionis, et ideo non est mirum, si intellectualis cognitio ultra sensitivam se extendit.* Cum autem ex ipso S. Doctore (q. 85. a. 3.) magis universalia priùs cognoscantur quam minus universalia, primò consideramus partem essentiæ communiorem, scilicet, Socratem esse animal; et hæc est *Genus*: Quærimus deinde partem essentiæ peculiarem et propriam So-

P

crati, quæ est rationalis; et habemus *Differentiam*: Jungimus deinceps genus cum differentiâ, et totam Socratis essentiam intuemur, et cognoscimus Socratem esse hominem; et hæc est *species*: Progredimur postea ad investiganda quæ Socratis essentiæ adjunguntur; et si aliquid inveniatur quod ab ejus essentia profluat tamquam affectio necessaria, ut quod sit ridendi et admirandi capax, habemus *proprium*: Si verò affectio sit ipsi extranea, et contingens, aut fortuita, ut morbus aut sanitas, sic erit *Accidens*.

Ex hac expositione sumitur inductio ad probandum quinarium quem diximus prædicabilium numerum. Manifestum est enim, quod quidquid prædicatur de multis, aliquo ex his modis prædicatur. Eamdem hanc divisionem quidam paulò aliter explicant, sed in idem redit. Quidquid est prædicabile, inquiunt, vel prædicatur in *quid*, (hoc est substantivè) ut pars, et *est genus*; vel *in quid ut totum*, et est species; vel *in quale* (hoc est adjectivè) *per essentiam*, et est differentia; vel *in quale necessariò* et est proprium; vel *in quale* contingenter sivè fortuitò, et est accidens. Hæ formulæ ab ipsis Porphirii verbis desumptæ sunt. Nam sciscitanti quid res sit, respondemus per Genus, aut speciem. Quærenti vero qualis sit, respondemus per differentiam, vel per proprium, vel per accidens.

## §. 3.

### *De Genere.*

Genus á Porphirio dicitur, *universale illud quod prædicatur de multis specie differentibus, cum quid res sint, quæritur*. E. gr. *Animal* est genus hominis, et equi, quia significat naturam utríque communem, et efferri solet ab eo qui respondet interroganti *quid homo, quid equus sit?* Definitio hæc recta censetur, quia complectitur id in quo genus cum aliis prædicabilibus convenit, et id in quo differt.

Recta inquàm; sed intra suos limites. Nam concretum accidentale, quale est genus, non est unum per se, sed tantum per accidens, ad quod proinde explicandum definitio unica non sufficit. (Recole quæ diximus cap. 3. §. 2.) Hæc itaque definitio quamvis formam generis, tamquam differentiam habeat, hujus tamen formæ subjectum in ea loco generis positum est, ut hinc intelligas, quod quando genus de speciebus prædicatur, affirmatur de illis non secunda intentio generis, sed natura extra animam existens, cui intellectus secundam intentionem generis adscríbit, ut sic de speciebus prædicetur, tamquam aliquid ipsis superiùs.

Quidam in definitione generis collocant adverbium *incompletè*. Quidam etiam, ut mox diximus, discrimen inter genus et speciem as-

signant, quòd hæc prædicetur in *quid*, ut totum: illud verò *in quid*, ut pars. Utrumque per nos licet, modò rectè intelligatur. Certè Porphyrius nihil horum addendum censuit. Nam prædicari de pluribus specie differentibus satis significat, genus non continere actu differentias omnes suarum specierum, adeoque imperfectè de illis prædicari.

Sed quomodò possunt hæc stare, inquies, cum illis quæ dicta sunt lib. 1. cap. v. §. 2. scilicet, Genus esse totum potentiale, sub quo sunt Species tamquàm partes subjectivæ? Potest nè idem simùl esse totum et pars? Potest utiquè, si totum et pars diversa ratione accipiantur. Diximus ibidem, totum actuale essentiale dividi in partes suæ definitionis, ut si dicamus, in homine aliud esse animal, aliud rationale. Vide ergo quomodò animal et est pars actualis hominis, et est totum potentiale respectu hominis et bruti. Quamquàm (ut verum fateamur), proût est pars, clariùs exprimitur per vocem abstractam *animalitas;* et quatenus est totum, per concretam *animal*.

Sed interrogas rursùs, cum dico, *homo est animal*, quid affirmo de homine? Totum, an partem? Ad hoc respondet D. Thomas cap. 3. de ent. et essent. In ea propositione non affirmari de homine partem illius, quia in prædicatione directa prædicatum debet continere subjectum, et nulla pars continet suum totum. Affirmatur ergo animal de homine, proût est totum potentiale; sic enim confusè continet suas partes, quemadmodum docet S. Doctor (1. p. q. 85. a. 3.). Propter hoc vera est dicta propositio, quia juxta regulam ab ipso traditam (1. p. q. 13. a. 12.), prædicatum et subjectum illius sunt idem secundum rem, quamvis differant secundum rationem. *Cum dico; homo est animal*, inquit, *prædicatum et subjectum sunt idem supposito, sed diversa ratione.* De hac difficultate satis.

Addenda esset divisio in supremum, medium, et infimum. Verùm hæc infra simùl cum divisionibus speciei et differentiæ commodiùs explicabitur. Superest tantùm admonendum, latinos scriptores uti sæpiùs loco generis pro specie; Ita Cic. de off. *Justitiæ*, inquit, *genera duo; genera quatuor officii; duplex jocorum genus.* Rethores etiam et Jurisperiti varia causarum genera distinguunt, speciem pro genere intelligentes. Theologi quoque, et D. ipse Thomas aliquid bonum ex genere, sive malum ex genere dicunt; *genere pro specie accepto* (1. 2. q. 18. a. 2.), *eo modo loquendi, quo dicimus humanum genus, totam humanam speciem.*

§. 3.

*De Specie.*

Explicato genere statim de specie agit Porphyrius, quòd proprium re-

latorum sit, ut unum ex altero cognoscatur. Ex ejus doctrina species, quo sensu hìc accipitur, tribus modis definiri potest. 1.º Species est id, *quod generi subjicitur*, cujusmodi est homo, qui subjicitur animali. 2.º Species est *id, de quo genus prædicatur, cùm aliquis respondet sciscitanti, quid illa sit:* nam roganti *quid sit homo:* Respondemus *esse animal.* 3.º Species est *illud, quod dicitur de pluribus numero differentibus in quæstione: quid res sit:* Ut *homo*, qui enunciatur de Petro et Paulo, et aliis humanæ naturæ individuis.

Prima definitio sumitur ex habitudine speciei ad genus. Secunda ex relatione generis ad speciem. Tertia ex comparatione speciei ad individua. Propter primam habitudinem species vocari solet *subjicibilis;* propter tertiam verò *prædicabilis*. Primo modo non est quid universale, quia respicit unum tantùm, cui subjicitur. Est ergo prædicabilis et universalis propter solam comparationem ad individua, de quibus enunciatur. Ut enim judex, qui immediatè sub Rege collocatur, licet sit superior populo, hoc non habet ex subjectione ad Regem, sed ex præsidentia populi; sic species non est universalis ex eo, quod sit sub genere, sed ex quo sit supra individua.

Duæ priores definitiones speciebus omnibus conveniunt, tum mediis, tum infimis. Tertia infimis tantùm, quibus individua sunt immediata. Sciendum est enim, quòd genus supremum, sivè summum dicitur illud, quod ita est genus, ut nulla ratione possit esse species, ut *substantia*, sicut apparet in arbore porphyriana. Supremo generi è regione opponitur *species infima*, quæ ita est species, ut numquàm possit esse genus, ut *homo*, quem constat esse speciem infimam. Nec enim audiendi sunt Grammatici, si quis eorum contendat, quod noster Brocensis (in Isag. Porphy. de specie) scilicet, quòd *singuli homines singulæ species sunt*. Hanc ejus sententiam nec commemorare quidem libuisset, nisi ille (ibid. quæstiunc.) authoritate D. Thomæ abuteretur ad probandum *monstri simile esse, cum dicitur: aliquid ab aliquo differre numero.*

Audite S. Doct., qui sic ait (1. p. q. 62. a. 6. ad 3.): *Diversitas.. alitèr est in Angelis, qui differunt specie, et alitèr in hominibus, qui differunt solo numero.* Et rursus (q. 85. a. 7. ad 3.): *Differentia formæ, quæ non provenit, nisi ex diversa dispositione materiæ, non facit diversitatem secundum speciem, sed solùm secundum numerum. Sunt enim diversorum individuorum diversæ formæ secundum materiam diversificatæ.* Textus hic rem, de qua agimus, non mediocritèr illustrat. Sed á diverticulo in viam.

Inter genus supremum et spe-

ciem infimam, genera interjecta sive species mediæ, una vel plures inveniri possunt. Siquidem species media illa dicitur, quæ ita est species, ut possit esse genus. Nam si comparetur cum superiore, species est; si cum inferiore est genus: Ex. gr. animal, si referatur ad corpus, *species* est; si ad hominem, est *genus*. Itaque species media, ac genus medium seu interjectum, idem sunt sub diverso respectu.

Antequàm hoc caput absolvat Porphyrius, tria animadvertit, quæ non sunt prætermittenda. 1.$^{m}$ Quòd genera suprema tantùm sunt decem, scilicet decem categoriæ; species autem infimæ multæ, quamvis non infinitæ. Individua verò sunt infinita, non actu, sed successione et potestate. 2.$^{m}$ Tam genera suprema quàm intermedia prædicari de speciebus infimis, Undè de quibus prædicantur species, de eisdem prædicatur genus, et illius generis genus usque ad supremum. At verò species infimæ non prædicantur neque de generibus supremis, neque de intermediis; cujus ratio est, quia in omni attributione directa, aut prædicantur superiora de inferioribus; ut *animal de homine:* aut paria de paribus; ut *capax disciplinæ de homine.*

3.$^{m}$ Qui descendit á generibus ad species, vel ad individua, dividit unum in multa. At verò, qui ascendit ab individuis ad species et ad genera, colligit plura in unum. Putat igitur Porphyrius, hunc ascensum esse *synthesim*, et descensum illum *analysim*, cujus contrarium passim ab hodiernis analyticis definitur. Quid ergo faciendum? inquies. Cave, nè methodi legibus nimiùm tribuas. Nam si juniorum, præsertim de methodo, præceptiunculis aurem plùs æquo benignam commodaveris, nihilo plus fortè proficies, quàm si des operam, ut cum ratione insanias. Rectæ Logicæ peritum recta methodus numquàm deserit.

§. 5.

*De Differentia.*

Differentiam divisit Porphyrius in *communem*, *propriam*, et *propriissimam. Communis* est, qua res una differt ab alia aut á seipsa, per communem aliquam affectionem, sive accidens; quomodò homo *scribens* differt á seipso, vel ab alio non *scribente. Propria* est, qua unum ab alio differt per proprietates ab essentia manantes; quomodò *latrans* differt á *non latrante. Propriissima* est illud ipsum prædicabile de quo agimus, id est, id quod generi junctum, speciem constituit. Ex. gr. *ratio*, quæ addita *animali*, efficit *hominem*, hoc est; animal quoddam á reliquis omnibus distinctum.

Triplex inter has differentias in-

venítur discrimen. *Primum:* Differentiæ *communes* et *propriæ* adveniunt rei jam constitutæ, faciuntque *alteram* seu diversam. *Propriissima* verò rem constituit, facitque *aliam*, hoc est, natura et essentia á rebus aliis distinctam. *Secundum:* Differentiæ *communes* sunt separabiles á subjecto, *propriæ* autem, et maximè *propriæ* sunt inseparabiles: quamvis enim essentia rei intelligi possit sine differentia *propria*, non tamen sine *propriissima*. *Tertium:* Hæc postrema ad accuratè definiendum valet, duæ verò priores ad rudes et imperfectas descriptiones dumtaxat deserviunt. Advertendum enim est ex Div. Thoma (1. p. q. 29. a. 1. ad 3.): *quòd quia substantiales differentiæ non sunt nobis notæ, vel etiam nominatæ non sunt, oportet interdum uti differentiis accidentalibus loco substantialium.*

Differentiæ hujus *propriissimæ* tres afferuntur definitiones. Prima. Differentia est, *qua species genus excedit.* Nam per rationale ex. gr. homo excédit animal, quam ob causam *genus* dici solet *totum perfectibile*. Secunda. Differentia est *ea pars rei, quæ ejus naturam explet, et ab aliis distinguit.* Tertia. Differentia est, *quæ de pluribus dicitur numero differentibus, cum quæritur: qualis sit alicujus rei essentia.* Postrema hæc deffinitio maximè ad rem facit, nam exprimit, quod differentiam inter universalia collocat, scilicet relationem ejus ad inferiora.

Dividitur differentia *propriissima* 1.° in genericam et specificam. Prima, uti genus ipsum, enunciatur de pluribus specie differentibus; hujusmodi est ex. gr. sensus in homine, per quem differt á viventibus, quæ non sentiunt, ut arbores. Secunda, uti species ipsa, enunciatur de pluribus numero differentibus, id est de individuis. 2.° *Differentiæ* maximè *propriæ* aliæ sunt *diversæ*, aliæ *oppositæ*. Diversæ sunt, quæ quamvis inter se differant, non tamen pugnant: ut rotundum et planum, quæ *figuram* dividunt. Differentiæ hujusmodi interdum vocantur *disparatæ*. Oppositæ sunt, quæ inter se pugnant: ut sensûs particeps et non particeps, quæ dividunt *vivens*.

Docet D. Thomas (1. p. q. 3. a. 5.) quòd *semper id á quo sumitur differentia constituens speciem, se habet ad illud unde sumitur genus, sicut actus ad potentiam.* Additque exemplum dicens: *Intellectivum comparatur ad sensitivum, sicut actus ad potentiam, et similiter manifestum est in aliis.* Et expressiùs (1. p. q. 85. a. 5. ad 3.): *Genus*, inquit, *sumitur á materia communi; differentia verò completiva speciei á forma; particulare verò* (sive singulare) *á materia individuali.* Hinc veluti axio-

ma est inter nos, quod *in substantiis materialibus genus sumitur á materia, et differentia á forma.*

§. 6.

*De Proprio.*

*Proprium* quatuor modis dicitur: 1.° quod *soli speciei* accidit, sed *non toti*, ut esse Christianum accidit *soli* homini, sed non nisi illis, quibus datum est á Patre luminum. 2.° *Proprium* est é converso, quod *toti speciei* convenit, sed *non soli*, ut esse bipedem, convenit *omnibus* hominibus, non tamen *solis*. 3.° *Proprium* est, quod *soli* et *toti speciei* convenit sed *non semper*, ut dormire omni et soli animali competit, non tamen semper. 4.° *Proprium est*, quod *soli*, et *toti speciei*, et *semper* convenit. Sic capacitas disciplinæ convenit homini.

Postremum hoc proprium est quartum prædicabile, de quo agimus, sicque definitur: *Unum aptum inesse multis numero differentibus, et de illis prædicari in quale necessariò.* Duo colligenda sunt ex hac definitione. Primum est, quod Proprium est universale, non propter respectum ad speciem á qua profluit, sed ad inferiora speciei, de quibus tamquam de inferioribus prædicatur. 2.$^{m}$ est, quod Proprium distinguitur á differentia, quia hæc prædicatur in *quale contingenter.*

Proprium vel potius proprietas, duplex est. Alia *physica et realis*, alia *Logica et rationis*. Proprietas Physica est, atributum reale ab essentia rei profluens, adeoque ab ipsa realiter distinctum. Sic sensus sequitur ex natura animalis, et ab ea distinguitur. Sic capacitas disciplinæ sequitur ex essentia hominis, á qua etiam differt. Proprietas *Logica* est, notio quædam per rationem solum distincta ab essentia, et ipsam ex solo modo intelligendi consequens. Sic veritas, bonitas, et unitas dicuntur proprietates entis. Hæc divisio magni momenti censenda est.

§. 7.

*De accidente.*

Nomen *accidentis* ad plura significanda accommodatur. Pauca indicabimus. Primò dicitur *accidens*, quidquid fortuitò rebus vel personis evenit; ut morbus homini sano, pluvia bellantibus. Secundò dicitur *accidens*, quod non est de conceptu rei quam versamus, vel ad eam non requiritur: sic clavis *accidens* est, quod sit argentea vel ferrea. Hoc sensu, ea quæ per se consistunt, dici possunt accidentia. Tertiò, dicitur accidens, omne illud quod non est substantia. Hæc significatio ambit novem

*Cathegorias* accidentium : includit quoque quartum prædicabile, scilicet *proprium*, quod non infrequenter vocatur etiam *accidens*.

Nos de accidente hìc loquimur quatenus est prædicabile, hoc est quatenus distinguitur á Proprio. Sic acceptum accidens dupliciter definítur á Porphirio. Primò, *quod potest adesse et abesse á subjecto sine ejus interitu*. In hac definitione conjunctio *et*, loco disjunctionis ponitur, non enim accidens simul adest et abest á subjecto, sed potest modò adesse, modò abesse. Hæc autem *absentia* intelligenda est, vel secundum rem quomodo pallor, et rubor possunt abesse á vultu; vel secundum abstractionem intellectus, quómodo possunt removeri nigredo ab Ethiope, et albedo á Cigno.

Sed oppones. Etiam proprietates abstractione separantur á subjecto. Quænam ergo est differentia, interrogabis, inter accidens hoc inseparabile, et quartum prædicabile? Respondemus; quod *proprietates* fluunt á principiis speciei, ut capacitas disciplinæ á specie humana; *accidentia* vero *inseparabilia* non oriuntur nisi á conditionibus individualibus, ut nigredo Ethiopis *á stirpe*, color oculorum *á sanguine*. Ideò accidentia *inseparabilia* abstrahuntur á specie per secundam mentis operationem; ab individuo verò, non nisi per primam; proprietates autem non possunt abstrahi á specie nisi per primam. Unde hæc propositio est vera, homo non est niger: et hæc falsa, homo non est capax disciplinæ.

Secundò. Accidens est quod *neque est genus, neque species, nec differentia, nec proprium, sed semper exigit inhærere subjecto.* Sunt enim duo genera rerum, quæ non nisi per negationem possunt deffiniri, ea scilicet, quæ sunt maximæ entitatis, ut Deus; et quæ vix entitatem habent, ut materia prima. Ex istarum numero est accidens, quod inter prædicabilia infimum locum obtinet propter minimam suam entitatem. Non enim est sui ipsius, sed alterius, scilicet substantiæ, cui exigit semper inhærere: exigit inquàm, nam inhærentia actualis (ut postea dicemus) non est de essentia ipsius. D. Thom. 1. p. q. 3. a. 4. Et 3. p. q. 77. a. 1. ad 2.[m]

Quòd attinet ad accidentis divisionem, explicata manet quam tradit hìc Porphirius, scilicet in accidens *separabile* et *inseparabile*. Potest etiam dividi sicut *proprium* in Physicum et Logicum. Accidens Physicum est, quod reipsa individuo inhæret, sic *pallor et rubor* sunt accidentia physica vultus. Accidens *Logicum* dicitur, omne quod non est cum essentia necessariò conjunctum. Hoc sensu privationes ipsæ ut cæcitas, imò et denominationes extrinsecæ, ut esse visum, inter accidentia censentur.

Superest divisio alia, quæ novis Philosophis scandali loco est, nimirùm in accidens *absolutum* et *relativum*. Ex hac peripatetica distinguendi formula colligunt Scholæ osores nos admittere accidentia, quorum entitates ad substantiam non referantur, sed ab ea prorsus solutæ sint, proindèque unaquæque sit sui ipsius, et per se existat. Uno verbo: quod fieri per miraculum dicimus in accidentibus eucharisticis, idem naturaliter contingere in omni accidente absoluto, calumniantur nos imaginari. Procedat nè hæc accusatio ex ignorantia, ex levitate, vel potiùs ex malitia, viderint alii. Nos injuriam hanc sæpe propulsamus, ut Scholasticus quilibet *respondere possit stulto secundum stultitiam suam, nè sibi sapiens videatur.*

Sciendum est ergo, quod *relata* sic denominantur, non ex eo quod sint *in alio*, sed ex eo quod se habeant ad *aliud*, ut suo loco dicetur. Quamvis autem omnia accidentia sint in subjecto, non tamen omnia se habent ad aliud. »Considerandum »est, inquit D. Thomas (1. p. q. »28. a. 2.) quod in quolibet no»vem generum accidentis est duo »considerare: Quorum unum est es»se, quod competit unicuique ipso»rum secundum quod est accidens; »et (hoc) communiter in omnibus »est inesse subjecto; accidentis enim »esse, est inesse. Aliud quod potest »considerari in unoquoque, est pro»pria ratio, (sive differentia specifi»ca) uniuscujusque illorum gene»rum. Et in aliis quidem generibus »á relatione, utpote quantitate et »qualitate, etiam propria ratio ge»neris, (sive differentia generica) »accipitur secundùm comparatio»nem ad subjectum. Nam quantitas »dicitur mensura substantiæ, quali»tas vero dispositio substantiæ. Sed »ratio propria, (sive differentia spe»cifica) relationis non accipitur se»cundum comparationem ad illud »*in quo est*, sed secundum compa»rationem ad aliquid extra." Hactenus D. Thomas. Cum igitur in quantitate et qualitate non inveniatur differentia illa specifica, per quam relatio differt ab aliis generibus accidentium, rectè loquuntur Dialectici, qui quantitatem et qualitatem vocant accidentia absoluta.

Quod si quis amator quæstionum de nomine, quantitatem et qualitatem contendat accidentia esse relativa, propter eorum comparationem ad subjectum *in quo sunt*, cum illo contendere nolumus; modò relationis nomine solam *transcendentalem* intelligat. Hæc enim in omni rerum genere locum habet; etiam in ipsa substantia; nulla enim est substantia creata, quæ ad aliquid non referatur, saltem ad Creatorem. Sic accepta relatio erit terminus *transcendentalis*, et non *cathegoricus*. Et si quis eo sensu quantitatem et qualitatem *accidentia relativa* vocaret,

posset etiam substantias omnes creatas, dicere relativas. Quanto acuratius nominibus istis utitur D. Thom. (1. p. q. 13. a. 7. ad 1.m) ubi sic loquitur. Relativa quædam nomina sunt imposita ad significandas ipsas habitudines relativas, ut *Dominus*, et *Servus*. Quædam vero sunt imposita ad significandas res quas consequuntur quædam habitudines. Ad hanc clasem pertinent nomina quantitatis, et qualitatis. Ad priorem verò, voces quibus relatio, et sex ultima prædicamenta significantur. Dicendum ergo, quod hæc sunt *accidentia relativa*; quantitas vero et qualitas, *accidentia absoluta*. Itaque noverint universi, scholasticos nullum accidens admittere, quod sit sui ipsius; cujus esse sit aliquid præter inesse, quod á substantia solutum sit, quod ab ea non dependeat, quod ad illam non comparetur; verumtamèn tamquam ad subjectum *in quo est*, non vero tamquam ad terminum *ad quem se habeat*. Hæc propter novos Philosophos fusiùs declaranda erant.



## CAPUT VII.

### *De proprietatibus Universalium.*

Explicata natura universalium, qualia illa sint investigandum est. Duplex veluti proprietas illis assignatur, *prædicabilitas* et *perpetuitas*. De utrâque agendum.

§. I.

*Qua ratione de suis inferioribus universalia prædicentur.*

Cum methaphoræ et figuræ quibus utuntur Rethores ad Logicam non pertineant, solum hìc inquiritur, quisnam sit modus proprius enunciandi; ille scilicet, qui effertur vocibus usitatis, nihilque á naturali significatione recedentibus?

Triplex est hujusmodi prædicatio. *Materialis*, *identica*, *et formalis*. *Materialis* est, cum prædicatum reipsa est eadem res ac subjectum, sed ratione omninò diversum; ut si quis dicat *animalitas* est *rationalitas*. Id verùm est materialiter, non tamen formaliter. *Formalis* est, cum prædicatum nec omninò idem, nec omninò diversum est á subjecto, sed latiùs eo patet; ut cum diximus, *justitia* est *virtus*. Etiam censetur prædicatio *formalis*, cum prædicatum et subjectum reciprocantur, ut cum deffinitio dicitur de re definita; v. gr. *Justitia est virtus quæ suum unicuique tribuit*. *Identica* (ut eam non omittamus, nam in familiari sermone interdum sale non caret.) est cum prædicatum est idem re et ratione cum subjecto,

ut hæc *ensis est gladius*, et illud Plauti; *E multis malis, malum quod minimum est, id minimum est malum.*

Recolenda quæ diximus (lib. 1. cap. 3. §. 2.) de terminis *concretis et abstractis*, hi enim diverso modo prædicantur, et hoc discrimen ad hunc locum pertinet. Si quis autem cum Lockio, Ecclesiæ catholicæ æque ac Theologiæ Scholasticæ infenso, propter usum abstractorum nominum, nos traducat veluti temerarios novatores venditantes scientiam, qua caremus, sciat et ab antiquis Philosophis, et ab Ecclesiæ Patribus hujus gramaticæ necesitatem nos didicisse; nam et Laertius de Diogene Cynico, hæc habet: *Diogenes Cynicus, Platone de ideis disserente et nominante mensalitatem et Cyathitatem; Equidem inquit, ó Plato, mensam et cyathum video; mensalitatem et cyathitatem nequaquam video. Rectè inquit Plato, oculos enim, quibus mensa cyathusque conspicitur, habes; mentem verò, qua mensalitas, et cyathitas videtur; non habes.* Hæc sibi dicta putet Lockius. Rursus Ecclesiæ Patres et Theologi veteres abstractis nominibus divinitatis et humanitatis sæpissimè usi sunt. Quem æmulari præstet tu ipse judica, et lege si libet P. Roselli not. ult. ad §. 560. tom. 1.

Dico 1.º *Illæ enunciationes in quibus concretum prædicatur de concreto sunt veræ et admittendæ cum formæ per voces concretas significatæ in eodem subjecto sunt, ut hæ homo est animal, homo est albus.* Ratio est quia, ut sæpe diximus, terminus *concretus* significat subjectum cum forma; *abstractus* vero formam sine subjecto. Unde hic significat partem, ille totum. In his ergo enuntiationibus, cum prædicatum latius pateat quam subjectum, continet, saltem confusè, quidquid continet subjectum ut insinuavimus §. 3. Et ideo subjectum semper est idem cum prædicato, vel essentialiter, si prædicatum fuerit attributum essentiale, vel accidentaliter, si fuerit accidens subjecti: Sunt ergo veræ.

Dico 2.º *In rebus creatis, si sermo sit de individuis vel de naturis cathegoricis, neque concreta possunt prædicari de abstractis, neque abstracta de concretis.* Unde hæc est falsa, *homo est humanitas.* Et similiter ista *humanitas est homo.*

Diximus *in rebus creatis*, quia in Deo O. M. concreta et abstracta de se invicem efferuntur, ut constat ex D. Thoma (1. p. q. 3. a. 3.) Sed de his Theologi.

Diximus: *si sermo sit de rebus cathegoricis.* Si enim agatur de notionibus metaphisicis, sivè generalibus, ut sunt *ens*, *unitas*, et aliæ similes, cum istæ transcendant omnia rerum genera; possunt in abstracto et in concreto de se invi-

cem prædicari. Verum de his in Metaphysica.

Ratio nostræ thesis est ; quia concretum , ut *homo* , continet aliquid , quod non continet humanitas. Illud enim est totum , hæc pars, Non possunt ergo de se invicem prædicari.

Dico 3.o *In accidentibus abstracta de abstractis prædicari possunt , secus in substantiis.* Unde verè dicitur : *Prudentia est virtus*; falsò autem , *animalitas est humanitas.* Ratio disparitatis assignatæ á D. Thoma (cap. 7. de Ent. et Ess.) est , quod genus vere de speciebus prædicatur , et species de individuis : in accidentibus autem abstracta habent rationem generis et speciei , non verò concreta , quia hæc non sunt unum per se.

Si ergo inter arguendum occurrat propositio , in qua abstractum substantiale de abstracto prædicetur , vel eam negare debes vel ad minus distinguere. Est enim falsa *formaliter* ut diximus ; et non potest dici vera , nisi *materialiter.* Hæc distinctio et aliæ similes , vocibus licet parum latinis expressæ, retineri debent in Schola , tum quia res difficiles sæpè aliter explicari non possunt , tum quia his distinctionibus plura dissolvuntur sophismata. Ideo irridentur á scholæ inimicis , ut scilicet ipsarum nos pudeat ; easque abjiciamus.

Dico 4.o *Differentia , proprium, et accidens , prædicari debent in concreto de suis inferioribus.* Patet conclusio , quia prædicantur in quale , hoc est per modum adjectivi; atqui omne adjectivum est concretum : ergo:

## §. 2.

## *Qua ratione universalia dicantur perpetua sive æterna.*

Antequam ad hoc quæsitum respondeamus , tria prænotare oportet. Primum. Quod *quid Esse* apud Aristotelem et D. Thomam significare essentiam : *Esse* cum nihil huic voci adjungitur , idem quod existere. Addit insuper Sanctus Doctor ( 1. p. q. 3. a. 4. ad 2.m ) quod interdum etiam esse *significat compositionem propositionis , quam anima adinvenit.* Triplex igitur est *esse.* Alterum quod significat *essentiam ,* alterum quod denotat *existentiam* , et tertium , quod *veritatem* denotat *propositionum.*

*Secundum* : essentiæ rerum universalium dupliciter possunt accipi: vel ut sunt actu in seipsis , vel ut sunt potestate in suis causis, præsertim in prima , quæ est Deus, in cujus omnipotentia et ideis , omnia continentur.

*Tertium.* Perpetuum sive æternum potest aliquid dici , vel *positivè* , vel *negativè.* Perpetuum *positivè* est , quod se extendit ad omnia tempora et durationes ; hoc

modo solus Deus est æternus. Perpetuum *negativè* dicitur illud, quod abstrahit ab omni tempore, sive ad cujus notionem tempus non pertinet. His animadversis:

Dico 1.º *Naturæ universales non existunt ab æterno.* Ut enim diximus cap. v. universalia non existunt nisi in singularibus; sed singularia non existunt ab æterno: ergo nec universalia.

Dico 2.º *Essentiæ rerum universalium non sunt perpetuæ positivè extra Deum.* Nam ab æterno nulla est causa extra Deum, in cujus potestate et cognitione essentias rerum considerare possímus: ergo ab æterno nihil sunt positivè extra Deum.

Dico 3.º verbis D. Thomæ (1. p. q. 16. a. 7. ad 2.m) *Universale dicitur esse ubique et semper, in quantum universalia abstrahuntur ab hic et nunc*, quod est esse perpetuum et ubique *negativè.* Quis enim nescit, essentias rerum á nobis considerari in abstractione ab individuis? Cum ergo locus et tempus sint proprietates individuales, manifestum est eas ad notionem essentiarum non pertinere, ideoque essentias esse perpetuas *negativè.*

Dico 4.º *Propositiones in quibus genus, aut differentia, aut proprium de specie prædicantur, extra intellectum divinum sunt veræ ab æterno negativè.* Ratio est, quia veritas propositionis, prout extrà intellectum consideratur, consistit in conjunctione prædicati cum subjecto, sive in eorum identitate. Cum ergo in prædictis propositionibus prædicatum et subjectum sint ab æterno negativè, cumque eorum conjunctio sit necessaria, ut supponitur; dicendum est, quod abstrahit ab omni tempore adeoque quod est ab æterno *negativè.*

Hinc colligitur discrimen inter has propositiones, et eas in quibus *accidens* prædicatur contingenter de subjecto, in quibus cum nulla sit necessaria connexio inter extrema, earum veritas nullo modo potest dici *æterna*, nec etiam *negativè.*

Hæc intelligenda sunt, ut diximus, de propositionibus extra intellectum divinum consideratis. Nam si de illis loquendum esset prout sunt in scientia Dei; dicere oporteret, utrarumque veritatem esse *positivè* æternam. Cæterùm veritas hæc, quæ in intellectu existit, est rebus extrinseca. Nos autem de intrinseca propositionum veritate loquuti sumus, quæ unicè haurienda est ex necessaria vel contingenti connexione terminorum. Hæc ergo veritas intrinseca in propositionibus necessariis est æterna *negativè*, in contingentibus non item. Verùm de Prædicabilibus satis.

# CAPUT VIII.

## *De Antepraedicamentis.*

Post prædicabilia, quibus modus prædicandi dirigitur, ordine sequuntur prædicamenta, quibus quid de quo prædicari possit ostenditur. Antequam autem prædicamentorum explicatio instituatut, præmitti solent in schola prænotiones quædam ad ea intelligenda valdè necessariæ. Hæc vocantur *antepraedicamenta*, et sunt tria. *Primum* quatuor deffinitiones continet: *Secundum* duas divisiones; et *tertium* regulas item duas. Hæc singillatim sunt explicanda.

### §. I.

*In quo definiuntur Univoca, Æquivoca, Analoga, et Denominativa.*

Res quæ prædicari possunt et nominibus et definitionibus exprimuntur. Per nomina res significantur confusè; per definitiones apertè atque manifestè. Nomina possunt esse multis communia, definitiones verò non possunt nisi uni rei definitæ convenire. ex. gr. Nomen *homo* dicitur de *vivo* et *mortuo*, *animal rationale* verò *homini vivo* tantum competit. Ex hac ergo rerum per nomina et definitiones significatione, necessitas oritur distinguendi univoca, æquivoca, analoga, et denominativa. Nos ad nomina explicanda lib. 1.° adduximus verba D. Thomæ, quæ hoc loco opportunum erit recolere. Quamvis enim hìc de significatis agatur; ibi de signis; cum tamen hæc duo correlativa sint, fieri non potest, quin simul explicentur et simul intelligantur. Age ergo, quæ ibi strictìm diximus, fussius explicemus.

*Univoca* sunt, *quorum nomen est commune, et ratio per nomen significata simpliciter eadem*, ut *animal*, quæ vox in *homine* et *bellua* idem omninò significant. Adverbium *simpliciter* in hac definitione idem valet ac *omninò*. Vox autem *ratio* nòn solùm hìc, sed alibi persæpè, sumitur prò *essentia*, quam nomen et definitio significant.

*Æquivoca* sunt illa; *quorum nomen est commune, et ratio per nomen significata simpliciter diversa, ut canis*, quæ vox in *pisce*, *sydere*, et *animali domestico*, res prorsùs diversas significat.

*Analoga*, quæ inter univoca et æquivoca mediant, dicuntur illa, *quæ diversæ rationis cum sint, propter similitudinem tamen, aut proportionem idem nomen sortiuntur*. *Analogia* enim græcis idem est quod *proportio* latinis. Sunt autem duplicis generis, alia enim dicuntur

analoga *attributionis*, alia *proportionis*. Prima sunt illa, quæ idem nomen habent ex habitudine ad unum principale cui tribuuntur; vel quorum ratio uni quidem primariò convenit, reliquis secundariò, ut sanitas quæ animali propriè et primariò convenit, quia illi est interna; medicinæ vero et colori secundariò dumtaxat, quatenus medicina sanitatem efficit, color significat. *Analoga proportionis* sunt illa quibus idem nomen accommodatur propter proportionem, secundùm quam ratio significata per nomen unicuique convenit. Sic principium porportione quadam dicitur de *fonte*, de *corde*, et de *puncto*. Nam ut á *corde* vita incipit, sic rivus á *fonte*, et linea á *puncto*. Sic etiam *ridere* dicuntur, *fortuna* cum favet, *prata* cum florent, *homo* cum lætatur.

Animadvertendum tamen, quòd vox analoga, nulli adjecta, semper id, quod princeps ac nobilius est significat; sic cum dicitur *ridere* significatur *risus hominis*, cum dicitur *sanum* significatur animal.

*Denominativa* sunt quæ ab aliqua forma nomen habent, sola vocis terminatione diversum, ut *Philosophus á Philosophia*. Tria in denominativis distinguenda sunt, *Denominans*, *denominatum*, et *denominativum*. *Denominans* est forma abstracta, quatenus suum subjectum afficit, eique nomen tribuit, ut *candor*, *quatenus candefacit*. *Denominatum* est subjectum formam recipiens ut *paries* qui *candefactus* dicitur. *Denominativum* est significatum integrum termini concreti, ut *candidus* qui parietem et candorem significat.

Vide ergo quomodo substantia, quamvis ab accidentibus realiter differat, ut mox dicemus, ab eis tamèn innumeras denominationes accipit. Porrò duplex est denominatio pro formæ denominantis discrimine; hæc enim vel est in *re ipsa* quam denominat, ut *candor* in exemplo allato est in *pariete*, vel est extra rem denominatam ut *visio* cum *paries* dicitur *visus*. Prima dicitur denominatio *intrinseca*, secunda *extrinseca*. Vel si latinè potiùs quam logicè loqui velis, voca primam *internam*, et secundam *externam*. Hinc fit ut interdum mutentur denominationes absque mutatione substantiæ denominatæ. Sic *columna* quæ erat tibi *dextera* fit *sinistra*, non quod ipsa mutata sit, sed quia respectu ipsius tuum locum mutasti. Hæc diligenter observanda sunt, ne *denominativa* aliquando nos decipiant.

## §. 3.

*Continet divisiones eorum quæ dicuntur, et quæ sunt in subjecto.*

Cum esse, sive existere accidentis, ut sæpe repetit D. Thomas sit inhærere subjecto, ideò in hoc se-

cundo ante prædicamento, quid sit esse in subjecto, per analysim quamdam explicatur. Observandum est ergo cum Boetio, octo esse modos quibus aliquid in alio esse contingit. Primus modus est quo totum est in partibus. 2. Quo partes sunt in toto. 3. Quo species sunt in genere. 4. Quo genera sunt in speciebus. 5. Quo forma est in materia. 6. Quo regnum est in Rege. 7. Quo media sunt in fine. 8. Quo aliquid est in loco. Nullus ex his modis intelligendus venit, cum dicimus, *accidens esse in subjecto.* Ita per remotionem, quid sit inhærentia accidentis incipit innotescere.

In divissionibus quas explanare aggredimur, utitur Aristoteles his formulis, *dici de subjecto*, *esse in subjecto.* Ad eas intelligendas animadvertere oportet, quod subjectum aliud est *prædicationis* aliud *inhæsionis.* Primum est, de quo aliquid prædicatur. Secundum est cui aliquid inhæret: *Dici de subjecto* pertinet ad subjectum *prædicationis*, quo nomine illa omnia comprehenduntur, quæ habent rationem generis et speciei; proindeque dicuntur de alio, tamquam de ipsis subjecto sive inferiori. Ex. gr. *animal* de *cane*, *homo* de *Socrate.* Esse in subjecto pertinet ad subjectum *inhæsionis*, qua ratione accidens omne, etiam proprium in subjecto est, quia illi inhæret, quatenus existentiæ subjecti fit particeps. Sic figura est in *ligno*, prudentia *in sapiente.* His prænotatis

Duæ sunt divisiones ad hunc locum pertinentes. Prima eorum *quæ dicuntur*; Secunda eorum *quæ sunt.* Ea quæ dicuntur, vel sunt complexa, ut *homo albus*, *homo vincit*, vel simplicia, ut *leo*, *figura*, *color.* Sola simplicia locum obtinent in prædicamentis.

Secunda divisio: Quæ sunt, quadrifariam sunt: Primo enim vel *de subjecto dicuntur*, sed *in subjecto non sunt* ut substantiæ universales *homo animal* &c. 2. vel *in subjecto* quidem *sunt*, sed *de subjecto non dicuntur*, ut accidentia singularia *hic calor*, *hic color*, &c. 3. vel de *subjecto dicuntur*, *et in subjecto sunt*, ut accidentia universalia v. g. *color*, qui semper est in aliqua substantia, et de multis colorum formis enunciatur. 4. vel *neque in subjecto sunt*, *neque de subjecto dicuntur*, ut singulares substantiæ *Petrus*, *Socrates*, &c.

Quadrimembris hæc divisio eò spectat, ut discamus opportune et rectè uti, tum ideis universalibus et singularibus, tum notionibus substantiæ et accidentis. Nihil est quod veterem Philosophiam nostram, ita á nova secernat, sicut evidens hoc discrimen, quod inter accidens, et substantiam reperítur. Accidens in subjecto est, ipsi inhæret, per se non potest con-

sistere. Substantiæ contraria omnia competunt. Verùm controversia hæc diligentiam omnem nostram, omnesque curas postulat. Post explicatum tertium Antepraedicamentum, eam finiemus.

§. 3.

*Continet duas regulas ad agnoscendas lineas prædicamentorum.*

Prima regula est: *cum quidpiam de quopiam dicitur, tamquam de subjecto* (hoc est tamquam de suo inferiori), *quæ de prædicato enunciantur, ea possunt etiam de subjecto enunciari.* Ex. gr. quia *homo* dicitur de hoc homine (v. g. Socrate) tamquam de suo inferiori immediato, quæcumque homini tribuuntur, etiam Socrati possunt attribui. Itaque quoniam homo est animal, etiam Socrates animal est.

Secunda regula duas habet partes. Prima est: *Quando sunt aliqua genera quorum nec alterum sub altero positum est, nec ambo sub eodem tertio, illorum generum differentiæ sunt specie diversæ.* Sic animalis et scientiæ differentiæ nullam affinitatem habent, quia animal continetur in prædicamento substantiæ, et scientia in prædicamento qualitatis.

Secunda pars hujus regulæ est: *Eorum generum, quorum alterum sub altero collocatur, vel ambo sub eodem tertio; quædam sunt communes differentiæ.* Sic planta et animal conveniunt in differentia *corporea*, quia utrumque sub genere *corporeo* continetur. Ratio est, quia natura superioris continetur in inferiori, eique attribuitur, si rectus sit prædicandi modus: veluti cum dicimus, *planta est corpus, animal est corpus.* De his regulis nonnihil insinuavimus cap. VI. §. 3. de Genere. Hæc itaque de prænotionibus ad Prædicamenta requisitis.



# CAPUT IX.

## *Quæritur. Utrum accidentia absoluta, quantitas scilicet et qualitas, á substantia realiter distinguantur.*

Pro reali distinctione accidentium á substantia tamquam pro aris et focis dimicandum est. Hac enim distinctione sublata, è manibus nostris auferuntur mille clypei, qui pendent ex doctrina D. Thomæ ad dogma *transubstantiationis* contra hæreticos defendendum. Porro fidem Catholicam á Philosopho Catholico esse consulendam, cum quæritur veritas naturalis supernatura-

li affinis, á nobis, favente Deo, ostendetur, cum locos indicabimus, ex quibus Physicus potest argumenta depromere.

Quamquam ergo disputatio hæc ad Methaphysicam potius quàm ad Logicam attineat, nè tamen fallax et callidus Novatorum sermo, substantiæ et accidentis notiones ubique confundens ac subvertens, juvenes nostros imparatos inveniat, eam inter anteprædicamenta instituere opportuniùs judicavimus.

Est autem hæc controversia veluti caput discriminis inter nostram et Mechanicorum Philosophiam. Primi Mechanici, qui inveniuntur accidentium á substantia distinctionem negasse, fuere Eleatenses á Xenophane et Parmenide oriundi. (Rosselli tom. 2. §. 98. not. 1. et 2.) Hi enim, ut omnia esse unum, hoc est, ut *Pantheismum* statuerent, accidentia dixere indigna esse, quæ in entibus numerarentur, quod non possent per sese existere. Unde Parmenides, ut ex Aristotele observat S. Thomas (1. Metaph. lect. 9.) aiebat, *omnia esse unum secundum rationem, sed plura secundum sensum;* propter multitudinem scilicet accidentium, quæ apparebant, et non erant. Hos Philosophos auctorem habuisse Spinozam, profundè considerans Leibnitius, quamtumvis Lutheranus, adversus Bælium aientem nulla esse accidentia á substantia distincta; *cavendum,* inquit, (Theodic §. 393.) *ne dum substantiæ cum accidentibus confunduntur, gradus fiat ad Spinozismum, qui Cartesianismus est immoderatus.*

Novi Mechanici, nè cum veteribus, aut cum Spinoza conveniant, distinctionem quidem substantiarum inter se agnoscunt, easque fatentur verè et realiter mutari, dum aliquod accidens recipere videntur. Negant verò, accidens illud esse aliquid absolûtum, habereque entitatem distinctam ab entitate substantiæ. Contendunt igitur, quod nos vocamus accidens absolutum, esse tantum *modum* quemdam *relativum*, quo substantia novum statum novamque dispositionem adquirit. Si ab illis quæras; quid intelligant per novum hunc statum, sive novum modum relativum, qui nihil adferat substantiæ? Frustra quæres. A nobis hic labor suscipiendus est, ut status quæstionis figatur, et venenum quod sub vocibus latet, palam fiat.

Quare qualitas et quantitas, (quæ absdubiè ad subjectum in quo sunt referuntur) accidentia absoluta vocandæ sint, explicatum et probatum manet (cap. VI. §. 7. de accidente). De aliis vocibus nolumus disputare. Vocentur accidentia (per nos licet) *status et modi substantiæ.* Divus ipse Thomas interdùm eas sic nominat. *Propriè enim*, inquit (1. 2. q. 49. a. 2.) qualitas

importat quemdam modum substantiæ. Sit ergo accidens *modus* vel *status* substantiæ, et sit quæstio, num modus hic sive status substantiæ, quem nos vocamus *accidens absolutum*, (De relatione cathegorica suo loco tractabimus) sit aliquid reale á substantia realiter distinctum, necnè?

## PROPOSITIO.

*Omne accidens absolutum substantiæ inhærens, sivè commune illud sit, sive proprium, realiter á substantia distinguitur.*

Ad intelligentiam hujus thesis tria animadvertenda sunt. 1. Dicitur *substantiæ inhærens*, ut excludantur accidentia, et proprietates Logicæ, quæ nihil aliud sunt, ut diximus cap. VI. quàm vel denominationes extrinsecæ, vel privationes vel conceptus quidam secundarii á ratione adinventi, et rebus ad pleniorem earum cognitionem attributi. 2. Quamvis quartum prædicabile passim vocetur accidens, ipsum tamen expresso nomine in thesi comprehendere placuit, præsertim propter P. Altieri et Lugdunenses, ut inter probationes apparebit. 3. Cum accidentia possint significari nominibus concretis et abstractis, sive substantivis et adjectivis, cavendæ sunt æquivocationes quas (libro 1. cap. III. §. 2.) diximus oriri ex nominibus substantivis, quibus oportet uti, cum de accidentibus loquimur, sicut in hac disputatione contingit. Itaque non affirmamus ex. gr. quod *quantum* sit distinctum á *quantitate*, vel *á substantia*, sed quod *quantitas* et *substantia* cui inhæret, sunt res inter se distinctæ. Non dicimus, quòd *album* sit distinctum ab *albedine* et á *Pariete*, in quo ea est, sed quòd *albedo* differt *á substantia* parietis. His animadversis, Propositio nostra et rationibus demonstranda est, et ex mysteriis fidei deducenda.

Probatur itaque 1.° Quæ sunt realiter separabilia, realiter distinguuntur; sed ex accidentibus communibus quædam sunt realiter separabilia, et possunt adesse et abesse secundùm rem, salva subjecti essentia, ut suo loco diximus: ergo.

Probatur 2.° Dato accidentia hæc separabilia nihil esse aliud, quàm diversas modificationes molecularum quibus constat substantia corporea, sic argumentamur. Vel modificatio hæc moleculis de novo adveniens, aliquid reale ipsis addit, vel nihil; si nihil, ergo statum substantiæ realiter non mutat: Si aliquid, ergo nova modificatio est aliquid reale á moleculis distinctum. Nullum datur medium in hoc dilemmate. Quam ergo disjunctionis partem amplectuntur adversarii? Si dicant, id quod addit moleculis nova earum modifi-

catio nihil esse, sed tantum apparere; non video in quo differant á Parmenide asserente, *omnia esse unum secundùm rationem, sed plura secundùm sensum.* Recogitent igitur, in quas se angustias conjiciant propositionem nostram negantes.

Probatur 3.° de omni accidente, etiam inseparabili et proprio. Quod realiter est in Persona vel supposito, sive individuo, et non pertinet ad naturam ipsius, realiter distinguitur ab ejus substantia, sive natura, sive essentia (idem enim tribus his nominibus intelligimus); sed accidens proprium et commune realiter est in homine individuo, et non pertinet ad essentiam, naturam, vel substantiam illius: ergo. Probatur minor. Essentia &c. est id quod significat definitio; sed accidens proprium et commune non pertinent ad definitionem hominis: ergo.

Probatur 4. ratione S. Thomæ (7. Metaph. lect. 3.) Quæ prædicantur de eodem, et unum illorum inhæret subjecto, alterum verò non inhæret, realiter inter se distinguuntur; sed essentialia et accidentalia prædicantur de eodem, et hæc inhærent subjecto, illa verò non inhærent: ergo realiter distinguuntur. Probatur min. Ea inhærent subjecto, in quorum definitione ponitur subjectum; sed subjectum ponitur in definitione accidentalium, non verò in definitione essentialium: ergo &c. Min. patet exemplis á D. Thoma adductis: *Nasus* inquit, *ponitur in definitione simi, et numerus in definitione paris: homo* verò, de quo animal essentialiter prædicatur, *non ponitur in definitione animalis.*

Probatur 5. Specialiter de proprietatibus adversus Lugdunenses, qui (Metaph. Gen. cap. 2.) indiscriminatim asserunt, essentiam et proprietates á se invicem non distingui; quòd essentia (hæc est eorum ratio) *sit veluti fons communis, ex quo derivantur proprietates.* Chrysippeum sanè enthymema! Imò contra: Et hæc est nostra ratio. Inter causam et effectum debet esse realis distinctio; atqui essentia est *fons* á quo *fluunt* proprietates, adeoque ipsarum est suo modo causa immediata: ergo proprietates et essentia realiter distinguuntur. Exemplum *Solis* et *radiorùm*, qui ab ipso fluunt, rectitudinem syllogismi nostri patefacit, quia nulla est in hoc exemplo vox æquivoca. In metaphora verò *Fontis*, qua utuntur Lugdunenses, extat æquivocationis periculum, nam eo nomine significari possunt et locus, ex quo aqua scatet, et aqua ipsa scaturiens, quæ cum non distinguantur á derivata, laquei loco est, ut capiantur imperiti.

Probatur 6.° de eisdem, ratione D. Thomæ loco citato. Si aliqua proprietas idem esset cum essentia subjecti, cujus est proprietas, omnes ejusdem subjecti proprietates

idem essent cum ea (eadem enim esset ratio de unaquaque); sed hoc est impossibile: ergo. Probat. min. Impossibile est, quòd diversæ proprietates sint idem inter se; sed hoc contingeret in ea hypothesi: ergo. Prob. min. Ab eadem essentia derivantur plures proprietates inter se diversæ, ut ad sensum patet in colore, lenitate, et asperitate, quæ sunt proprietates ejusdem superficiei; sed in prædicta hypothesi omnes hujusmodi proprietates essent idem inter se: ergo. P. min. *Quæ uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem*; atqui color, lenitas, et asperitas essent idem uni et eidem superficiei: ergo essent idem inter se.

Prob. 7.º De accidentibus spiritualibus, qualia sunt ex. gr. operationes animæ nostræ. Impossibile est, ait D. Thom. (1. p. q. 54. a. 1.), quòd actio cujuscumque creaturæ sit ejus substantia. 1.º quia quod non est actus purus aliquid habet de potentia admixtum: ergo non est sua actio seu actualitas, quia actualitas potentialitati repugnat. 2.º Si intelligere animæ esset sua substantia, esset intelligere quoddam subsistens. *Hoc autem*, ait, *esse non potest nisi unum, sicut nec aliquod abstractum subsistens*: Ecce igitur in spiritualibus *unum* illud, quod Parmenides et Spinoza in corporalibus tantùm posuerunt. Cum hoc *unum* sit valdè reformidandum, oportet totis viribus sustinere actiones animæ nostræ ab ejus essentia distingui, idemque dicendum de ipsius potentiis, quemadmodum demostrat S. Doctor. (1. p. q. 77. art. 1.)

Hæc sunt argumenta rationis naturalis, quibus accidentium á substantia distinctio videtur demostrata. Nunc veritas eadem ex fidei nostræ mysteriis deducenda est. Sed heu? Æquum non est, Philosophiæ tyrones de rebus fidei disputare. Spartam hanc sortiuntur Theologi. Ipsi eam ornent, sicuti ornat P. Billuartius (Disert. 1. de Euchar. art. 6. §. 2.), cujus integram lectionem Theologis omnibus consulimus. Nostrûm est dumtaxat scuto Philosophiæ S. Thomæ discipulos protegere, nè á doctrinis, quæ inimicis fidei non displicent, feriantur. Ad hunc scopum aspicientes, ea in medium adducemus, quæ potius ad rem intelligendam, quam ad discutiendam deserviant. Itaque.

*Primò*: Dogma fidei est, (idque sensu intimo nobis etiam constat) hominem libertate gaudere. Libertas exigit, ut qui aliquid facit, possit non facere, vel facere oppositum; atqui ita non foret, si actiones animæ essent ejus essentia, nam essentia semper est eadem: ergo.

*Secundò*: Dogma fidei est (Trid. Sess. 6. can. 11.) *homines justificari gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum*

*diffunditur, atque illis inhæret*; atqui gratia et charitas sunt accidentia realia ab anima realiter distincta: ergo. Min. patet, quia sunt ordinis supernaturalis, et inhærent animæ, et possunt ab ea separari.

*Tertiò*: Dogma fidei est, (Trid. Sess. 13. can. 2.) *In almo Eucharistiæ Sacramento, facta conversione totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem manere dumtaxat species panis et vini*; atqui species hujusmodi sunt accidentia realia: Nam Concilium eo nomine non intelligit ideas panis et vini, sed objecta idearum, ut mox dicemus: Ergo accidentia divinitus separantur á substantia, cui inhærebant. Ergo ab ea realitèr distinguuntur.

Nescio quo pacto viri Catholici asserere non verentur, species hujusmodi nihil aliud esse, quàm sensationes quibus Christus afficit sensoria nostra eodem prorsus modo, quo naturaliter affici solent á pane et vino. Si ita contingeret, bone Deus! quæ absurda sequerentur!

Primum, sensus nostri rectè dispositi deciperentur circa proprium et per se sensibile debitè propositum. 2. Totus Christus contineretur sub sensationibus nostris, sive sub ideis sensuum. 3. Tunc solus esset Christus in Eucharistia præsens, cum vel sacram Hostiam aspicimus, vel manibus tangimus, vel ejus odorem aut sapórem percipimus. 4. Cum sacram Communionem recipimus, similes essemus somniantibus, qui interdum escis imaginariis reficiuntur. Apage á nobis hæc monstra. Inconcusum maneat, species, post transubstantiationem, in Eucharistia remanentes, esse accidentia realia, quibus divinitus datur, ut separata á substantia existant. Ergo ab ea realiter distinguebantur.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1.° Plura sunt quæ, posita accidentium á substantia distinctione, intelligi vix aut nè vix quidem posse videntur. Ideo novi Philosophi hanc sententiam nobis exprobrantes, quærunt á nobis, Primò; num nostra hæc accidentia sint corpora vel spiritus? Secundò; Quænam sit eorum essentia et existentia? Tertiò; utrum unumquodque eorum peculiarem sibi vendicet existentiam, sicut et essentiam.

Ad primum respondemus, corpus et spiritum esse duo genera subalterna, posita in arbore porphyriana, sub supremo substantiæ. Qui ergo interrogant, an accidentia sint corpora vel spiritus, quærunt, an accidentia sint substantiæ? Petunt ergo principium.

Ad secundum: de essentia accidentium hæc docet D. Thomas. (de Ent. et Ess. cap. 2.) *Essentia propriè et verè est in substantiis, sed in accidentibus est quodam modo, et*

*secundùm quid*. Subditque rationem (cap. 7.); *quia*, inquit, *essentia per definitionem significatur*; *oportet, quod eo modo* (accidentia) *habeant essentiam, quo habent definitionem. Definitionem autem habent incompletam*; *quia non possunt definiri, nisi ponatur subjectum in eorum definitione*. Undè, ut author est Aristoteles (7. Metaph. cap. 1.), non sunt entia *simpliciter*, sed *entis entia*, id est, quidquid sunt, non sibi sunt, sed substantiæ.

Quoad *existentiam* accidentium attinet, firmiter tenendum est quod docet D. Thomas (3. p. q. 77. a. 1. ad 2.) his verbis: »Cum »ens non sit genus, hoc ipsum »quod est esse, non potest esse es»sentia substantiæ vel accidentis. »Non est ergo definitio substantiæ, »*ens per se sine subjecto*; nec de»finitio accidentis, *ens in subjecto*; »sed quidditati, seu essentiæ subs»tantiæ competit habere *esse non »in subjecto*; quidditati autem »sive essentiæ accidentis, compe»tit habere *esse in subjecto*. In hoc »autem Sacramento (Eucharistiæ) »non datur accidentibus, quòd ex »vi suæ essentiæ non sint in sub»jecto, sed ex divina virtute sus»tentante: et ideo non desinunt »esse accidentia." Hactenus D. Thomas. Ex cujus verbis infertur, quòd quamvis inhærentia sive esse in subjecto sit existentia, quæ debetur accidentibus ex vi suæ essentiæ, *conversa* tamen *substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi* (ibid. ad 3.), *remanent virtute divina accidentia in illo esse individuato, quod prius habebant*, absque inhærentia actuali.

Ad 3.m sic respondet D. Thomas (3. p. q. 17. art. 2.) »Con»siderandum quòd si est aliqua for»ma vel natura, quæ non pertineat »ad *esse* personale hypostasis sub»sistentis, illud *esse* non dicitur es»se illius personæ *simpliciter*, sed »*secundum quid*, sicut *esse* album »est *esse* Socratis, non in quan»tum est *Socrates*, sed in quan»tum est *albus*. Et hujusmodi es»se nihil prohibet multiplicari in »una hypostasi vel persona: aliud »enim est *esse* quo *Socrates* est al»bus, et quo Socrates est musicus." Hactenus D. Thomas ex cuius verbis perspicuum fit, quòd in uno eodemque supposito vel subjecto non potest inveniri multiplex *esse simpliciter*, hoc est, substantiale, bene verò multiplex *esse secundum quid*, id est, accidentale.

Quicumque rem significatam per terminum *concretum*, á re significata per terminum *abstractum* noverit discernere, hæc omnia, quæ ex D. Thoma protulimus, facilè intelliget. Statim enim perspectum habebit, *subjectum* esse id *quod* est, *quod* agit, *quod* mutatur, *quod* perficitur; formam vero tantùm esse id, *quo* subjectum est, agit,

mutatur, et perficitur. Quia formulæ istæ, ut *quo* et ut *quod*, nauseam movent novis Philosophis, ideo res gravissimæ et scitu necessariæ sunt ipsis imperviæ, obscuræ, inintelligibiles.

Objicies 2.° et simul instabis: sensibus constat species, sive accidentia panis et vini post consecrationem remanentia, esse aliquid unum (unitas et numerus pertinent ad sensibilia communia in quibus sensus non decipitur); atqui ita non esset, si in eis esset multiplex *esse*: doctrina igitur tradita non est vera. Pr. min. Multiplex *esse* accidentale separatum á subjecto, cui inhæreat, et uniatur, faceret multitudinem, sive numerum entium: ergo accidentia post consecrationem remanentia non essent aliquid unum.

R. D. ult. ans. Multiplex esse &c. separatum ab omni subjecto *non modo primo sed etiam immediato*, Conced. ans. Separatum *á primo subjecto*, *non verò immediato*, Nego ans. et consqm. Itaque statuit S. Thomas (3. p. q. 77. a. 2.) ex accidentibus post consecrationem remanentibus, solam quantitatem existere sine subjecto, cætera vero existere in quantitate. Nam etiam ante consecrationem á quantitate sustinebantur, et ea mediante á substantia: *Sicut*, inquit (ad 1.^m), *superficies dicitur esse subjectum coloris.* Duplex ergo est, secluso omni miraculo, subjectum accidentium. Aliud *primum* scilicet substantia, aliud *immediatum* scilicet *quantitas.* Miraculum ergo est, quòd quantitas á substantia separetur; ea tamen remanente, non est miraculum, sed consequentia miraculi, quòd alia accidentia maneant, imò nec quòd aliqua de novo adveniant. *Melius videtur dicendum*, ait (art. 5.), *quòd in ipsa consecratione miraculosè datur quantitati dimensivæ panis et vini, quòd sit primum subjectum subsequentium formarum.* Hinc duo facilè intelliguntur. Primum est, omnia accidentia remanentia in Sacramento Eucharistiæ, esse aliquid unum ratione quantitatis, cui uniuntur. Secundum est, quod possunt significari, non modò nominibus abstractis, ut sunt color, sapor, &c. sed etiam nominibus concretis, ut sunt coloratum, sapidum, &c. *Ad sensum apparet* (ait S. D. art. 2. in corp.) *aliquid quantum esse ibi coloratum, et aliis accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur.*

Hæc videntur nobis satis esse, ut auditores nostri sibi persuadeant, notiones substantiæ et accidentium á D. Thoma nobis traditas, et verissimas esse, et cum altissimo fidei mysterio convenire, et ad dissolvenda sophismata, quibus hæretici contra illud pugnant, mirum in modum valére. Ad Aristotelis ergo cathegorias regrediamur.

# CAPUT X.

## *De prædicamentis generatim.*

Quæ nos prædicamenta dicimus, Græci categorias vocant. Quis fuerit eorum author parum refert, cum nobis constet, D. Thomam de illis egisse et 3. Physic. lect. 5. et in pluribus Methaph. locis. Quapropter Pitagoræorum, Stoicorum, Epicureorum, et Cartesii, aliorumque Categorias omittendas censemus. Brevitati enim studentes utilia quærimus, et non necessaria prætermittimus. Non est autem necessarium, ut monet Tullius, scire quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit.

Diximus cap. VI. *Prædicabilia* esse modos prædicandi, et *prædicamenta* res quæ prædicantur. Has Methaphysicus considerat, ut sunt in seipsis; Logicus verò, quatenus menti objiciuntur, atque ad dirigenda ejus judicia, et ratiocinationes ordinantur. Sunt autem prædicamenta *Clases, sive series superiorum generum, quæ de speciebus et individuis prædicantur.* Siquidem instituta rerum complexarum analysi, simplicia earum genera inveniuntur, distribuuntur in suas clases, atque alia sub aliis ordine collocantur, ut ex ipsa generum serie innotescat, quid de quo, et qua ratione prædicari possit.

Prædicamenti natura, ex conditionibus quæ ipsum comitari debent, perfectiùs cognoscetur. Ad quatuor priora quæ potissima sunt, sex videntur requiri. 1. Debet esse *ens reale*, qua ratione excluduntur entia rationis, privationes, et negationes. 2. Debet esse *ens per se unum*, non ex pluribus conflatum, qua ratione excluduntur res significatæ per nomina complexa, et concreta accidentalia. 3. Debet esse *ens completum perfectumque*, qua conditione excluduntur entia omnia, quæ partis rationem habent: Hac de causa differentiæ in arbore porphyriana non collocantur in recta prædicamenti serie, sed latera tenent, quia scilicet non sunt tota sed partes. 4. Debet esse *aliquid univocum*, hoc est, unius nominis et rationis, qua conditione excluduntur æquivoca et analoga. 5. Debet esse *ens finitum.* Ens enim infinitum comprehendit, imò superexcédit omnia prædicamenta, continet enim totam plenitudinem essendi, cujus Prædicamenta aliquid tantum participant. 6. Debet esse *ens certæ et definitæ naturæ*, qua conditione excluduntur omnia illa, quæ dicuntur transcendentia, quòd vagentur per omnes vel plures categorias, ut *ens*, *bonum*, *accidens*, *totum*, *causa*, et id genus plurima.

Aristotelis in decem Prædicamenta divisionem, tot sapientum judicio, et tot sæculorum auctoritate confirmatam, retinere necesse est. Sunt autem: *Substantia*, *quantitas*, *qualitas*, *relatio*, *actio*, *passio*, *quando*, *ubi*, *situs*, et *habitus*. Numerus hic ex decem modis interrogandi potuit desúmi. Quæri enim primum solet de re qualibet *quid sit*, tum *quanta*, deinde *qualis*, et sic porrò, *quò referatur*, *quid agat*, *quid patiatur*, *quando sit*, *ubi sit*, *quomodo sit*, et de homine specialiter *quo habitu ornetur*.

Divisionem hanc admittit et exponit D. Thom. (loco citat. ex 3. Phys.) Admonet tamen, *quod ens dividitur in decem prædicamenta non univocè*, *sicut genus in species*, *sed secundùm diversum modum essendi*; idque, ut arbitramur, non modò quia ens est analogum, sed etiam quia ratio prædicamenti in decem generibus valdè diversa est. Docet enim ibi, quòd si res quæ prædicantur spectemus, quatuor priora genera sunt *in subjectis* de quibus prædicantur, sex vero posteriora sunt tantùm *circa illa*. Rursus si modus prædicandi consideretur, primum prædicamentum dicitur *essentialiter* de subjecto, tria sequentia *accidentaliter*, sex verò postrema *per modum denominationis extrinsecæ*.

Hæc cum ita sint, Aristotelem imitabimur, qui sex ultimas Categorias sæpe nominans, et vix unquam definiens, in quatuor prioribus explicandis totus immoratur. Earum numeri ratio á D. Thoma adducta ad hæc pauca reducitur. Quidquid est, vel *pertinet ad essentiam subjecti de quo prædicatur*; *vel non est de essentia ejus*, *et tamen inhæret ei*. Si primum, constituit *substantiam*. Si secundum, hoc est, si inhæret, vel est aliquid *absolutum*, vel *relatum*; si absolutum, vel *se habet ex parte materiæ*, et constituit *quantitatem*; aut *consequitur formam*, et constituit *qualitatem*: denique si se habet per respectum ad alterum, constituit *relationem*. Ratio autem discriminis inter sex ultima prædicamenta reddetur á nobis, postquam naturam, proprietates, et seriem quatuor priorum explicuerímus.

Pro utilitate Prædicamentorum quid scripserint S. Clemens Alexandrinus, Cassiodorus, Boetius, et Quintilianus; quid contra illam effutierint, Gassendus, Auctores Artis cogitandi, et Genuensis, qui eis adbalitat, videri potest apud P. Rosselli (in not. ad art. 1. q. 12.) Expertis credite. Prædicamenta valent 1.o ad denudanda et declinanda sophismata. 2.o ut rectè judicemus de comparatione prædicati ad subjectum uniuscujusque propositionis. 3. ad exactas rerum definitiones construendas. 4. ad dignoscendas propositiones demostrationibus aptas. Utilitates istas usus suggeret et ostendet.

Contemnendæ itaque sunt Juniorum irrisiones et artes.

## CAPUT XI.

### *De Substantia.*

Cum Prædicamenta eò spectent, ut per analysim individuorum (de quibus cap. IV. §. 3. satis diximus.) ad perfectam rerum cognitionem assurgamus, non sine causa Aristoteles caput de *substantia*, á divisione illius in *primam* et *secundam* exordítur. *Primam substantiam* vocat individua, ut *Petrum* et *Paulum*. *Secundas substantias* dicit esse genera et species, ut *hominem*, *animal*, *vivens* &c. Substantia prima sic definitur, *Id quod neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur.* Secunda verò hoc modo, *id quod in subjecto non est, sed de subjecto dicitur.* Has definitiones intelliges, memoria repetens quæ mox diximus (cap. 8. §. 2.) de subjecto *prædicationis* sive logico, et de subjecto *inhæsionis* sive physico, ut alii appellant.

Substantiam *primam*, quæ dicitur etiam *suppositum*, et, si naturæ sit intellectualis, *persona*, sic vocat Aristoteles, quia ei convenit propriè, primò, et maximè ratio substantiæ: cum enim substantia duo dicat, subsistere in se, et substare accidentibus, utrumque principaliùs convenit individuis; nam individua primò et per se substant accidentibus; non enim homo in communi ægrotat, vel currit, vel studet. Rursus, individua sunt quæ per se subsistunt, genera enim et species non subsistunt, neque existunt nisi in individuis, ut latè probavimus (cap. V.). Hinc fit, ut *substantiæ secundæ*, sive naturæ universales, quò propinquiores sunt individuis, eò perfectiùs rationem substantiæ sortiantur. Itaque rectè etiam dicitur, speciem esse magis substantiam, quàm genus. Hæc meliùs intelligentur, arbore porphyriana oculis subjecta. En schema.

| | | |
|---|---|---|
| | Substantia. | |
| Incorporea. | | Corporea. |
| | Corpus. | |
| Non vivens. | | Vivens. |
| | Vivens. | |
| Non sentiens. | | Sentiens. |
| | Animal. | |
| Irrationale. | | Rationale. |
| | Homo. | |
| | Petrus. | |

Hìc vides, quid *inter genus supremum et prædicamentum* intersit. Prædicamentum, ut diximus, est series ipsa generum á supremo usque ad individuum. Genus supremum est illud quod primum locum in serie occupat. Tria sequentia ita sunt genera, ut possint esse species. *Ho-*

*mo* est species infima: *Petrus* individuum et Persona. Quæ latera tenent vocantur *differentiæ*. D. Thomas (1. p. q. 3. a. 5.) monet aliquid esse in prædicamento dupliciter, vel *simpliciter et propriè* sicut species, vel per *reductionem* sicut principia, ut *punctus* qui reducitur ad genus quantitatis, et omnis privatio ut *cæcitas*, quæ reducitur ad genus sui habitus.

Arbor porphyriana non incipit ab ente, quia ut docet (ibid.) S. Thomas, ens non potest esse genus, quia omne genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam ipsius, nulla autem differentia inveniri potest quæ sit extra ens. Cum igitur suprema genera nihil nisi *ens* supra se habeant, rectè dicitur in schola, *non posse illa exactè definiri*. Definienda sunt tamen, quovis modo possint; oportet enim quærere, quid ad eorum essentiam et proprietates pertineat, ut sciamus qualia sint prædicata, quæ juxta primam regulam antepraedicamentalem (cap. 8. §. 3.), de tota serie prædicamenti ritè enuntientur.

Definiamus itaque supremum genus substantiæ. Sed récole, ostendisse nos ex S. Thoma (cap. 9.), neque existentiam esse de essentia substantiæ, neque inhærentiam actualem de essentia accidentis. Rursus non te fugiat, secundam substantiam per negationem mox fuisse á nobis explicatam. Hæc non potest esse ejus essentia; quî enim fieri potest, ut negatio, quæ nihil ponit sed tollit, rem positivam constituat? Præterea, quamvis sæpe dixerimus substantiam sustinere accidentia, hoc non potest esse primum, neque essentiale in eâ: nam sicut columna sustentat tectum, quia in se firma stat, ita substantia accidentia sustinet, quia in se et per se existit et subsistit. Nulla ergo reliqua est via ad inveniendam definitionem substantiæ, nisi quam ostendit nobis D. Thom. (3. p. q. 77. a. 1. ad 2.) cujus verba (cap. 9.) retulimus. Genus ergo supremum substantiæ sic definiendum est: *Ens cui competit esse per se sine subjecto*, sicut é contrario accidens ita definiri debet: *Ens cui competit inhærere sive habere esse in subjecto*. Ratio harum definitionum ex loco citato petenda est.

Quærunt hìc aliqui, *contineatur nè Deus in prædicamento substantiæ?* Sed hæc quæstio Theologorum est propria. Nos jam diximus, ens infinitum non posse in prædicamentis contineri. Deum omnibus his generibus supereminére, nullique subjici sive directè, sive reductivè, demonstrat D. Thomas (1. p. q. 3. a. 1.). S. Dionisius eum optimè vocat *supra substantiam*. Similia inveniuntur apud alios Ecclesiæ Patres, quorum testimonia videri possunt apud P. Rosselli (T. 1. not. 5. ad §. 497.). Cur ergo Gassen-

dus os suum polluere non est veritus, dum ab Aristotelicis quærit, *¿ an imaginentur, injicere quasi compedes infinitæ Dei naturæ, qui eum in Categoria, quasi reluctantem continet?* Et rursus, ¿ an putent quod *Categoria sit, ut alter Vulcanus, qui tantum Martem irretíre ludibrioque dare contendat?* Quis pius, quis catholicus, non indignetur hæc audiens? Ecce ó juvenes! Videte quisnam sit novorum Philosophorum Antesignanus. De Deo non nisi humiliter et piè loquendum. *Pietas*, ait D. Paulus, (1. Tim. 4.) *ad omnia utilis est.* Æmulamini potius D. Augustinum qui (4. conf. cap. 16.) dolet et deflet, quod aliquando Deum prædicamentis incluserit. Ad substantiam revertamur.

Sex ejus proprietates numerantur, quæ non sunt equidem proprietates physicæ sed logicæ; id est, non sunt aliquid realiter distinctum á substantia, sed quædam notiones secundariæ quæ ipsi attribuuntur.

Prima est: *non inhærere subjecto:* Hæc est proprietas substantiæ prout est divisa contra accidens, et convenit tam primis quàm secundis substantiis.

Secunda est: *Prædicari univocè de inferioribus:* Hæc convenit solum secundis substantiis, quæ prædicantur de primis; istæ enim non dicuntur de subjecto.

Tertia est: *Esse hoc aliquid,* quod tantum convenit primis substantiis, nam secundæ sunt aliquid universale; id est sunt *quale aliquid,* ut ait Aristoteles, priores verò *hoc aliquid.* Quorum verborum sensus est, quod naturæ universales possunt prædicari de subjecto, singulares non item.

Quarta: *Substantiæ nihil est contrarium ratione suæ naturæ*, quamvis substantia substantiæ possit opponi ratione qualitatum, quibus afficitur. Nam contraria sunt, quæ ab eodem subjecto se expellunt; atqui substantia non est in subjectó: non habet igitur contrarium. Quare ignis contrarius est aquæ non quà ignis, sed quà calidus et siccus.

Quinta: *Proprium est substantiæ non suscipere magis et minus.* Licet enim quædam substantiæ sint digniores aliis, ut Angeli hominibus, et homines brutis, tamen *unum et idem individuum*, ait D. Thom. (1. p. q. 93. a. 3. ad 3.), *non participat suam speciem quandoque magis, quandoque minus; nec etiam á diversis individuis participatur species substantiæ secundum magis et minus.*

Sexta demum est: *ut una eademque numero permanens possit recipere contrarias qualitates*, non simul sed successivè. Siquidem cum substantia sit subjectum et basis accidentium, potest suscipere accidentia contraria ex iis, quæ separabilia diximus.

# CAPUT XII.
## *De quantitate.*

De quantitate sic loquitur Div. Thomas ( 1. p. q. 42. a. 1. ad 1.^m). *Duplex est quantitas, una quæ dicitur quantitas molis, vel quantitas dimensiva, quæ in solis rebus corporalibus est; alia est quantitas virtutis, quæ attenditur secundum perfectionem alicujus naturæ vel formæ.* Hæc transcendit omnia rerum genera, sicut *Bonum* cujus gradus ab ea mensurantur. Unde celebre illud Augustini; *In his quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse.* Hìc non agimus, nisi de *quantitate molis*, sive *dimensiva.*

In re quanta, sive in substantia materiali molis quantitate affecta, quinque reperiuntur. 1.° Distributio in partes integrales. 2. Earum partium in loco extensio. 3. Impenetrabilitas. 4. Divisibilitas in partes. 5. Mensurabilitas. Ex his quinque notionibus quænam sit essentia quantitatis, finiendum est antea breviter. Nec audiendus in hac quæstione Aristoteles, qui caruit lumine fidei, quo nos præcipuè in ea dirimenda duci oportet.

Et quidem *mensurabilitatem* et *divisibilitatem* ab essentia quantitatis esse excludendas, facile intelligitur, quoniam consequuntur *extensionem* partium *in loco.* Imò non videntur nobis nisi proprietates logicæ, ab extensione locali realiter indistinctæ. *Impenetrabilitas* autem (terminus hic est voce negativus, et sensu positivus) ab ea quidem realiter distinguitur, et potest divinitus separari, ut ex doctrina revelata edocemur, et in Physica probabimus; verumtamen, quantitatis essentia in impenetrabilitate consistere non potest, cum sit posterior ipsa extensione locali; ideo enim unum quantum expellit aliud á loco, quia locum implet.

Similiter *extensionem rei quantæ in loco* non esse quantitatis essentiam, et fides nostra docet, et ratio suadet. Docet fides, quia credimus totam quantitatem Corporis Christi esse in Sacramento Altaris, absque extensione suarum partium in illo loco. Suadet ratio, tum quia prius est rem esse quantam, quàm referri ad aliud extra ipsam, hoc est ad locum; tum etiam, quia prius est partes esse in toto integrali, quàm esse in loco. Dicendum ergo, quòd *distributio rei quantæ* in partes integrales est primum in quantitate; est radix aliorum quatuor; est essentia quantitatis. Ideo D. Thom. (4. cont. gent. cap. 65.) *Ordo*, inquit, *partium in toto* (in toto ait, non in loco) *in ratione* (id est essentia) *quantitatis includitur.*

Itaque si genus hoc supremum (quantum possit) definire per essentiam velis, poteris sic dicere: Quantitas est *accidens*, *cui competit substantiam materialem in partes distribuere*. Si describere per tertiam definiendi formam optes, (lib. 1. cap. 4. §. 3.) duas habes proprietates physicas, et duas logicas, quibus ejus naturam et genium poteris manifestare.

Hic te monitum volumus, primam quantitatis proprietatem vocari passim á nostris, *extensionem partium in ordine ad se*. Voces istæ nobis displicent, tum propter earum obscuritatem, tum quia hoc nomen *extensio* imaginationem excitat; quæ tamen cohibenda est, cum essentiam quantitatis mente quærimus. Nam ad eam inveniendam abstractio á phantasmatibus imaginationis est adhibenda. Novi Philosophi nomina simplicia invenére, quibus essentiam quantitatis, et primum ejus attributum significarent. Ea sunt *massa*, et *volumen*. Quid enim significat *volumen* nisi *extensionem* corporum in loco? quid *massa* nisi *eorum in partes integrales distributionem*? Respondeant ergo nobis. Nonnè ipsi massam realiter distinguunt á volumine? Nonnè unicuique earum suum effectum tribuunt, ab effectu alterius realiter distinctum? Distributio igitur in partes integrales, et earum in loco extensio realiter etiam distinguuntur. Nunc sic: *Massa* est naturâ prior *volumine*; ergo essentia quantitatis reponenda est non in *volumine*, sed in *massa*, hoc est, in distributione partium totius integralis, non in earum extensione in loco.

Satis hæc sint. De illis redibit sermo cum in Physica de *loco* agemus. Procedamus nunc ad hujus Prædicamenti divisionem et seriem, in qua consultò ab inutilibus quæstionibus abstinentes, quantitatis species omnes sive proprias sive improprias collocare curabimus, nè Logico notio ulla hujus generis desit, quæ ipsi in aliis etiam scientiis possit deservire. Æqui, bonique consule, cum nos videris nomine concreto vel abstracto indiscriminatim uti. Ad rem.

Primò dividitur hoc genus in *quantum per se*, et quantum *per accidens*. Quantum *per se* est illud, quod ex se, et ratione suæ quantitatis est divisibile, ut *magnitudo* et *multitudo*. Quantum *per accidens* est illud, quod non potest dividi nisi ratione quantitatis, qua mediante recipitur in substantia, ut *albedo*, quæ dividitur et mensuratur ratione superficiei in qua est.

2.° Dividitur quantitas (sive quantum *per se*) in continuam et discretam. *Continua* est cujus partes communi nexu copulantur, atque unà cohærent, ut *linea* et *magnitudo quælibet*. *Discreta* dicitur

cujus partes nullum habent nexum inter se communem, per quem invicem coalescant, ut *numerus* et *multitudo* quævis.

3.º Dividitur, quantitas continua in *permanentem* et *successivam*. Quantitas *permanens* est cujus partes unitæ simul existunt, ut *totum integrale homogeneum*. *Successiva* dicitur, cujus partes connexæ successivè fluunt, et magis *fieri* quam *esse* dicuntur, ut *tempus* et *motus*.

4.º Permanens continua dividitur in *lineam*, *superficiem*, et *corpus*. *Linea* sola longitudine constat. *Superficies* constat longitudine et latitudine. *Corpus* longitudine, latitudine et profunditate.

*Superficies*, quæ continet et ambit aliquod corpus, dicitur *locus*, qui proinde ab aliquibus inter species quantitatis enumeratur. *Corpus* autem, quod inter species quantitatis censetur, non est corpus *physicum*, sed *mathematicum*. Diligentissimè à nobis hæc distinctio retinenda est. *Mathematicus* in corporibus nihil præter extensionem mensurabilem considerat. *Physicus* eorum naturam, generationi et corruptioni obnoxiam, præcipuè intuetur. Itaque corpus *physicum* est compositum quoddam ex materia et forma, et pertinet ad *substantiam*. *Mathematicum* est tergemina rei extensio, qua res corporeas metímur; et hoc est corpus, quod pertinere ad quantitatem dicimus. De utroque fusiùs loquendum erit, cum in Physica de rerum principiis disputabimus.

5.º Dividitur quantum *successivum* in *motum* et *tempus*. *Motus* differt á tempore, quia motus in sola successione consistit; *tempus* autem est etiam hujus successionis mensura.

Quantitas discreta (de qua in secunda divisione) potest etiam dividi in *permanentem*, ut certus *numerus* hominum; et *succesivam*, ut *oratio* accepta more Aristotelico prout partibus constat per intervalla distinctis. Itaque

6.º Demum, dividitur numerus ex D. Thoma (1. p. q. 30. a. 3.) in *cathegoricum et transcendentalem*. *Omnis enim pluralitas*, inquit, *consequitur aliquam divisionem. Est autem duplex divisio. Una materialis, quæ fit secundum divisionem continui, et hanc consequitur numerus, qui est species quantitatis.* (Ecce numerum prædicamentalem.) *Alia est divisio formalis, quæ fit per oppositas vel diversas formas, et hanc divisionem sequitur multitudo, quæ non est in aliquo genere, sed est de transcendentibus*, (Ecce numerum transcendentalem) *secundum quòd ens dividitur per unum et multa.* Hæc divisio magni momenti est, ad quædam explicanda de Altissimo Trinitatis mysterio.

Hæ sunt propriæ et impropriæ quantitatis species. Omnes illas describit Aristoteles in Prædicamentis, et quasdam negligit in methaphysicis; quia ut verbis utar S. Thomæ (5. Methaphysicorum, lectione 15.), *Philosophus in prædicamentis distinguit species quantitatis secundum diversas rationes mensuræ* (hoc idem nos fecimus), in methaphysicis *autem considerat species quantitatis, quantùm ad ipsum esse quantitatis*. Hoc non erat nostrum. Ad proprietates itaque hujus generis transeamus.

Præter quatuor quantitatis proprietates, quæ initio hujus capitis constitutæ sunt, tres alias numerat Aristoteles, quæ utique non sunt attributa physica sed logica. *Prima*: quantitas quantitati non est contraria, nam *magnum* et *parvum* relata sunt, non contraria, et idem potest esse *magnum* et *parvum* respectu diversorum. *Secunda:* quantitas secundùm suam naturam et essentiam, neque intenditur, neque remittitur. Itaque quamvis possit fieri *major* vel *minor*, non tamen suscipit *magis* et *minus*. Tantum enim recipiunt *magis* et *minus*, quæ permiscentur cum suo contrario, quo caret quantitas. *Tertia:* res per quantitatem dicuntur æquales, vel inæquales, pares, vel impares, quia scilicet res per quantitatem mensurantur.

## CAPUT XIII.

### *De qualitate.*

Doctrinâ in hoc Capite tradendâ frequenter utitur in Summa D. Thomas, præsertìm 1. 2. q. 49. a. 2: qui articulus totam illam continet. Id nobis satis esse debet, ut frigidas qualitatum irrisiones, quas nova Phylosophia eructat, nihili faciamus. Sciendum est ergo, quòd hoc nomen *qualitas* interdùm omni differentiæ accommodatur, ita ut differentiæ ipsæ substantiarum qualitates etiam nominentur. Ratio est, quia, ut diximus de illis agentes, non modò prædicantur *in quid*, sed etiam *in quale*. Ob eamdem causam, potiùs dicitur *qualitas* accidens omne, sive proprium, sive commune; quia utrumque semper prædicatur de substantia *in quale*, et non *in quid*. Neutro modo accipitur hoc loco *qualitas*, sed prout designat peculiare genus entis, ab aliis categoriis distinctum.

Qualitatem sic sumptam his verbis definivit Aristoteles: *Qualitatem voco, ex qua quales nominamur*. Hæc non est vera definitio, sed descriptio. Usus est Aristoteles verbo *nominamur*, ut ex qualitatibus, quas in nobis sentimus et experi-

mur, ad alias quascumque cognoscendas deveniamus. In hâc definitione, ut vides, abstractum per concretum explicatur, et simplex per compositum. Et quidem rectè; nam concretum sensibus et intellectu percipitur; abstractum verò intellectu solo. Unde concretum prius et notius nobis est, quàm abstractum. *Qualitas* ergo ex *quali* explicanda erat. In moralibus, hic definiendi modus receptissimus et rectissimus est, nam *virtus* ex *virtuoso* cognoscitur. Ideoque Aristoteles ipse (lib. 2. Post. cap. 13.) docet, ex viris *magnanimis* cognoscendam esse naturam et rationem *magnanimitatis*. Ridendi ergo, qui nostram hanc definitionem rident.

Quatuor species qualitatis recenset Aristoteles, quarum unamquamque in duo membra subdividit. Itaque quatuor sunt veluti paria qualitatum. Primum est: *Habitus* et *dispositio*: secundum, *naturalis potentia* et *impotentia:* tertium, *passio* (hæc non denominatur ex agente), et *patibilis qualitas:* quartum, *forma* et *figura.*

Prima species est, *dispositio quædam in naturam subjecti inducta, quâ determinatur ad benè vel malè se habendum.* Hæc si sit *firma, permanens*, et *difficilè mobilis*, habitus dicitur. Si *debilis*, *infirma*, et *facilè mobilis*, genericum *dispositionis* nomen retinet. Porrò, cum substantia possit determinari á qualitate tum in ordine ad *esse*, tum in ordine ad *operari*; oportet dicere, quod dispositionum et habituum alii sunt qui modificant *esse* subjecti, ut *pulchritudo* et *deformitas;* alii qui ejus *operationes* afficiunt, ut *error* et *scientia.*

Ad harum definitionum intelligentiam duo animadvertit D. Thomas. Primum: quòd adverbia *benè* vel *malè* hanc primam speciem ab aliis tribus distinguunt, ita ut *ipsæ figuræ, et passibiles qualitates* (sic loquitur ad 2.$^{m}$) *secundùm quòd considerantur ut convenientes, vel non convenientes naturæ rei, pertinent ad habitus vel dispositiones.* Secundum est, *quod ista differentia* (sic ad 3.$^{m}$) difficilè mobile *non diversificat habitum ab aliis speciebus quantitatis, sed á dispositione.* Addit deinceps, quòd facilis et difficilis mobilitas, quibus duo hæc membra differunt, petendæ sunt, non ex fortuito accidente, sed ex propria utriusque ratione. *Sic*, ait, *ægritudo et sanitas* sunt dispositiones, *et* non habitus, *quia habent causas transmutabiles. Scientiæ verò et virtutes* sunt habitus, *quia habent causas immobiles.*

Secunda species, ut insinuat S. Doctor, est *qualitas disponens substantiam in ordine ad actionem.* Itaque *naturalis potentia* est virtus quædam á natura insita, et confirmata ad agendum, vel etiam ad resistendum: nihil enim absque actione

vel reactione dicitur resistere; hujusmodi est *visus* in juvene, *durities* in adamante. *Impotentia* est eadem virtus, si debilis sit, diminuta et infirma; ut *visus* in sene, *fragilitas* in vitro.

Tertiæ speciei ratio ex subjecti passione desumitur; est enim *qualitas alterationem sensibilem causans, vel ad eam consequens*. Hujus speciei qualitates, si citò transeant, ut *pallor ex metu*, *rubor ex verecundiâ*, dicuntur *passiones*; at si permanentèr insunt, ut *pallor* ex melancholicâ complexione, *rubor* ex sanguinea, dicuntur *patibiles qualitates*.

Quarta species *accipitur ex modo vel determinatione subjecti* (verba sunt D. Thomæ in corpore) *secundùm quantitatem, ad quam non pertinet, quòd aliquid sit benè vel malè dispositum, nec citò vel tardè transiens*. Differentiam autem inter *formam* et *figuram*, non omnes eodem modo explicant. Nos sic decernimus. Utraque denotat debitam partium subjecti proportionem, et commensurationem: quæ sanè si ad subjecti *essentiam*, á qua fluit, referatur, dicenda est *forma*: si referatur ad terminum *quantitatis*, et ad externas *qualitates*, quibus afficitur, dicitur *figura*. Unde non ineptè dicitur á pluribus, quòd *figura* ferè ad res artefactas pertinet, *forma* ad naturales.

De qualitatis speciebus satis. Nulla ex illis censenda est infima. Genera, quæ sub unaquâque earum continentur, videri possunt apud P. Goudinum. Ad proprietates transeamus.

Tres recensentur ab Aristotele. Prima: *qualitas qualitati contraria est*: nam *calor*, ex. gr. pugnat cum *frigore*. Hæc tamen proprietas non pertinet ad quartam speciem, quia nec *figura figuræ*, nec *forma formæ* adversatur. Secunda: *qualitas intendi ac remítti potest*. Nè ista quidem proprietas convenit quartæ speciei. Neque enim unum *triangulum* est *magis* triangulum quàm alterum, quamvis possit esse *majus*, id est, magis extensum. Tertia: *propter qualitatem res dicuntur similes et dissimiles*, quemadmodùm per quantitatem dicuntur *æquales* et *inæquales*. Itaque duo equi, si sint ejusdem coloris, dicuntur *similes*, si sint ejusdem molis, dicuntur *æquales*.



# CAPUT XIV.

## *De relatione.*

Voces istæ *relatio*, *respectus*, *ordo*, *habitudo* idem significant. Relata in concreto sunt, *quæ ad aliquid sunt*, sive *quæ inter se conferuntur*. Relatio in abstracto est, *ordo unius*

*ad aliud*, ut *Domini* ad *servum*, *dupli* ad *dimidium*. Hæc faciliùs intelliguntur quàm explicantur. Cæterùm explicanda sunt quoàd fieri possit; mentem enim præparant ad ea, quæ de divinis relationibus in Theologia docentur. Itaque

Duplex est relatio, alia *realis*, alia *rationis*. Relatio *realis* est ordo, qui rebus ipsis inest, ut respectus quo *Pater* refertur ad *filium*, et *filius* ad *Patrem*. Relatio *rationis* est ordo per mentem inter aliqua excogitatus, ut *generis* ad *speciem*, et *speciei* ad *genus*.

*Quidam posuerunt*, ait D. Thomas (1. p. q. 13. a. 7.), *relationem non esse rem naturæ, sed rationis tantum. Quod quidem apparet esse falsum, ex hoc quòd ipsæ res naturalem ordinem et habitudinem habent ad invicem.* Obsoletam illam veterum opinionem renovant Juniores Phylosophi, præsertim Lugdunenses (Metaph. Gen. cap. v. a. 2.); contra quos aliquid breviter dicendum.

### *Propositio.*

Præter relationes *rationis* plurimæ sunt *reales*, á rerum substantia distinctæ, ipsíque inhærentes.

Prob. 1. ab exemplo. Nam et Lugdunenses exemplo suam thesim probant. *Idem sit judicium de cæteris relationibus, ac de relatione*, quæ inter Dominum et servum *dicitur intercedere*; atqui hæc relatio est res naturæ, et non rationis tantum: Ergo. Prob. min. Intellectus cogitur ad intelligendum *dominum*, cum relatione ad *servum*: non enim potest definiri *dominus*, nec proinde intelligi sine relatione ad *servum*. Hoc supposito, *en dilemma*. Relatio *domini* ad *servum* vel præcessit ejus cognitionem, vel non. Si præcessit: ergo est ens reale. Si non: ergo potest intelligi, aliquem esse *Dominum* absque ullâ relatione ad *servum*, quod est impossibile.

Prob. 2.° Quæ per se considerantur á Geometriâ, et Aritmeticâ, sunt res naturæ, et non entia rationis; sed Aritmetica considerat proportiones numerorum, et Geometria figurarum proportiones contemplatur, quæ certè proportiones sunt relationes: ergo quædam sunt relationes reales.

Prob. 3.° ratione S. Thomæ (quæst. 7. de pot. art. 9.). Nullum ens rationis spectat ad perfectionem et bonum rerum omnium, quæ sunt extrà animam, et hoc Universum constituunt; atqui hæc perfectio et hoc bonum, *non solum attenditur secundum aliquid absolutè inhærens rebus, sed etiam secundum ordinem unius rei ad aliam, sicut etiam in ordine partium exercitus bonum exercitus consistit* (Quapropter ad Rom. 13. v. 1. dicitur; *Quæ sunt á Deo ordinata sunt.*): *oportet ergo in ipsis re-*

*bus ordinem quemdam esse. Hic autem ordo relatio quædam est; unde oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse.* Hactenùs D. Thomas. ¿Videruntnè hanc demonstrationem Lugdunenses?

Probatur demum 4.° Ad Eph. 3. sic loquitur D. Paulus: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu-Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terrâ nominatur.* ¿Proferret hæc D. Paulus, si paternitas creata esset ens rationis, vel operatio tantùm mentis nostræ, ut statuunt Lugdunenses? Cur de rebus causâ incognitâ judicant?

Præcipua adversus nostram propositionem objectio (quæ vetustissima est) sic proponitur á Lugdunensibus. »Si *relatio* esset nova »quædam *entitas* rebus ipsis super»veniens, posita vel sublata rela»tione res mutarentur. Atqui ta»men nulla rebus ipsis contingit »mutatio, sive accedat, sive pe»reat nova quædam *relatio*." Alioqui (hæc addunt ex authore quodam suarum partium) si decies centena millia hominum una die nascerentur, decies centena millia entitatum mihi de novo advenirent; et tunc, ó me fortunatum! qui tot entitatibus ditarer et replerer.

Ad hæc terriculamenta anicularum nihil respondendum censemus. Ad objectionem dicimus: Dist. Ma. Si relatio esset &c. res mutarentur *methaphoricè* et *insensibilitèr*; Transeat Ma. *Propriè* et *sensibilitèr*: Nego Ma. et distincta similiter minori, Nego conseqm. Animadvertendum itaque, quòd relatio realis non numeratur inter objecta sensuum externorum, sed objectum solius intellectus est; (Recole dicta lib. 1. cap. 11.) non enim est sensibilis per se, sed tantum per accidens: hoc est, dum oculis videmus *duo alba*, mente cognoscimus realem eorum inter se similitudinem. Id fatentur ipsi Lugdunenses; Dicunt enim arguentes: *unum ad aliud referre, functio est solius mentis.* Quæ ergo dicitur mutatio *relativa* est insensibilis, proindèque metaphorica. Philosopho autem argumentum ex methaphoris sumptum nullius ponderis esse debet.

Præterea docebimus in Physicâ, mutationem, sive motum propriè dictum ad relationem non esse; non modò quia relatio non est per se sensibilis, sed etiam quia non fit per se, sed per resultantiam ex fundamento et termino, de quibus statim. Demùm ad Maj. diximus *transeat*, quia ut ex Philosopho docet D. Thomas (loc cit. de pot.), *sine aliquâ mutatione ejus quod ad aliud refertur, potest relatio desinere* (proindèque incipere) *ex solâ mutatione alterius.* Hæc ex dicendis clariora fient.

Petes, quomodo dignosci possit, quænam sint *relationes reales*,

et quænam *rationis*? R. Perfectè id explicat S. Thomas (art. 7. cit.) »dicens: *Cum* relatio requirat duo »extrema, tripliciter se habet ad hoc »quod sit res naturæ aut rationis. »1. Quandoque ex utraque parte »est *res rationis tantum*, ut cum »dicitur *idem eidem idem*. Nam »secundum quòd ratio apprehen»dit bis aliquid unum, statuit il»lud ut duo: et sic apprehendit »habitudinem ipsius ad seipsum. »2.° Quædam relationes sunt quan»tùm ad utrumque extremum *res* »*naturæ*, sicut patet de relationi»bus, quæ consequuntur quantita»tem, ut *magnum* et *parvum*, vel »actionem et passionem, ut *pater* »et *filius*. 3.° Quandoque relatio »in uno extremorum est *res na*»*turæ*, et in altero *rationis tan*»*tum*. Et hoc contingit, quandocum»que duo extrema non sunt unius »ordinis." Ex quo infert, quòd creaturæ realiter referuntur ad Deum, sed in Deo non est aliqua realis relatio ad creaturas, sed secundum rationem tantum; in quantùm, scilicet, ratio apprehendit Deum, tanquàm terminum prædictæ relationis.

Manifestum est, relationes *rationis* ad hoc prædicamentum non pertinere, sed neque *reales* omnes in eo locum obtinent, nam quæ dicitur *relatio transcendentalis*, et quæ appellatur *relatio secundum dici*, cum sint reales, ab hoc tamen prædicamento sine controversiâ excluduntur. Quid ita? Quia neutra est vera relatio, sed utraque est res quædam absoluta, quæ relatione explicatur. Hoc intelliges si consideres, plurima esse in naturâ, quæ creata sunt potiùs propter aliud quàm propter se ipsa. Sic *fænum* propter animalia factum est, et *omne quod movetur et vivit* propter cibum hominum. Sunt quoque accidentia *absoluta*, quæ substantiæ dantur non modò propter ipsam, sed etiam propter aliquid extra ipsam. Sic *potentiæ* sunt propter *actus*, et *actus* propter *objecta*, ut *visus* propter *visionem*, et *visio* propter *colores*.

Hæc igitur omnia dicuntur recipere speciem, vel *specificari* ab eo propter quod sunt. Hoc est, talis est eorum natura, qualem exigit id propter quod sunt, sive ad quod ordinantur. Ecce ergo, *quæ* et *quare* dicantur relata transcendentalia, et relata secundum dici. *Transcendentalia*, quia non modò vagantur per decem genera univoca, sed etiam per analoga quæ superiora sunt *secundum dici*, quia cum sint res absolutæ, non possunt tamen explicari aut definiri, nisi ordo ad id propter quod sunt exprimatur. Hic ordo, qui vocatur *relatio transcendentalis*, vel *secundum dici*, ipsa relatorum essentia est, non autem accidens eis inhærens: quod utiquè necessarium

erat, ut in prædicamento relationis ea collocarentur.

Quid est ergo prædicamentum relationis? Ut ad id tandem deveniamus; In concreto sic definitur á D. Thoma (art. cit. ad 1.$^{m}$): *Relativa secundum esse*, sive relata prædicamentalia sunt, quorum *nomina sunt imposita ad significandas ipsas habitudines relativas, ut dominus et servus, pater et filius, et hujusmodi.* In abstracto verò sic definiendum est: *Purus ordo, purusque respectus*, sive *accidens reale, cujus totum esse est ad aliquid se habere.*

Porrò in quâlibet relatione quatuor spectanda sunt. 1.° *Subjectum*, quod dicitur *relativum*, ex.gr. *Pater.* 2.° *Terminus*, qui dicitur *correlativum*, cujusmodi est *filius.* 3.° *Fundamentum* relationis, qualis est *generatio.* 4.° *Relatio* ipsa, quæ est *forma* significata per nomen concretum *pater.*

Divisio relationum, sive series hujus prædicamenti ex diversitate fundamentorum ejus desumitur. Quatuor autem sunt fundamenta saltèm remota relationis, ut colligitur ex D. Thoma (v. Meth, lect. 17, litt. C. et D.). 1. Substantia, 2. quantitas, 3. qualitas, 4. vis agendi, et patiendi. In *substantia* (sumpta pro essentiâ) fundatur relatio *ejusdem* et *diversi.* In *quantitate* relatio *æqualitatis* et *inæqualitatis.* In *qualitate* relatio *similitudinis* et *dissimilitudinis.* In *vi agendi et patiendi* relatio *causæ* ad *effectum*, et è converso. Genera subalterna, sive species relationum sub his quatuor contentas diligenter enumerat P. Goudinus.

Relativorum proprietates quatuor numeramus. *Prima* est, ut sibi inter se opponantur, nec tamen sint per se contraria. *Secunda*, ut per se non suscipiant magis et minus. *Tertia*, ut convertantur ad invicem, sive ut per quamdam reciprocationem de se mutuò dicantur. *Quarta*, ut sint simul natura et cognitione, hoc est, ut simul existant, et simul cognoscantur, quatenùs sunt relata.

---

# CAPUT XV.

## *De sex ultimis prædicamentis.*

Cum fusiùs agendum sit in Physicâ de *actione* et *passione*, *tempore* et *loco*, ad quem *situs* consequitur, *habitus* verò explicatione vix egeat; solum superest, ut de hujusmodi prædicamentorum inter se distinctione, sicut promisimus cap. x., rationem reddamus. Ad rem. Diximus ibídem ex S. Thomâ (3. Phys. lect. 5.), ea de suis inferioribus prædicari per modum *denominationis extrinsecæ.* Noverat quippè S. Dr. abs-

tractas rerum ideas á denominationibus discernere. Quàm longè abfuit á Condilliaco, qui ut omnia susque deque misceret, solas ideas nominum sensibilium admittendas dixit!

Extrinseca hæc denominatio, ait, desumitur vel á causa, vel á mensura, modò utraque sit extrinseca rei denominatæ. Sic igitur *secundum quòd aliquid denominatur á causa agente, est prædicamentum* passionis (hujusmodi est hoc prædicamentum, *ferrum ignitum*). *Cum è contrariò denominatur causa agens ab effectu, est prædicamentum* actionis, v. gr. *lignum pomiferum*. Secundum quòd aliquid *denominatur á tempore, est prædicamentum* quando (ut cum ironicè dicitur *puer centum annorum.*). *Secundum quòd denominatur á loco* (ut cum aliquis dicitur *hispanus* vel *lusitanus*), *est prædicamentum* ubi, á quo juxta S. Doctorem denominantur ea, de quibus prædicatur *situs*, puta cum aliquis dicit: *Petrus domi sedet*. Situs enim *addit supra* ubi *ordinem partium in loco*. Demùm, *cum homo dicitur armatus, vel vestitus, vel calceatus, denominatur ab aliquo extrinseco, quod non habet rationem, neque causæ, neque mensuræ, unde est speciale prædicamentum, et dicitur* habitus. Hæc D. Thomas.

Dicendum ergo, sex ultima prædicamenta denominari ab aliquo absoluto, ad quod referuntur. Omnis quippe denominatio oritur ab aliqua relatione, quæ inter denominans et denominatum intercédit. Unde idem S. Thomas (v. Meth. lect. 17.) docet, hæc ultima genera *magis relationem consequi, quàm possint illam causare*. Ceterùm hæc relatio ex illis videtur esse, quæ *secundum dici*, vel *transcendentales* vocantur.

Si quis autem contendat, ea esse *modos* quosdam, qui rem, de qua prædicantur, afficiant; á certamine abstinebimus. Nomen enim *modi* adeo vagum est, et æquivocum, ut ferè cuicumque rei possit accommodari. (Mirum non est, *modos* præ *accidentibus* novis quibusdam Phylosophis placuisse). Nos ipsi, non accidentia tantùm, verùm etiam differentias omnes, etiam substantiarum, nè litigemus, interdùm modos nuncupamus. Veruntamèn usum hujus vocis numquam á Lockio mutuabimus. Hic enim cum *modum* definiat affectionem substantiæ, relationem tamen denegat esse *modum*. Omnes enim ideas in *modos, substantias, et relationes* dividit. Sed hoc parùm interest. Id dicimus, sex ultima prædicamenta posse vocari *modos*, præcipuè cum modi admittantur non solum intrinseci, sed etiam extrinseci. Loquendum cum multis, et sentiendum cum paucis.

Si á nobis quæratur, quid sentiamus de significatione hujus vocis *modus*? Respondebimus, quod *modus* proùt ab *accidente* distinguitur,

nobis quidem videtur veluti accidens accidentium, eorum præsertim, quæ suscipiunt *magis* et *minus*, ut est *qualitas*, et ratione illius *actio* et *passio*. Hoc sensu, *modus* et *gradus* idem significarent, et rerum species non mutarent, nàm ut fert axioma, *magis et minus non variant speciem*. In relationibus quoque *modis* est locus. Nam *postprædicamenta*, de quibus agere aggredimur, videntur *modi* quidam relationum, sive *prædicamentalium*, sive etiam *transcendentalium*. Satis de Categoriis.



# CAPUT XVI.

## *De Postprædicamentis.*

Postprædicamenta, quorum author absdubiè est Aristoteles (D. Th. 1. 2. q. 49. a. 1.), sunt profectò necessaria ad ea penitùs intelligenda, quæ in prædicamentis dicta sunt; quia scilicet significant modos quosdam generales, qui ipsa consequuntur, ortos ex generum vel specierum inter se comparatione. Sunt autem quinque. *Oppositio*, *Prioritas*, *Simultas*, *Motus*, *et Habere*. De motu copiosè agemus in Physica. De aliis hìc singillatim.

### §. I.

### *De oppositis.*

Quatuor afferuntur ab Aristotele oppositorum genera. *Relata* ut duplum et dimidium. *Contraria* ut bonum et malum. *Privativa* ut cæcitas et visus. *Contradictoria* ut homo non homo. Agitur hìc non de propositionum, de qua lib. 1., sed de rerum simplicium oppositione. Aristoteles in quatuor his oppositis recensendis, gradatim pergit, hoc est, á minima ad maximam oppositionem.

Oppositio *relativa* inter ea versatur, quæ ex sua natura sese mutuò respiciunt, ut *Dominus* et *servus*. Dicuntur autem opposita, quia velut é regione posita sunt. Hæc oppositio est omnium minima, in ea enim unum éxtremorum non destruit aliud, sed potiùs exigit, unde invenítur inter divinas Personas, quæ per oppositionem relativam inter se distinguuntur. (D. Th. 1. p. q. 40. a. 2.)

Oppositio *contraria* est inter ea, quæ posita sub eodem genere proximo, inter se maximè distant, et ab eodem subjecto sese expellunt, ut *bellum* et *pax*, *vitium* et *virtus*. *Posita*, inquam, *sub eodem genere proximo*, ut sunt *calor* et *frigus*. Nam si distent in *genere remoto* posita, ut *lapis* et *homo*, dicuntur *dis-*

*parata* et non contraria. Porrò, contrariorum alia medio carent, ut *par* et *impar*, àlia medium habent, eaque sunt ejusmodi, ut utrumque abesse possit á subjecto Hujus generis sunt v. gr. calor et frigus, nàm in *tepido* nec *calor* nec *frigus* est.

Regulas quasdam proposuit Aristoteles ad vim contrariorum exprimendam, ex quibus duæ videntur nobis et veræ et opportunæ. Prima: *Bono contrarium est malum dumtaxàt, malo contrarium est tum bonum, tum malum.* Nam justitiæ, quæ bona est, opponitur injustitia. At avaritiæ opponitur non modò *prodigalitas*, quæ est mala, sed etiam *liberalitas* quæ est bona. Secunda: *Contraria quæ medio carent, nequeunt eídem simul inesse.* Neque enim idem numerus potest esse simul *par* et *impar. Nihil autem prohibet*, ait D. Thom. (3. p. q. 46. a. 8. ad 1.m), *contraria eídem inesse non secundùm idem.* Atque hinc explicat, quomodo fieri potuerit, ut patiente Christo Domino, superior pars animæ ejus perfectè Deo frueretur.

Oppositio *privativa* reperítur inter formam et ejus privationem in subjecto utriusque capaci: ex. gr. inter *lucem* ac *tenebras*, *visum* et *cæcitatem*. Si subjectum alterius capax non sit, dicitur *negatio* non *privatio*. Ita cæcitas in animali est *privatio visus*, in lapide *negatio*. Animadvertit D. Thomas (1. p. q. 11. a. 4. ad 1.m), quod licet privatio secundùm se non recipiat magis et minus, tamèn secundùm quod ejus oppositum recipit magis et minus, etiam ipsa privativa dicuntur secundùm magis et minus. Sic aer est magis vel minus tenebrosus, quia lux est qualitas, quæ potest intendi et remítti, ut probabimus in Physica.

Notandùm, quòd duplex est *privatio*, una quidem quæ tollit actum, non potentiam, ut *tenebræ*, quæ solum auferunt præsentiam *lucis* in aere. Altera, quæ tollit simul actum et potentiam, ut *mors*, quæ privat actum *vitæ*, et potestatem *vivendi*. Ab ista ad formam non est naturaliter reditus, benè verò ab illa. Hoc sensu intelligendum est commune illud axioma: *A privatione ad habitum non datur regressus.*

Oppositio *contradictoria* illa est, quæ inter ens et non ens invenítur. Omnium maxima est. Nam cum alia opposita aut non se destruant, aut medium patiantur, aut subjectum, aut genus commune habeant, contradictoria se ita perimunt, ut nihil commune admittant. Unde annotante sæpiùs S. Thoma, oppositio contradictoria, cæteris aliquatenùs admiscetur, estque earum causa.

§. 2.

*De prioribus.*

Quinque modis aliquid dicitur

*prius* alio. 1.° Illa sunt *priora tempore*, quæ sunt aliis antiquiora, ut gesta Trojanorum sunt priora rebus Romanorum, et generatìm quæ vel ortu vel duratione alia antecedunt, hoc modo dicuntur *priora*.

2.° Illa sunt *priora natura*, á quibus non valet consequentia, qua ratione *animal est prius natura* homine, quia non sequitur *animal est; ergo homo est*. Generatìm universaliora sunt *priora natura* minùs universali, quia ab illis ad ista non valet consequentia. Non ignoramus, *prioritatem naturæ* pluribus idem esse ac *prioritatem causæ*, eaque dici *priora natura*, á quibus alia dependent, ut á suis causis. Nihil horum reprehendimus. Verùm hæc Aristotelea (Javellum et Masium æmulamur) ex ipsoAristotele sumenda erant.

3.o Illa sunt *priora ordine*, quorum unum præcedit alterum, vel secundùm positionem, ut *punctum* est ordine prius linea, vel secundùm *cognitionem*, quemadmodùm in syllogismo propositio est ordine prior assumptione, et assumptio conclusione.

4.° *Priora dignitate* dicuntur illa, quorum unum excellentia præcedit alterum. Ita Rex est prior dignitate in Regno; Magistratus in Civitate; Prætor in oppido. Generatìm, quæ sunt perfectiora dignitate, imperfectiora præcedunt; quo sensu, species genere prior interdùm dicitur, et forma prior materia, scilicet *dignitate*.

5.° *Priora causalitate* sive *causa* illa dicuntur, quorum unum ab alio pendet, et non é converso; ex. gr. natura rei est causa veritatis in propositione. Et ideò vera rei natura *prior* est *causalitate* vel *causâ*, quàm oratio vera. Nam ex eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa.

Quinque prioritatis modos hoc disticho, memoriæ causa, comprehendit Facciolatus.

Dicitur esse prius, *natura*, *tempore*, *honore*,
*Ordine*, cum *causa* dicitur esse prius.

Quæ dicta sunt de *prioribus*, facilè possunt his quæ *posteriora* sunt accommodari. Siquidèm contrariorum contraria est ratio. Superest dumtaxàt, vulgatum illud de *prioribus* axioma. *Remoto priori removetur posterius*. S. Thom. (1. 2. q. 15. a. 2. ad 2.m) illud intelligit de posteriori, quod ex uno tantum sequitur. *Si enim aliquid*, inquit, *ex pluribus sequi possit, non propter hoc posterius removetur, uno priorum remoto.* Subditque exemplum de *induratione*. Cum enim lateres *indurentur* ab igne, et aqua congelata induretur ex frigore, *non op-*

*portet quòd remotò calore, removeatur* induratio.

§. 3.

*De his quæ sunt simul.*

Multis modis dicuntur aliqua esse *simul.* Sunt simul *loco*, qui unà vivunt; simul *motu*, equi trahentes rhedam; simul *authoritate*, erant olim Romæ duo Consules: simul se esse *consensu* et *voluntate*, profitentur veri amici. Cum hæc ad illustranda *prædicamenta* nihil deserviant, tres solùm modos, qui ad rem faciunt, explicat Aristoteles, statuens aliqua esse simul vel *tempore*, vel *natura*, vel *divisione*.

*Tempore sunt simul*, quorum ortus vel interitus eodem tempore est. Sic *gemelli*, *et qui eòdem instanti moriuntur*, simul sunt vel fuerunt. Hinc intelliges, quòd cum essentia et proprietates sint simul tempore, si quod accidens hoc modo sit posterius essentia, non erit proprium, sed commune.

*Natura ea sunt simul*, quorum unum necesse est esse, si alterum sit, sed neutrum est causa alterius, ut *duplum* et *dimidium*. Nam si *duplum est*, *dimidium quoque est*, *et contra*. Hic modus valet ad cognoscenda relata, quæ sunt simul natura, et cognitione, ut diximus, et tamèn unum quà tale, non est causa alterius.

*Divisione ea sunt simul*, quæ ex æquo, et secluso omni ordine *prioris* et *posterioris*, dividunt aliquod genus, ut *homo* et *bellua*, *quæ animal* dividunt in duas species. Ex hoc modo habes, in omni *prædicamento* differentias oppositas inveniri, in quas omne genus ex æquo dividitur.

Observandum est diligenter, sæpiùs evenire: *Primò:* ut aliqua sint simul tempore, et unum ex eis sit prius altero, vel natura, vel alio ex modis prioritatis. Sic essentia est prior *natura* et *causa* quàm proprietates, cum tamèn hæc duo sint simul tempore. *Secundò*: ut aliquid sit prius altero in uno ex quinque modis prioritatis, et posterius in alio. Sic subditus senex, est *prior tempore* suo Prælato, qui tamèn est *dignitate prior. Tertio*: ut in eodem prioritatis modo, v. g. in prioritate *causæ* vel *causalitatis*, unum sit prius et simul posterius altero, quod contingit, cum sunt sibi invicem causæ. Hoc patet in vulgato exemplo venti flantis in aulam per fenestram, quam ipse aperit. Tunc apertio fenestræ, in genere *causæ* ingressum venti *disponentis*, est prior ipso; attamèn ingressus venti, in genere *causæ efficientis* apertionem fenestræ, est prior illa.

§. 4.

*De modis habendi.*

Ut meliùs cognoscatur germana

ratio Prædicamenti *habitus*, et nè cum aliis denominationibus, á verbo *habere* sumptis, confundatur, octo modos habendi numerat Aristoteles. Primò, haberi dicitur *qualitas*, ut scientia. Secundò, *quantitas*, ut magnitudo bipedalis. Tertiò, ea *quæ circa corpus sunt*, ut gladius. Quartò, ea *quæ in parte corporis sunt*, ut annulus in digito. Quintò, *pars* haberi dicitur, ut pes. Sextò, *id quod in alio continetur*, haberi dicitur ab illo, ut vinum á dolio. Septimò, *res possessa*, ut domus. Octavò, *uxor* haberi dicitur, qui tamen modus est maximè improprius. Si propriè loquendum esset, sola substantia dicenda esset *habere*, reliqua *prædicamenta haberi*.

Atque hæc sunt, quæ de ideis simplicibus, et de rebus per eas repræsentatis Majores nostri tradiderunt, ac, prout tempus postulabat, commentariis plus æquo longioribus illustrarunt. Nos, tametsi necessaria tantùm seligere, eaque brevitèr et perspicuè exponere curaverimus, latiores fortassè fuimus, quàm vulgares studentes optent. Cæterùm pro omnibus scribendum est; pro illis præsertim, qui in arte disserendi, qua tota vita indigebunt, excellere possunt ac volunt.

# LIBER TERTIUS.

## *De judicio veri, et falsi.*

---

### CAPUT I.

### *Intellectûs proprium esse, de veritate et falsitate judicare.*

QUomodo anima nostra ad imaginem Dei facta, res á sensibus perceptas per abstractionem apprehendat, et per analysim dividat, atque pro eô quo pollet acumine, plurima, quæ sensus et imaginationem fugiunt, ubique intueatur, satis pro tyronibus expositum in superioribus arbitramur. Nunc videndum est, qua ratione intellectus, qui sensuum omnium judex est, ex intelligentia simplicium, ad ea vel conjungenda, vel sejungenda procedat; hoc est, quomodo á prima ad secundam operationem, quæ vocatur *judicium*, progrediatur. In hac autem disputatione, plura á nobis, duce D. Thoma, investiganda sunt: 1.º Nomen, natura, origo, et subjectum *judicii*: tum quomodo veritas, aut falsitas ipsum comitentur, et afficiant. Denique, quid nobis agendum sit, ut falsa *judicia* vitemus, et in veris evidentiam inveniamus.

§. 1.

*Explicatur nomen et natura judicii.*

Nomen *judicii*, secundum primam impositionem, significat rectam determinationem *justi* vel *juris* (D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 1. ad 1.m): ampliatum est tamen ad significandam rectam determinationem in quibuscumque rebus, tàm in speculativis quàm in practicis. Porrò, inter ea, quæ ad rectè judicandum requiruntur, præcipuum est, virtus proferens judicium, et ex hac parte (subdit S. Doctor) *judicium est actus rationis; dicere enim vel definire aliquid, rationis est.* Oportet autem, in memoriam revocare discrimen illud in-

ter operationem et opus, quod (lib. 1. cap. 2. §. 7.) explicuimus, et quod expressiùs declarat S. D. (1. 2. q. 90. a. 1. ad 2.m) his verbis: »Sicut in actibus exterio»ribus est considerare operationem »et operatum, puta, ædificationem »et ædificatum; ita in operationi»bus rationis est considerare ipsum »actùm rationis, qui est intellige»re, et ratiocinari, et aliquid per »hujusmodi actum constitutum, »quod quidem in speculativa ra»tione primò quidem est definitio, »secundò enuntiatio, tertiò vero »syllogismus vel argumentatio."

Hac clarissima Ang. Præceptoris doctrina, bina novorum Philosophorum æquivocatio dissipatur. Prima est Malebranchii, qui, ut referunt Lugdunenses, asseruit mentem judicantem nihil agere, sed omninò quiescere in percepta duarum idearum convenientia, aut discrepantia. Nihil liberius dici potuit. Nullum enim opus fit ab agente quiescente ab operatione; atqui propositio mentalis est mentis opus: ergo. Præterea; ¿quis dixerit unquàm, judicem proferentem judicium nihil agere, sed quiescere?

Secunda æquivocatio est ipsorum Lugdunensium, qui statuunt, *judicium esse actum mentis simplicem*, quia, inquiunt, nemo in affirmatione aut negatione potest partes ullas concipere. Distinguant cum D. Thoma operationem á re operata, et rectè sentient. Actio quidem intellectus judicantis simplex est; in hoc enim differt á discursu, quo mens ab una operatione, vel duabus ad aliam transit. Cæterùm, id quod fit ab intellectu judicante, compositum est. Fit enim ab eo propositio mentalis, quæ est composita sicut vocalis. Sed omittamus has nugas.

Observandum est, quod sæpè nomen operis effecti tribui solet actioni, qua tale opus fit; sicut *pictio* vocatur, non solum *imago facta*, sed etiam *actio pictoris* imaginem formantis. Animadversionem hanc præ oculis habere opus est, quoties de judicio mentis sermo occurrat. Hoc enim nomen et operationi et operi, hoc est, *enunciationi* et *enunciato* passim accommodatur. Si ergo á te quæratur operationis definitio, sic respondebis: *Judicium est actio, qua mens apud se statuit, res per duas ideas repræsentatas, extra ipsam idem esse, vel non esse.* Si opus definiendum sit, sic dices: *Judicium est mentis artefactum; quo aliquid de aliquo sibi enuntiat, ajendo aut negando.*

§. 2.

*Cavendam esse opinionem, quæ judicium esse actum voluntatis potiùs quàm intellectus, pronuntiat.*

Exotica hæc opinio, quam ex-

pugnare aggredimur, paradoxum Cartesii fuit. Eam amplectuntur Lugdunenses (Log. Diss. II. cap. I. art. 2.), atque ut eam comprobent, significationem quorundam vocabulorum evertunt, eaque definiunt, non ab eo quod intendunt communiter loquentes, sed ab eo quod ad suum finem condúcit. (Recolite quæ diximus lib. I. cap. VI. §. 3. de novo terminorum abusu.) Hæc nomina *assensus*, *affirmatio*, *approbatio* apud illos idem significant. Similiter *assentiri* et *velle*, idem esse supponunt. Consequenter ajunt, quod istæ voces *dissensus*, *negatio*, *improbatio* idem exprimunt, atque inde inferunt, quòd *dissentire et nolle* idem sunt. Neque hic inusitatarum significationum finis. Ultra progrediuntur, et hæc duo, *cognoscere verum*, et *assentiri vero* toto cælo inter se distare, constanter supponunt. *Supponunt* inquàm, nulla enim rátione, nec grammatica quidem, confictas hujusmodi significationes probant.

Perturbatæ huic vocum idearumque confusioni, occasionem præbuere nomina *consensus* et *assensus*, quæ, quamvis res longè diversas propriè significent, interdùm tamen pro eodem sumuntur. De significatione hujus vocis *consensus*, altum apud Lugdunenses silentium. Quare? Nè scilicet á discipulis vel lectoribus *consensus* et *assensus* inter se compararentur; sicque fieret, ut non intellecta proprii significati diversitate, quæ ad consensum pertinent, assensui tribuerentur. Cumque *consensus* propriè, frequentiùs, et communiùs *actum voluntatis* significet, mirum non esset, nec paradoxum videretur, assensum sive judicium esse actum voluntatis. Tolle hanc æquivocationem á Lugdunensibus, et ruunt omnes aliæ.

Jam pridèm illam sustulerat Div. Thomas (1. 2. q. 15. a. 1.), ubi statuit, quòd consentíre est *actus appetitivæ virtutis*, additque in resp. ad 3.$^{m}$, quòd ex vocum ethimologia, *assensus* importat veluti distantiam quamdam á re cui assentítur; *consensus* verò conjunctionem ad id cui consentítur. Indeque infert, quod voluntas magis propriè dicitur *consentire*, intellectus autem magis propriè dicitur *assentire*, quia scilicet res ad intellectum feruntur (absit proverbio invidia), voluntas verò ad res fertur, ut cum ipsis veluti conjungatur. Fatetur deinceps S. Doctor, quod interdùm utraque vox promiscuè usurpatur, *quamvis*, inquit, *unum pro alio poni soleat.*

Nihil præter vocabulorum abusum adducunt Lugdunenses, ut in judicio veri et falsi primas voluntati tribuant; intellectum verò, qui cæcam illam manudúcit, in pedissequum convertant. Nihil apud illos videmus, quod objectionis nomen mereatur. Audite hæc duo: *actus*

*intellectuales non alii sunt, quàm perceptio et cognitio; porrò utramque supponit judicium:* Ergo *judicium ad intellectum non pertinet.* 2.^m^ *Voluntas tamquàm proprium sibi vindicat quidquid voluntarium est, ac liberum;* atqui *judicium semper voluntarium est, et quandoquè liberum*: ergo *voluntati adscribendum est.*

Quod ad primum attinet, nostis ex dictis, *judicium* supponere *apprehensionem* simplicium, et præcedere ratiocinationem. Cur duabus operationibus spoliant intellectum Lugdunenses? Hoc eorum argumentum retulisse, refutasse sit.

In secundo latet forsitàn virus, de quo postea: Responsio autem in promptu est, et facillima. Notandum tamèn ante illam, absurdum esse, inauditum, et intolerabile dicere, (quod non verentur Lugdunenses) affirmationem veri, et negationem falsi esse actus voluntatis. Notandum etiam, quod *judicium liberum* est quidpiam complexum, *libertatem*, et *affirmationem* aut *negationem* continens. His suppositis, dicimus, quòd libertas voluntatis est, et intellectus; affirmatio autem et negatio solius intellectus. Unde D. Thomas citatam responsionem ad 3.^m^ sic concludit. *Potest etiam dici, quòd intellectus assentit, in quantùm á voluntate movetur.*

Voluntas ergo et intellectus ad judicium liberum concurrunt, hoc pacto: Intellectus movet voluntatem quoàd *specificationem*, et voluntas movet intellectum quoàd *exercitium.* Formularum hujusmodi iste est sensus: Movere *quoad specificationem*, est determinare indiferentiam potentiæ ad actum certæ speciei, puta, voluntatem ad amorem, vel odium. Movere *quoàd exercitium*, est applicare ad agendum, hìc et nunc, potentiam indiferentem ad agere, vel non agere. Distinctionem hanc radicitùs explicat D. Thomas 1. 2. q. 9. a. 1., ubi in responsione ad 3.^m^ sic loquitur. *Voluntas movet intellectum quantùm ad exercitium actus..... Sed quantùm ad determinationem, quæ est ex parte objecti* (ab objecto specificantur actus et potentiæ), *intellectus movet voluntatem..... et sic patet, quòd non est idem movens et motum secundum idem.*

Hanc doctrinam ad propositum transferentes, firmiter tenendum est, quòd cum veritas alicujus propositionis est evidens, mens sive anima nostra in eam fertur *necessariò quoàd specificationem;* sed *liberè quoàd exercitium;* hoc est, non potest assentiri propositioni contradictoriæ, vel contrariæ, potest tamèn non cogitare de illa, quæ est evidens. Sic ergo voluntas (Sunt verba Div. Thomæ 1. 2. q. 10. a. 2.), *quantùm ad exercitium actus, á nullo objecto ex necessitate movetur. Potest enim aliquis de quocumque ob-*

*jecto non cogitare, et per consequens neque actu velle illud.*

Hæc, si Logicus pro suo captu perpendat, facilè intelliget, omne judicium veri, quamtumvìs certum et evidens, non *quandòque* tantum, sed *semper* esse nobis verè liberum, quoàd exercitium actus. Hoc est, posse voluntatem omni tempore movere intellectum, ad non cogitandum de objecto illius judicii. Quæcumque ergo ponatur *propensio animi*, ad verum judicandum impellens, quæcumque fingatur delectatio, judicium veri et evidentis consequens vel concomitans, illud tamèn judicium, necessarium *quoàd specificationem* censeri et dici poterit, necessarium *quoàd exercitium* nullo modo poterit. Ratio autem est hæc; Omne judicium veri, potest esse meritorium vel demeritorium; atqui nullus noster actus est meritorius vel demeritorius, nisi sit liber quoàd exercitium: ergo: Minor certa est, quia alioquìn libertas á coactione sufficeret ad meritum vel demeritum, quæ est tertia propositionum Jansenii ab Innocentio x. damnata, et prædamnata á Div. Thoma q. 6. de malo art. unico.

Non dicimus, quòd Lugdunenses hanc propositionem teneant, vel tueantur: Neminem judicamus: Neminem virgula notamus censoria. Nostrum dumtaxàt est, incautos adolescentes serpentis contagii admonere, quotiescumque voces aut propositiones occurrunt, quibus, tamquam muscipulis, possent improvisò capi.

## §. 3.

### *In quo repellitur injusta Condilliaci adversus sapientes criminatio.*

Judicium esse actum intellectus potìus quàm voluntatis, adeò notum est, et constans apud sensatos omnes, ut mirum videri possit, nos in ea re discipulos aut lectores detinuisse; sed tempora hæc nostra ita exigunt. Ecce enim Condilliacus (de Cognit. hum. Sect. v., quæ est de abstractionibus), verba Lockii sua faciens, in eos invehitur, qui diversas in anima nostra facultates nobiscum agnoscunt, quibus affingit, quòd eas reputamus ut totidem agentia, *per se existentia et operantia*. Splendidissimum mendacium! quod tamèn ab eorum ore numquam excidit, qui distinctionem accidentium á substantia irridere consueverunt.

Ea adornata calumnia, quæstiones omnes, quæ circa facultates animæ nostræ versantur, tamquàm inanes et obscuras, in malam crucem amandandas clamat; atque inter eas, hanc quam mox expendimus collocat; *pertineat nè judicium ad intellectum, àn ad voluntatem?* Hæc quidem per se necessaria non erat, nàm de rebus evidentibus non est quærendum, nisi fortè caligine et

erroribus ab aliquibus obvolvantur. Cæterùm plures aliæ sunt oppidò necessariæ.

Demùm, Condilliacus belli sui in abstractiones tenax, concludit §. 11., abstractiones istas, quibus nos varias animæ nostræ facultates speculamur, et dignoscimus, infinitis obscuritatibus involvisse quidquid de libertate scriptum est: addens eam sustineri nulla ratione posse, nisi ab abstractionibus (á præcipuo scilicet immaterialitatis animæ humanæ argumento) prorsùs abstineamus.

*Cui similem æstimabimus* Condilliacum? *Similis est*, Matthæi 11. v. 16., *pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt, cecinimus vobis et non saltastis, lamentabimus et non planxistis.* Philosophus iste, veteres omnes tamquàm ignaros et cæcos contemnit, quòd non fuerint analytici; et analysim facultatum, virtutum, habituum, passionum, et actuum animæ rationalis, quam, post veteres SS. Patres, D. Thomas diligentissimè persequitur, atque ad summum fastigium evehit in prima Parte, et in tota Secunda bipartita, non modò spernit, verùm etiam á republica litteraria exulare jubet. Cur ita faciat, aliorum esto judicium.

Id certum: dogma libertatis humanæ, quod utique fide et ratione constat, per analysim á D. Thoma expositam, facilè et luculentèr explicari, ut suo loco demonstrabimus. Quòd ad Condilliacum attinet, contemnendi sunt callidi ejus scrupuli, vel potius calumniæ, sicut ipse abstractiones contemnit. Satis contra illum disputavimus lib. I. cap. II., et cap. XII. §. 2., quibus locis, de analysi facultatum animæ ab eo conficta nonnulla retulimus, quæ certè libertatem nostram, nedùm obscuritatibus involvunt, verùm etiam funditùs, nostra quidem sententia, evertunt. Sed nimium extra viam morati sumus. Ad scopum hujus tertii libri redeamus.



## CAPUT II.

### *De veritate.*

Secunda operatio intellectus, quæ est judicium, ut satis ostensum est, ad tertiam ordinatur; quatenùs *ex aliquo vero cognito* (D. Thom. 1. Periherm. lect. 1.), *cui intellectus assentit, proceditur ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis.* Verum ergo, ad quod cognoscendum intellectus est nobis datus, propriè ad ejus judicium pertinet. Ideo propositionem, quæ secundæ operationis est opus, in primo Libro divisimus in veram et

falsam. Sed ibi voces, hîc res ipsæ expectandæ sunt. D. Thomas prima sua Parte, duas in hanc rem versat quæstiones, quarum alteram de *veritate* inscribit, de *falsitate* alteram. Pauca ex his desumémus, quæ Logico necessaria sunt. Itaque

Dico 1.º Recta censenda est vetustissima illa definitio, quæ refertur art. 1., *Veritas est adæquatio rei et intellectus.* = Prob. Ordo conformitatis ad intellectum, pertinet ad essentiam *veri*, quod est ejus objectum; sed hic ordo in data definitione satis exprimitur: ergo: Major patet exemplo *boni*, cujus ordo convenientiæ ad appetitum est ipsi essentialis.

Observandum tamen, quod res intellecta ad intellectum aliquem potest habere ordinem, vel *per se*, vel *per accidens*. Per se quidem habet ordinem ad intellectum, á quo dependet secundum suum esse; per accidens autem ad intellectum, á quo solùm est cognoscibilis. Sicut si dicamus, quòd domus comparatur ad intellectum artificis *per se;* per accidens autem ad intellectum aliorum. Hoc prænotato

Dico 2.º Res naturales dicuntur esse veræ, secundum quòd assequuntur similitudinem specierum sive idearum, quæ sunt in mente divina. Ex. gr. dicitur lapis verus, quia assequitur propriam lapidis naturam, secundum præconceptionem intellectus divini. = Prob. Unaquæque res dicitur vera absolutè, secundum ordinem ad intellectum á quo dependet (ad hunc enim ordinatur *per se*, et non *per accidens*); sed res omnes naturales dependent ab intellectu divino, qui est causa omnium: ergo: Prob. 2.º Ea quæ fiunt á nobis, dicuntur vera per ordinem ad intellectum nostrum, quia ab ipso dependent; sic dicitur *Domus vera*, quæ assequitur similitudinem formæ, quæ est in mente artificis, et dicitur *oratio vera*, in quantùm est signum intellectus veri: ergo potiori jure res naturales &c.

Hinc infertur, quòd duplex est veritas, nempe *veritas rei*, et *veritas cognitionis*. Veritas rei est *conformitas, sèu adæquatio rei cum intellectu divino*. Hæc *objectiva* dicitur, quòd sit in objecto intellectus. Item *transcendens*, quòd in ente, atque omni ejus differentia includatur; quam ob causam art. 3. statuit S. Doctor, quòd verum et ens convertuntur, hoc est, quòd omne ens comparatum ad intellectum est verum.

Veritas *cognitionis* sive *formalis* sic definítur, *conformitas sèu adæquatio intellectus cognoscentis cum re cognita;* quæ quidem si sermone exprimatur, veritas sermonis appellari potest. (D. Thomas, q. 17. a. 4. ad primum) *Id quod est in rebus est* veritas rei, *sed id quod est ut apprehensum*, *est* veritas in-

tellectus, *in quo primò est veritas.*

Dico 3.º Veritas intellectus nostri, sive nostræ *cognitionis*, mensuratur á veritate rerum naturalium, et est mensura veritatis artificialium. Ita docet D. Thomas (q. 1. de verit. a. 2.). Prob. Unumquodque mensuratur á sua causa; sed veritas intellectus nostri dependet á rebus naturalibus tanquàm á causa; contra autem, veritas rerum artificialium dependet ab intellectu nostro, ut patet ex dictis: ergo:

Animadvertere hìc oportet, quòd in intellectu nostro reperítur duplex illa veritas, quam distinximus, scilicet veritas *rei*, et veritas *cognitionis*. Prima est in eo, cum consideratur conformitas ejus ad ideam, secundum quam á Deo creatus est. Hæc veritas ipsi cum cæteris rebus naturalibus est communis. Ut ergo veritas speciali modo, et non communiter, ut rei cuicumque, intellectui nostro tribuatur, ipsum considerare debemus secundum ea, quæ sunt propria ipsius, scilicet, quatenùs est cognoscens veritatem. Veritas ergo, ut *cognita* est propria intellectus, et ea est, quam vocavimus veritatem cognitionis. Hæc á D. Thoma accipimus, qui art. 2. satis indicat, nomen *veri* propriè significare *verum ut cognitum. Perfectio intellectus*, inquit, est *verum ut cognitum.* Hæc monuimus ut sequentia intelligantur.

Dico 4.º Veritas potest esse in sensu, ut in quadam re vera, non autem ut cognitum in cognoscente. = Prima pars obvia est ex dictis. Secunda sic probatur. Veritas est conformitas rei, et potentiæ cognoscentis; sed hanc conformitatem sensus nullo modo cognoscit: ergo. Minorem sic declarat D. Thomas: *Licet visus habeat similitudinem visibilis, non tamèn cognoscit comparationem, quæ est inter rem visam, et id quod ipse apprehendit de ea.*

Dico 5.º Veritas potest esse in intellectu simpliciter percipiente, ut in quadam re vera, non tamèn ut cognitum in cognoscente. = Prima pars probatione non eget: Ratio secundæ partis est hæc; cognoscere verum, et dicere verum in mente nostra, vel idem sunt, vel sunt simul; sed in apprehensione simplicium, proùt distinguitur á judicio, mens verum sibi non dicit, non enim affirmat, aut negat, aliàs judicaret: ergo in ea operatione veritas non cognoscitur.

Dices: Intellectus quidditatem rei simplici intuitu cognoscens, illi fit conformis: ergo est verus formaliter, hoc est, veritate cognitionis. Prob. conseqâ. Nam hæc veritas, ut ex definitione liquet, est conformitas seu adæquatio intellectus cum re cognita. = R. Transeat añs. et N. conseq. ad ejus probationem Dist. Est adæquatio intellectus cum re *cognita, præcisè ut res est*, N. cum

re *cognita ut vera est.* C. Hæc distinctio nititur doctrina responsionis ad 3.$^{m}$, quæ est hæc. Licet veritas intellectus nostri causetur á re, non propterea in re per prius invenítur ratio veritatis: sicut neque in medicina per prius invenítur ratio sanitatis, quamvis sit sanitatis causa. Virtus enim medicinæ, non sanitas ejus, causat sanitatem animalis. *Et similiter esse rei, non veritas ejus, causat veritatem intellectus.* Cum ergo veritas intellectus primò sit in enunciatione; hinc fit, quòd cum simplicia apprehendit, nondum ea cognoscit ut *vera*, sed tantum ut *entia.* Fatemur igitur, quòd inter rem et simplicem ejus ideam est vera relatio conformitatis, sive similitudinis, sicut modus in re cujus est modus, non tamèn sicut cognitum in cognoscente, quia hanc relationem intellectus non cognoscit, antequàm judicet, rem ita se habere, sicut in idea repræsentatur.

Dico 6.° Quando intellectus judicat rem ita se habere, sicut est forma, seu idea quam de re apprehendit, tùnc primò cognoscit et dicit verum, et hoc facit componendo, et dividendo, sive affirmando et negando. = Prob. 1.° Per conformitatem intellectus et rei veritas definítur: ergo conformitatem istam cognoscere, est cognoscere veritatem; atqui intellectus prædictam conformitatem primò cognoscit, cum aliquam formam seu ideam significatam per prædicatum, vel applicat rei significatæ per subjectum, vel removet ab ea: ergo. = Prob. 2.° Propositio mentalis, sive judicium intellectus significatur, et interpretatur per propositionem vocalem; sed in propositione vocali est veritas (sicut et falsitas), tanquàm in signo: ergo in mentali sive in judicio intellectus est veritas, tamquàm in propria sede. Hæc de veritate dicta sufficiant.



# CAPUT III.

## *De falsitate.*

Falsum denominatur aliquid (Q. 17. a. 4.) *ex eo quod dicitur, vel videtur esse quod non est, vel non esse quod est.* Verum igitur et falsum opponuntur. Cum autem opposita sint circa idem (art. 1.); necesse est, ut ibi prius quæratur falsitas, ubi primò veritas invenítur, hoc est in intellectu, unde in rebus, neque veritas neque falsitas est, nisi per ordinem ad intellectum. Ex hoc probè statuto principio, quatuor colligit S. Thomas scitu dignissima.

*Primum:* res artificiales dicuntur falsæ simpliciter et secundùm se, in quantùm deficiunt á forma artis. Sic dicuntur aliqui artifices *opera falsa* facere. = Prob. Unumquodque sim-

pliciter denominatur secundùm id, quod competit ei per se; sed ordo ad intellectum artificis, á quo artefacta dependent, per se ipsis convenit: ergo si ab eo deficiant, possunt dici simpliciter *falsa*.

*Secundum*: In rebus naturalibus á Deo dependentibus falsitas per se et simpliciter inveniri non potest. = Prob. Ordo ad intellectum divinum per se rebus naturalibus convenit; sed nihil in ipsis accidit, quod non procedat ex ordinatione divini intellectus: ergo.

*Tertium*: Tantùm in agentibus liberis potest fortè dici aliquid falsum, per ordinem ad intellectum divinum. = Prob. In hominis v. g. potestate, est subducere se ab ordinatione intellectus divini, sive á lege æterna, quæ nostrarum omnium actionum debet esse regula, á quâ proindè, cum aliquid agentes obliquamur (1. 2. q. 21.), in peccata et culpas incidimus; imò in *falsitates* et *mendacia*, juxta phrasim sacræ scripturæ, in qua virtuosi actus é contrariò dicuntur *veritates vitæ*.

*Quartum*: Res naturales ad intellectum nostrum comparatæ, possunt dici falsæ non simpliciter, sed secundùm quid, et hoc dupliciter. Uno modo, si falso aliquo signo significentur; qua ratione *tragædus est falsus Hector*; alio modo, si sint causæ opinionis falsæ, sicut dicimus, quòd *stagnum est falsum argentum*. = Prob. res naturales non dependent ab intellectu nostro, ideoque non ordinantur ad ipsum, nisi per accidens. Ab ejus ergo falsitate non possunt denominari falsæ simpliciter, sed tantum secùndûm quid.

Hactenùs dicta satis indicant, falsitatem, veritatis instar, dividi in falsitatem rei, et falsitatem cognitionis. De ista agendum superest, nàm de illa satis superque dictum est.

## CAPUT IV.

### *In quo quæritur, utrum in sensu sit falsitas?*

Videat. ad Conf. D. Thom. Bannessius in 1. p. D. Thom. q. 78. a. 3. Dub. 4. Rosselli, Goudin, Lugdunenses Pneumatol. Part. 2. Dissert. 2. cap. v. §. 2. sect. 1. Genuens. art. Log. Lib. 1. cap. v. §. 13. seq.

*Quidam posuerunt*, ait D. Thomas (1. p. q. 85. a. 2.), *quòd vires, quæ sunt in nobis cognoscitivæ, nihil cognoscunt nisi proprias passiones; quòd sensus non sentit nisi passiones sui organi*. In eumdem lapidem supinè impingunt hodiè (velint nolint), qui systema causarum occasionalium, etiam inter Catholicos, propugnare non verentur.

Hujusmodi sunt Lugdunenses, qui post suum Malebranchium hanc conclusionem propugnant: *Corporibus, quæ sunt sensationum nostrarum occasiones, nihil inest sensationibus simile.* Immane hoc commentum verborum ambagibus solùm probant, tamquàm sibi res esset cum stipitibus et fungis. Contra eorum systema agendum erit in *tractatu de anima.* Nunc eorum ineptiis posthabitis, despicatu potiùs atque derisu, quàm seria confutatione dignis, quæ ad veritatem aut falsitatem sensuum spectant, tantùm persequimur.

Relatam á D. Thoma opinionem reprehendit S. Doctor, *quia* ex ea *sequeretur error antiquorum dicentium, omne quod videtur esse verum.* Hæc est Epicureorum sententia; arbitratus est enim Epicurus, teste Laertio, sensibus semper inesse veritatem. Cartesius autem, quamvis adserat sensus interdùm falli, ex hoc ipso infert, nullam unquàm illis fidem adhibendam esse. Imprudens hoc consilium exequi posse neminem, probavimus lib. I. cap. XV., ubi ostensum est, ea quæ sensibus rectè dispositis clarè percipiuntur, esse intellectui evidentia.

Epicureis è regione opponuntur Sceptici, qui de omnibus dubitare se fingunt; etiam de his, quæ rectè vident. Testimonium quoque sensuum renuere necesse est, si sibi constare velint, eos omnes qui simulant, sibi persuassum esse, species sive ideas, quæ sunt in sensibus, non esse nisi vana quædam spectra, quibus nihil simile correspondeat in rebus.

Quantùm intersit Logico de sensibus rectè sentire, nullo negotio intelliget, qui secum reputet, *quòd cognitio sensitiva* (ut est apud D. Thomam 2. 2. q. 167. a. 2.) *ordinatur ad duo:* 1.º *tàm in hominibus quàm in aliis animalibus ordinatur ad corporis sustentationem.* 2.º *Specialitèr in homine ordinatur ad cognitionem intellectivam, vel speculativam, vel practicam.* Pensandum est etiam quod subinde infert, scilicet, quòd *intendere ordinatè cognitioni sensibilium, propter studium intelligendæ veritatis, est virtuosa studiositas, circa sensibilem cognitionem.* Hæc, ó Philosophi Catholici, numquàm obliviscamini.

Antequàm autem hujusmodi cognitionis examen pugilicè instituatur, in memoriam revocanda, vel saltèm relegenda sunt, quæ diximus (Lib. I. cap. II.) de sensibus externis et internis, ac de eorum objectis. Animadvertendum etiam, hìc non quæri àn decipiamur, cum judicamus nos sentire aliquid, etenim nec deliri, aut somniantes nos fallunt, cum dicunt, se ea quæ non sunt sentire. Est ergo quæstio (ex D. Thoma q. 17. a. 2. ad 1.$^{m}$), àn fal-

lamur per sensus circa rem quam sentiunt, non circa ipsum sentire. His præmonitis sit

### Propositio I. Div. Thomæ.

*Circa propria sensibilia sensus non habet falsam cognitionem, nisi per accidens, et in paucioribus.*

Prob. Prima pars experientia. Sensus dicitur falsus, quando apprehendit rem aliter quàm sit in se (tunc enim est causa vel occasio falsi judicii intellectus;); sed numquàm oculus v. gr. apprehendit colorem, nisi sit verus color, nec auditus sonum, nisi sit verus sonus, et similiter de odore, sapore, et qualitatibus, quæ tactum afficiunt: ergo. Si quis minorem neget, insensatus á Peripateticis habetur, cum quo proindè non expedìt disputare. Vide Facciol. Acroas, *de quo quærendum* §. 2.

Prob. idem ratione. Unicuique ex sensibus naturaliter competit, ferri in proprium et per se objectum (cujus signum est, quòd semper eodem modo ad ipsum feruntur); sed quod est á natura, Authori naturæ tribuitur: ergo á Deo in errores induceremur, si nostri sensus, sensibilia per se et propria cognoscentes, fallerentur: tunc enim eorum falsitas falsitatem cognitionis intellectivæ, ad quam sensus hominis ordinantur, secum traheret.

Explicatur et simul prob. 2. Pars. Sensus, sicut accipit formam, sive speciem sensibilem ab objecto externo impressam, ita rationi repræsentat. Si nihil accideret, quod formam illam impedire, obscurare, aut obliterare posset, objecta externa semper depingerentur in visu, v. gr. qualia sunt in seipsis. Accidunt autem, quamvis in paucioribus, indispositiones aliquæ vel *in organo*, vel *in objecto*, vel *in medio*, quibus vera rerum in sensu impressio, atque apparentia vitiatur. Idem videmus in aliis passivis. Nullum est, cui propter indispositionem aliquam non accidat, interdùm recipere deficienter sui agentis impressionem.

Dicimus ergo, sensus nostros interdùm falli per accidens: primò, propter indispositionem *organi*. Sic propter corruptionem linguæ, dulcia videntur infirmis amara. Secundò, propter indispositionem *objecti*, qua ratione, ob nimiam diaphani profunditatem, mare, æther, et aer remotissimis circumfusus montibus, cæruleo colore prædita apparent. Tertiò, propter indispositionem *medii*, sic baculus aquæ ex parte immersus, videtur fractus. Tria hæc quis negare poterit? Secunda igitur propositionis pars ulteriore probatione non eget.

PROPOSITIO II. DIV. THOMÆ.

*De sensibilibus communibus et per accidens potest esse falsum judicium, etiam in sensu rectè disposito.*

Prob. De sensibilibus, ad quæ sensus rectè et directè non fertur, potest esse falsum judicium, etiam in sensu rectè disposito; atqui sensus rectè et directè non fertur ad duo ista sensibilia, sed solum fortuitò, vel ex consequenti: ergo. = Major negari non potest, quia illud ad quod sensus rectè et directè fertur, scilicet sensibile proprium, clarè et distinctè in ipso imprimitur, atque attentionem ejus magis rapit. Quod verò fortuitò, vel secundariò sensum movet, in eo obscurè et confusè depingitur, solùm enim repræsentatur, ut contentum et involutum in alio. Res exemplo patebit. Cum videmus equum ex. gr. in oculo, non imprimitur nisi similitudo coloris ejus: non quidem in abstracto, sed in concreto, hoc est, similitudo hujus colorati, quod est equus. Forma igitur sensibilis totum individuum repræsentat sensibus. Sed visui v. g. color equi, clarè et distinctè repræsentatur, cætera quæ sunt in equo, confusè et obscurè, de quibus proinde potest esse falsum judicium.

Alteram præmissam sic declarat D. Thomas. Similitudo sensibilium *communium* est in sensu *per se*, sed non *primò*. Hoc modo est in visu similitudo figuræ, vel magnitudinis, et aliorum *communium* sensibilium. Similitudo autem sensibilium *per accidens*, nec *primò*, nec *per se* est in sensu, sed tantùm per *accidens*, sicut in visu est similitudo hominis (et similiter omnis substantiæ), non in quantùm est homo, sed in quantùm huic colorato accidit esse hominem.

PROPOSITIO III. DIV. THOMÆ IN RESP. AD III.

*Falsitas non est in sensu, sicut in agnoscente verum aut falsum.*

Prob. Verum et falsum, ut constat ex dictis, non cognoscuntur nisi componendo et dividendo; hoc est, affirmando et negando; sed affirmare et negare non pertinent ad sensum; ergo.

¿Cur ergo, inquies, statuit Div. Thomas in hoc articulo, *falsitatem esse in sensu, ex hoc quod apprehendit, vel judicat res aliter quàm sint?* Cur nos ipsi, verba ejus excribentes, *sensus judicium toties memoravimus?* = Ad hoc respondetur 1.° quòd cum dicitur *sensum judicare*, vel nominatur *judicium sensus*, est *loquutio causalis*. Formulam hanc sic intelliges. Sensus

causant aliquomodò judicium intellectus. Mens enim sive anima nostra utitur apprehensione sensuum, etiam externorum, ad perfectè judicandum de re aliqua, cujus signum est, quòd perfectum judicium intellectus impedítur per ligamentum sensus (D. Thom. 1. p. q. 84. a. 8.). Cum ergo causa denominari soleat ab effectu, ut medicina á sanitate animalis, mirum videri non debet, quòd sensus denominetur *judicans á judicio* intellectus.

Respondetur 2.º Quod judicium aliquod est in sensu, non solum denominativè, sed etiam verè et realiter; quamvis *judicare*, vel *judicium proferre*, non nisi æquivocè convenire possit intellectui, et sensui. Audiatur S. Thomas, cujus doctrina (1. p. q. 78. a. 4. ad. 2.) hujus loci est maximè propria. »Sensus proprius judicat de sensibili proprio, »discernendo ipsum ab aliis, quæ »cadunt sub eodem sensu, sicut dis»cernendo album á nigro, vel á vi»ridi. Sed discernere album á dulci, »non potest neque visus, neque »gustus; quia opportet, quòd qui »inter aliqua discernit, utrumque »cognoscat. Unde opportet, ad sen»sum communem pertinere discre»tionis judicium, ad quem referan»tur, sicut ad communem termi»num, omnes apprehensiones sen»suum, á quo etiam percipiantur »actiones sensuum; sicut cum ali»quis videt se videre, hoc enim non »potest fieri per sensum proprium, »qui non cognoscit nisi formam »sensibilis, á quo immutatur; in qua »immutatione perficitur visio, et ex »qua immutatione sequitur alia im»mutatio in sensu communi, qui »visionem percipit." Hactenùs S. Th. Est autem magna differentia inter judicium nostri intellectus, et sensus communis, quo bruta etiam pollent. Nam noster intellectus primò accipit subjectum, deinde prædicatum, mox ea inter se comparat, et sejungit, aut unit; at bruta instinctu quodam naturali (hunc alibi explicabimus), unico actu sua judicia de re tantùm singulari formant. Verùm hæc ad tractatum *de anima* pertinent.

*Solvuntur Objectiones.*

Dices 1.º Id, quod probatur sapientibus, hisque maximè notis et illustribus, est maximè probabile (ut libro v, statuetur); sed novi Philosophi plerique omnes, etiam scientiæ fama celebratissimi, qualitates sensibiles, quas nos vocamus *sensibilia propria*, in rerum natura esse constanter negant: ergo vel falsitas semper est in sensibus, vel aliunde eorum sinceritas petenda est. = R. D. Maj. Est maximè probabile, si sententia contraria non sit evidens; *transeat* major. Si sit evidens; *N.* maj. et dist. similiter min. N. cons. = Posset etiam fortè distingui sola

*minor* hoc modo: Novi Philosophi qualitates sensibiles, v. gr. *colorem non inhærere corporibus*, *negant ore* C. *min.* negant *corde*: omito.

Itaque auctoritas eorum, qui vulgò sapientes habentur, contra evidentem veritatem nullius est ponderis. Porrò, demonstratum est á nobis, fieri non posse, ut *dubium methodicum* Cartesii locum habeat in his, quæ intellectus noster ex testimonio sensuum evidenter conspicit. Similiter, realem accidentium á substantia distinctionem, rei demonstratæ loco habemus. Nemo igitur miretur, nos de Philosophis istis, negantibus colorem, odorem, saporem et similia extra animam existere, idem suspicari, quod Veteres de Zenone negante motum esse in natura. Num ex animo ita sentiret? adhuc sub judice lis est. Notum est, novam Philosophiam ex instituto esse reformatricem veteris: et experientia compertum est, Reformatores interdùm, veterum contemptu potiùs, quàm veritatis amore duci.

Obj. 2.º Ut coloris et odoris, ita doloris sensus in nobis excitatur; atqui extra animam non est dolor: ergo neque color nec odor. = R. 1.º Dolorem non esse sensibile proprium aut commune. Intelligant nostra, qui nos arguunt. *Qui enim priùs respondet quam audiat* (Prov. 18. v.13.), *stultum se esse demonstrat*, *et confusione dignum.* = R. 2.º Hoc argumento, sensuum judicia confirmari; nam dolorem non in rebus esse, sed id nobis á rebus excitari, clarè percipimus. Contra, colorem et odorem, præter passiones oculi et narium, quas causant, dotes esse corporum, quæ hos sensus movent, indubitantèr cognoscimus.

Objicere 3.º libet *inenodabile* Lugdunensium argumentum. *Caloris sensus placet aùt displicet*; *atqui nihil in igne esse potest*, *quod simile sit sensui grato vel ingrato. ¿Quis enim dixerit ignem delectationem, aut dolorem posse experiri?* Aufer ab hoc puerili discursu ambiguitatem, quæ est in voce *similitudinis*, et tota evanescit arguentium industria. Respondetur itaque, ideam caloris in tactu, esse verè similem calori ignis, attenta non *convenientia naturæ*, sed *convenientia objecti* (D. Thomas. 1. p. q. 85. a. 8. ad 3.). Explicatur distinctio. Calor ignis, et idea caloris quæ formatur in tactu, idem repræsentat intellectui nostro. Sunt ergo verè similia in repræsentando, et conveniunt in ratione objecti. *Similitudo* enim, ut docet D. Thomas (1, p. q. 93. a. 9.), *quædam unitas est.* Quacumque igitur ratione aliqua sint unum, similia dicenda sunt. Lege D. Thomam (1. p. q. 4. a. 3.), et intelliges multiplicem esse similitudinem. Interim non te pigeat, conferre aliud Lugdunensium argumentum de manu dextrâ et sinistrâ, in aquam tepidam immersis, cum contradicto-

riis illis, quas D. Thomas, loco ab initio hujus quæstionis citato, probat fore simul veras, si sensus nostri nihil nisi proprias passiones cognoscerent. Jucunda tibi erit hæc collatio, ea enim deprehendes, quanta sit horum Philosophorum perspicacia, et quale ingenium.

Objicies ultimò: Quæcumque falsitas ponatur in sensibus, in errorem nos inducat necesse est, numquàm ergo falsitas est in illis. Prob. añs. Mens non potest corrigere errores sensuum; ergo. P. añs. Si mens id posset, aut illud præstaret per seipsam, aut ope alterius sensus; non per seipsam, quia nihil nisi per sensus intelligit; non ope alterius sensus, quia etiam ille posset fallere: ergo. R. Errores sensuum corrigi ab intellectu, quia licet pendeat á sensibus quoàd acceptationem idearum, non tamèn ab illis pendet quoàd lumen, quo discernit verum á falso; quo lumine donatus est á Deo, ut sit sensuum omnium judex. Id fusiùs et clariùs explicabitur, cum de primis principiis.

# CAPUT V.

## *Ubi exponitur, quâ ratione falsitas possit esse in intellectu.*

Prænotare opportet, tres operationes intellectus, quas sæpè distinximus, esse nobis necessarias, quia plenam et perfectam rerum cognitionem non statim á principio accipimus, sicut Angeli. In rebus enim materialibus et sensibilibus, quas Deus nobis speculandas proposuit, inveniuntur essentia, proprietates, et plura, quæ inde consequuntur. Fieri autem nulla ratione potest, ut hæc omnia unico intuitu capiantur. Primò igitur *apprehendimus* intellectu essentiam rei; deinde *judicamus* de proprietatibus; postremò *colligimus* habitudines, quæ essentiam et proprietates circumstant. (Videatur D. Thomas 1. p. q. 85. a. 5.)

Objectum connaturale intellectus nostri esse quidditatem, sive *quodquid est* rerum materialium et sensibilium, in Libro *de anima* demonstrandum est.... *Quidditas*, et *quodquid est!*.... Cui bono hæc vocum barbaries? Maximo. Quantumcumque enim barbaræ sint nostræ formulæ; cavendo tamèn vocabulorum

abusui, latè nunc dominanti, in primis deserviunt, concissionem etiam fovent, memoriam adjuvant, et quamvis grammaticam fortassè lædant, scientias non lædunt. Ideò ajebat D. Thomas, *non esse curandum de nominibus*. Ad rem ergo.

*Quidditas*, et *quodquid est*, idem valent, nisi quod *quidditas* est nomen abstractum, significans essentiam sine subjecto, et *quodquid est*, sive *illud quod est aliquid*, significat rem cum essentiâ. Nos utrâque voce indiscriminatim utimur, sperantes á Lectoribus, ut æqui bonique consulant, non enim id facimus ad sectandam obscuritatem, sed quia id sæpè exigit contextus orationis. Hæc animadvertenda duximus, ut faciliùs intelligeretur, quâ ratione falsitas possit intellectui accidere. Duobus articulis id explicat D. Thomas, ex quibus quæ Logico sint utilia, ut potero, in verba paucissima conferam. Itaque.

Dico 1.° Intellectus in prima sui operatione, qua percipit simplicem quidditatem rei materialis, *per se* non fallitur, *per accidens* tamen potest falli.

Prob. Nulla potentia cognoscitiva per se fallitur circa proprium objectum; sed quidditas rei materialis est objectum proprium intellectus: ergo in ejus simplicis perceptione non fallitur. Maj. patet: nam sicut res naturalis non deficit ab esse, quod sibi competit per suam formam; ita potentia cognoscitiva non deficit in cognoscendo rem, cujus similitudine primò et per se informatur. Hac de causa diximus etiam, sensum numquàm falli circa proprium sensibile.

Per accidens tamen potest falli, si fortè in simplici perceptione intellectus compositio aliqua admisceatur: quod equidem duobus interdùm modis contingit. 1.° Cum intellectus definitionem unius rei attribuit alteri, ut *si definitionem circuli attribuat homini*. 2.° Cum eas partes definitionis conjungit adinvicem, quæ simul sociari non possunt. Sic enim definitio esset in se falsa; ut si quis dicat: *animal rationale quadrupes*. In simplici igitur perceptione intellectus, numquam falsitas *per se* invenitur, sed tantum *per accidens*.

De falsitate hac, quæ est in definitione, tamquàm in re falsa, fusiùs agendum est in Libro sequenti. Hic solum admonere oportet, quòd quando dicimus, quidditatem rei materialis percipi ab intellectu in prima sui operatione, eamque esse objectum ipsius, non est intelligenda quidditas in abstracto, sed in concreto, et prout significatur vocibus *quod quid est*. Ut enim ait D. Thomas (1. p. q. 84. a. 7.), *intellectus humani proprium objectum est quidditas, sive natura in materia corporali existens... Unde natura lapidis cognosci non*

*potest completè, et verè, nisi secundum quod cognoscitur, ut in particulari existens.* Abstrahit quidem mens nostra essentiam sivè naturam á re cujus est; sed convertit se ad phantasmàta, ut illam speculetur in re particulari existentem. Itaque quod cognoscitur ab intellectu in prima sui operatione, est res habens essentiam, et hæc est cognitio, in qua dicimus, quòd numquàm per se falsitas reperitur.

Dico 2.º Circa ea, quæ circunstant rei essentiam, vel quidditatem, intellectus potest falli, dum atribuit rei, cujus quidditatem intelligit, aliquid, quod eam non consequitur, vel quod ei opponitur; quod facit componendo vel dividendo, hoc est affirmando vel negando, vel etiam ratiocinando.

Hæc conclusio verbis D. Thomæ expressa, probatione non eget. Nihilominus advertere oportet cum eodem S. Doctore, quòd quantum ad hoc, intellectus ab Aristotele sensui comparatur. Sic enim se habet intellectus ad judicandum de hujusmodi, sicut sensus ad judicandum de sensibilibus communibus, et per accidens; circa quæ potest falli ut diximus, quia circunstant sensibile proprium, vel latent sub eo. Similiter igitur potest falli intellectus circa illa, quæ latent sub quidditate rei materialis, vel eam circunstant.

Dico 3.º Intellectus non potest errare circa illas propositiones, quæ statim cognoscuntur, cognita terminorum quidditate, sive definitione, sicut accidit circa prima principia indemonstrabilia. Prob. ratione insinuata á D. Thoma. Ideo potentia cognoscens numquàm decipitur circa proprium et per se objectum, quia semper eodem modo se habet ad illud (hoc enim ideo est, quia naturaliter ad illud fertur); atqui intellectus semper eodem modo se habet ad propositiones hujusmodi; ergo. Minor sequenti libro probabitur. Pergamus itaque, et reliqua, ad veri judicium spectàntia, persequamur.



## CAPUT VI.

### *Quotuplex sit judicium veri.*

*Judicium* hic accipimus, non quatenus est *operatio*, sed prout est *opus* intellectus. Hoc sensu, judicium et propositio mentalis idem sunt. Quamquàm autem divisiones propositionis vocalis, judicio sic sumpto accommodari possint, non tamen *judicio veri*, cujus solum species quærimus in hoc capite; ut scilicet pateant menti nostræ viæ omnes, quibus gradi possumus, ad cognoscendam veritatem, qui scopus est Logicæ. Sed duo animad-

vertenda sunt, antequàm ad propositum veniamus.

Primum est, judicia *artis criticæ*, non esse propria *artis Logicæ*, ut insinuavimus lib. 1. cap. XIV. §. 2. Quamvis enim *Critices* sit ars de aliorum scriptis, præsertìm historicis, judicandi, hoc solùm probat, quòd *ars Critica* ad artem Logicam refertur, eo fere modo, quo scientia inferior, v. g. *Musica* comparatur ad Aritmeticam, quæ est ipsi superior. ¿Numquid propterea, qui non fiat Musicus, non erit aritmeticus? Non debet ergo noster logicus æmulari omniscios istos, qui pueros *artem criticam* docent, ut possint senes virgâ censoria ferire. *Nam pluribus intentus, minor est ad singula sensus.*

Secundum est, nec *ignota*, nec *dubia*, nec *obscura* ad judicium veri pertinere. Ea tamen discernere, et definire oportet, nè cum veris confundantur. Itaque *ignotum* est, quod prorsus sciri non potest, ut *stellarum numerus*. *Dubium* est, cogitatio quædam fluctuans, qua mens in re aliqua hæret, atque assensum cohibet, quia non videt, quò sit inclinandum: sic gravi infirmitate oppressus, dubitat, àn ex ea moriturus sit. Denique *obscurum* dicitur, quod ex parte cognoscitur, et ex parte ignoratur. Hæc in Libro sequenti fusiùs exponentur. His animadversis

Dividimus 1.° judicium cum S. Thoma (2. 2. q. 1. a. 4.) in illud, ad quod movetur intellectus ab ipso objecto, et cum judicamus *colorem esse aliquid extra animam existens;* et illud, cui intellectus assentit, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem, voluntariè declinans in unam partem magis quàm in aliam. Hac ratione *assentimur omnibus, quæ docet Ecclesia Catholica Romana tamquàm fide tenenda.*

Et quoniam hoc loco se offert occassio, curent diligenter Præceptores, sequentem regulam mentibus discipulorum insculpere. *Quod nobis constat testimonio illius, qui nec falli potest nec fallere, magis certum judicari debet, quàm prima principia, quæ nobis per se nota sunt et evidentia.* Ratio est, quia cum nobis conscii simus, mentis nostræ lumen limitatum esse ac debile, passìmque in multis deficere; potiùs æstimare debemus nos falli, quàm Deum, qui nec falli, nec fallere potest. Cum igitur, quæ docet Ecclesia Catholica Romana tamquàm fide tenenda, accepta sint ex revelatione Dei, certiora debent judicari, quàm ipsa prima principia. Hæc Logicæ tyronibus satis sunt. In Physica autem, favente Deo, ostendemus, argumenta ex divina revelatione ducta, in omni Philosophiæ parte locum habere. Hac de causâ, de judicio ex electione proveniente

nihil addimus, et judicium ad quod movetur intellectus ab ipso objecto, tripliciter dividimus.

Primò: aliud est judicium *directum*, aliud *reflexum*. *Directum* est primum illud judicium, quo anima judicat de rebus, quæ sunt extra ipsam; ut cum affirmat, *accidens distingui á substantia*. *Reflexum* est secundarium quoddam judicium, quo anima judicat de se ipsa, vel de rebus quæ in ipsa sunt; hoc est, de suis potentiis, habitibus, et actibus; ut cum intellectus, demonstrata veritate cui assensum præbuerat, sic secum loquitur: *Rectè ac verè judicaveram*. De cognitione hac reflexa agit S. Thomas 1. p. q. 87. per totam.

Secundò: aliud est *speculativum*, aliud *practicum*. Judicium *speculativum* ad solam veritatis considerationem ordinatur, ut cum quis acquiescit huic propositioni: *Terra in æternum stat:* (Eccl. 1.°) *Sol oritur et occidit, et ad locum suum revertitur*. Judicium *practicum* id, de quo judicat, ordinat ad opus: ut cum Prodigus ille (Lucæ 15.) in se reversus dixit: *Surgam, et ibo ad Patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in Cælum, et coram te*. Notat D. Thomas (1. 2. p. 57. a. 5. ad 3.), quòd *verum intellectus speculativi accipitur per conformitatem intellectus ad rem; verum autem intellectus practici accipitur per conformitatem intellectus ad appetitum rectum*. Nihil igitur mirum, quòd judicia practica illorum *qui diligunt infantiam, et quæ sibi sunt noxia cupiunt*, sint passim, non modò falsa, sed etiam stulta.

Tertiò: Verum, ad quod judicandum movetur intellectus ab ipso objecto, *vel est*, ut ait D. Thomas (loc. cit. ex 2. 2.), per se ipsum *cognitum, sicut patet in principiis primis, quorum est intellectus, vel* per aliud *cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia*.

Verum esse *per se cognitum*, sive judicatum, *contingit dupliciter*: (1. p. q. 2. a. 1.) *Uno modo secundùm se, et non quoád nos. Alio modo secundùm se, et quoád nos*. Primo modo, *quælibet propositio* (1. 2. q. 94. a. 2.) *dicitur per se nota, cujus prædicatum est de ratione subjecti*, sicut ista: *homo est animal rationale*. Cum propositiones hujusmodi ad demonstrandum maximè deserviant, ad Librum sequentem pertinent.

Judicia, sive propositiones *per se notæ secundùm se, et quoád nos*, sunt duplicis generis: quædam enim sunt per se notæ et *sapientibus* et *rudibus*, quædam verò *sapientibus solis*. Interdùm enim *contingit* (addit A. P.), *quòd ignoranti definitionem subjecti, propositio non sit per se nota*, qua ratione ei, qui nescit *quid sit homo*, prædicta propositio non est *per se nota*. »Quædam ergo

»*propositiones* sunt *per se notæ* solis »sapientibus, qui terminos proposi-»tionum intelligunt quid significent; »sicut intelligenti, quòd Angelus »non est corpus, per se notum est, »quòd non est circunscriptivè in lo-»co, quod non est manifestum ru-»dibus, *qui hoc non capiunt.*" Utraque hæc judicia esse nobis naturaliter indita, sequenti Libro demonstrandum est.

Judicium autem veri, quod intellectus sine ratiocinatione non profert, vel *certum* est, vel *opinabile*. *Certum*, cum absque formidine partis oppositæ in intellectu formatur. *Opinabile*, quando ipsi cum dubitatione aliqua, et formidine alterius partis assentímur. Primum ex demonstratione oritùr, ideoquè ad IV. Librum spectat. Secundum, cum procedat ex syllogismo topico, pertinet ad V.

# CAPUT VII.

## *De falsitate judiciorum nostrorum.*

Erroribus falsisque judiciis artes et scientiæ scatent, et vita nostra implicatur. Opportet igitur scire Logicum unde illa oriantur, sic enim intelliget, et quomodo ab ipsis liberari possit, et quomodo ab ipsis caveat. Demonstratum (Lib. I. cap. XV.) arbitramur, nihil dubio methodico excogitari potuisse inutilius ad præjudicia exuenda. Aliud adversus illa, aliosque generatim errores instituendum est bellum.

### §. I.

### *De causis falsitatis judiciorum nostrorum.*

Quatuor sunt veluti venenati fontes, ex quibus errores nostri oriuntur. 1.º Effrenis imaginatio. 2.º Appetitus sensitivus inordinatus. 3.º Prava voluntas. 4.º Intellectus malè affectus. Imaginatio et appetitus sunt facultates organicæ totius hominis. Intellectus autem et voluntas sunt spirituales potentiæ animæ solius. Mirabilem in his potentiis ordinem cernit D. Thomas, (1. p. q. 77. a. 4.) docens, quòd potentiæ intellectivæ dirigunt sensitivas, et imperant eis, et quòd istæ ad illarum actiones animam præparant. Et certè, sicut intellectus movet voluntatem, et voluntas vicisim intellectum, secundum modum quem diximus cap. I. §. 2., ita imaginatio movet appetitum, et appetitus imaginationem. Rursùs, quamvis intellectus et voluntas dirigant imaginationem et appetitum, ipsisque imperent, non tamèn omninò. Præsunt enim eis, ut ex Philosopho docet D. Thomas (1. 2. q. 17. a. 7.), *non principatu des-*

*potico, qui est Domini ad servum, sed principatu politico, aut regali, qui est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio.*

Hinc fit, ut dum spiritus nostros reget artus, imaginatio et appetitus interdùm non modò intellectui et voluntati resistant, sed etiam contra moveant, (1. 2. q. 9. a. 2.) et tandèm in suam sententiam trahant; nam homini in passione constituto videtur aliquid conveniens, quod non videtur ei extra passionem existenti; sicut *irato videtur bonum, quod non videtur quieto.* Hæc alibi fussiùs discutienda sunt. Nunc præfanda erant, ut falsorum judiciorum origo monstraretur. Nec verò probare opportet, quæ utinàm unusquisque nostrum in seipso non experiretur, vel saltèm nollet experiri!....

§. 2.

### *De falsitate judiciorum ex imaginatione.*

Imaginatio cum sinit se á ratione regi, non facilè dictu est, quantùm veritati, sive addiscendæ, sive inveniendæ, sive docendæ nobis deserviat. Cum verò imperium rationis detrectat, idque mens patienter suffert, statim effrænatur, et intellectus dominium usurpans, judicia ejus in transversùm agit. Vel enim vivida est et elegans, vel debilis et incomposita. Si vivida, miro quodam cæcitatis genere laborat, ut scilicet, ea quæ sunt non videat, ea verò quæ non sunt, intueatur. Nam fingendi et pingendi docta, speciosos sine intermisione partus edit, eosque menti exhibet. Intellectus vana specie delusus, idola hæc, ut Ixion nubes, seriò amplectitur, verisimilitudinis coloribus pingit, atque experimentis suffulcit. Hinc nata fictitia illa Philosophiæ systemata, in quibus mundus quidam imaginarius loco veri, quem Deus creavit, nobis deglutiendus propinatur.

Si debilis sit ac infirma, vix intellectui deservit. Caret enim pluribus et decoris phantasmatibus, quæ á mente nostra speculanda sunt, ut res præsertim singulares plenè et perfectè cognoscat, rectumque et perfectum de illis judicium pronuntiet. *Quòd homo* (ait D. Thomas 1. p. q. 17. a. 7. ad 3.m) *non possit imaginari quæ ratio considerat, contingit, vel ex hoc quòd non sunt imaginabilia, sicut incorporalia, vel propter debilitatem virtutis imaginativæ, quæ est ex aliqua indispositione organi.*

His verbis: *Incorporalia non sunt imaginabilia:* aliam imaginationis fraudem insinuat A. P., superba enim imaginatio nostra ea temerè imaginari tentat: cumque non possit apprehendere, vel ea prorsùs negat, vel saltèm negligit, et corporibus postponit. Hinc fit, ut homines er-

ga sensibilia mitiores in judicando sint, erga spiritualia iniquiores. Quod sensum vividè movet, magnum aliquid reputant. Quod eo non percipitur, vix putant esse aliquid. Picturarum et Ædificiorum symmetriam stupidi mirantur, virtutis et veritatis pulchritudine vix afficiuntur. Mortem horrent, peccatum non horrent. Pecuniæ damna lugent, gratiæ jacturam vix sentiunt.

Tribus his modis mentem imaginatio ad falsa judicia inclinat. Verùm possumus eam cohibere et corrigere, si velímus. Affirmat enim D. Thomas in verbis allatis, ex aliqua indispositione organi provenire, quòd homo non possit imaginari quæ ratio considerat. Si ergo hæc indispositio absit, in potestate nostra et arbitrio est positum excludere imaginationes turpes, et assumere alias meliores. Unde, qui dicunt se id non posse, vel se ipsos decipiunt, vel mentiuntur; nam hoc accidit ex negligentia et socordia, et ex imperio rationis imperfecto, et minimè serio. Videatur Medina in hunc articulum.

§. 3.

*De erroribus quorum est causa inordinatio passionum.*

Motus omnes appetitus sensitivi, cum D. Thoma (1. 2. q. 24. a. 2.), vocamus *passiones*, quæ equidem bonæ existimantur, cum sunt á ratione moderatæ; malæ autem, cum sunt præter moderationem rationis. Vix fieri potest, ut non sint vehementes malæ hujusmodi passiones, quæ adversus rationem extolluntur. Vehementes autem passiones, quæcumque illæ sint, tripliciter judiciis nostris insidiantur. Nam 1.° objectum judicii immutant. 2.° intellectum distrahunt. 3.° contra ejus sententiam pugnant.

*Immutant objectum*, illud reddentes ex vero malo falsum bonum, et ex vero bono falsum malum. Res patet (ut dictum est §. 1.) in irato, cui bonum videtur, quod non videtur quieto.

*Intellectum distrahunt*, quia ut ratiocinatur Div. Thomas (1. 2. q. 37. a. 1.), quamvis anima plurium potentiarum sit radix, est tamen una. Unius autem animæ non potest esse nisi una intentio: ergo si aliquid ad se trahat totam intentionem animæ, vel magnam partem ipsius, non compatietur secum aliquid aliud, quod magnam intentionem requirat. Ergo cum anima á vehementi passione rapitur, non potest intendere nisi ad finem, sive ad objectum ipsius passionis. Ergo nihil aliud potest considerare, quia omnis alia intentio (1. 2. q. 12. a. 1.) præsupponeret ordinationem et considerationem rationis. Dicendum est ergo, quòd passio quæcumque vehemens impedit atten-

tionem illam, quam descripsimus lib. I. cap. III. §. 4., et qua absdubiè mens nostra indiget ad rectè et verè judicandum. Sed cur probamus, quod experientia ostendit? Neque aliquid addiscere, nec ea quæ prius scivit potest considerare homo in vehementi passione existens. Ipse D. Gregorius Magnus, referente D. Thoma, Ezequielis expositionem propter tristitiam intermísit. Quid faciet nullius virtutis homo á concupiscentiis suis ferè semper abstractus et illectus? (Jac. I.) Progrediamur.

*Pugnant passiones contra mentis sententiam;* quia videlicet ratio humana, duce natura, semper inclinatur ab bonum, appetitus autem sensitivus, præsertim post peccatum originale, nimis frequenter nos ducit ad malum: idque eo succesu, ut cum ejus passiones maximè superexcedentes sunt, usum rationis aliquando impediant, (I. 2. q. 33. a. 3.) et semper conturbent, ut patet exemplo incontinentis, cujus paralogismum exposuimus lib. I. cap. XVI.

Fatemur cum D. Thoma, passiones istas contrarias rationi ex hac causa impedire æstimationem prudentiæ, magis quàm æstimationem speculativi intellectus; addimus tamèn cum ipso, quòd ex aliis duobus capitibus hanc etiam impediunt. Nemo igitur, nisi ab immoderatis passionibus liber, aptus est ad judicandum, sive de agendis, sive de speculandis.

§. 4.

*Plura judicia intellectus distorta esse propter pravam voluntatem.*

*Pravam voluntatem* intelligimus eam, quæ intellectum vincit, ut homo inferiori appetitui morem gerat. Damna igitur omnia, quæ á vehementi et immoderata passione judiciis nostris inferuntur, non nisi mediante *prava voluntate* ad illa perveniunt. Prava enim voluntas est, quæ intellectum á vero examinando retrahit. Idque potest, et assequitur, quia intellectum movet, ut diximus, quoàd exercitium actus. Et cum prava est, ipsum impellit ad cogitandum hìc et nùnc de bono apparenti, et non de vero. Principio itaque errores omnes, qui á corrupto appetitu proveniunt, pravæ etiam voluntati sunt adscribendi. Neque illi soli, sed et quamplures alii, qui aliundè oriuntur.

Sciendum est enim ex D. Thoma (I. p. q. 80. a. 2.), quòd sicut appetitus sensitivus fertur in appetibile apprehensum per sensum, ita objectum appetitus intellectivi, qui est voluntas, est bonum apprehensum per intellectum. Quòt sunt autem falsa bona, quæ intellectus apprehendere potest, sensus non potest? Superbia, inanis gloria, ambitio, hypocrisis vitia sunt, quibus

impelluntur stulti ad quærenda falsa bona, quæ á corporeis et organicis animæ nostræ facultatibus nec appetuntur, nec cognoscuntur. Nemo autem negare potest, errores innumeros ex prædictis vitiis in mentem humanam irrepere. Quamvis ergo infecta ex prava hâc voluntate judicia latiùs regnent in agendis, videmus tamèn, quòd passim propagantur ad speculanda. Afficimur forsitàn ex his vitiis, vel saltèm ex aliquo eorum ad aliquas opiniones, ab aliis abhorremus. Quæ primo aspectu placent, veræ, quæ displicent, falsæ absque sufficienti examine judicantur. Quæ pulcrè, vividè, pateticè, gravitèr, eloquentèr dicuntur, vera esse putamus; quæ inornatè, frigidè, timidè, contemnimus tanquàm falsa, aut dubia, aut nullius ponderis. Contradicendi quoque prurigo, propriarum cogitationum amor nimius, alienarum contemptus, studium vincendi, pudor se retractandi, animus ad aliquos authores propensior, ad alios iniquior, novitatis amor, fastidium vetustatis, omnia hæc, quæ equidem non rectæ voluntatis sunt signa, dum se judiciis nostris immiscent, ea facilè in transversùm adigunt.

Tempus deficeret, si quis errores omnes á vitiosa voluntate ortos vellet enumerare. Absque illius vitio, saltèm graviori, fontes alii errorum poterunt fortè in voluntate inveniri. Eos assignat et explicat P. Rosselli (in not. ad art. 3 q. XXII.), Sunt autem: 1.° Necessitates vitæ præsentis, 2.° Pigritia. 3.° Desperatio inveniendæ veritatis. 4.° Nimia conservandæ valetudinis sollicitudo. 5.° Error putantium, veri nominis scientias cum pietate pugnare. 6.° Magistrorum imperitia. 7.° Malorum librorum frequens lectio. Sed de his satis.

§. 5.

*De affectionibus intellectus, ex quibus falsa judicia prodeunt.*

In mente sive intellectu, secundùm quem imago Dei est in homine (1. p. q. 103. a. 6.), inter alia multa duo inveniuntur, quæ cum affinia sint, valdè inter se differunt; *Ingenium et judicium.* Nonnulli enim sunt, in quibus, cum *ingenio* polleant, *judicii* vix stillam reperies. Vel, ut verbis utamur D. Thomæ (2. 2. q. 51. a. 3.), *sicut in agendis multi sunt benè consiliativi, qui tamèn non sunt benè sensati, quasi rectè judicantes; sic in speculativis aliqui sunt benè inquirentes* (hoc pertinet ad ingenium), *et tamèn quandoquè non sunt boni judicii.* Ingens hæc discrepatio ad alium locum pertinet.

Nunc satis est asserere cum A. Præc. (1. p. q. 85. a. 7.), *nid contingere* ex parte inferiorum virtu-

»tum, quibus intellectus indiget ad »sui operationem. Illi enim, in qui»bus virtus imaginativa, et cogita»tiva, et memorativa est meliùs »disposita, sunt meliùs dispositi ad »intelligendum." Ecce *ingenium*, quod tribus maximè dotibus continetur; cogitandi celeritate, imaginandi facilitate, memorandi promptitudine. *Ingenium* itaque mensuratur et respondet corporeo uniuscujusque nostrûm temperamento. Non ita *judicium*, quod in agendis præsertim est actus prudentiæ, et cujus rectitudo aut perversitas etiam in speculativis, á recto vel pravo judicandi usu in primis causatur. Hinc colligimus, binas esse in mente nostra affectiones, ex quibus falsa judicia prodeunt, *consuetudinem* scilicet judicandi aut temerè aut falsò; et *ingenium* perperàm dispositum.

*Consuetudo* hæc inconsultò judicandi de rebus non satis notis, á teneris annis contrahitur. Simul atque editi in lucem, et suscepti sumus, ait Cic., in omni continuò pravitate, et in summa opinionum perversitate versamur; ut penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quæ consuevimus audire, et ab aliis vera haberi, digna dici et vera esse reputamus: quæ non consuevimus, videntur nobis dissona, falsa, paradoxa. Hanc cousuetudinem auget fortè ignava quædam erga eos reverentia, in quorum disciplinam nos dedimus. Hinc tot contrariæ opiniones, tot olim Philosophorum sectæ, tot nunc novorum et veterum Philosophorum dissidia; propter quod quamplures partium studio potiùs, quàm veritatis amore ducti, nè moras maturæ discussionis patiantur, pecudum more prioribus adbalitant. Ex prava hac consuetudine oriuntur veri nominis præoccupationes atque præjudicia, in quibus extirpandis Cartesius frustra sudavit et alsit.

*Ingenium* duabus ferè oppositis viis judicia nostra pessundat, nimia levitate, et nimio pondere. Sunt enim superficialia quædam ingenia, quæ externam tantùm rerum faciem intuentur. Nec fortè aliud intueri valent. Hi nec sedulò, nec seriò, nec diu res expendunt, nec ea parare curant, ex quibus verum judicium possent sumere. Itaque sicut linguam, ita et animi sententiam cohibere nequeunt. Unde, nullo aut levi præmisso examine, de omni scibili decernunt. Hi sunt, quos elegantèr impetit celebris illa satyra, cui titulus, *los Eruditos á la violeta*. Nullum ab id genus ingeniis verum aut rectum judicium spectes.

Sunt alia plùs æquo ponderosa ingenia, quæ in cuspidem sicut piramides desinunt. Quaquaversùm tendunt, abdita lustrant, profunda penetrant, unita discerpunt, composita dissolvunt, minima colligunt, nihil non tentant, ut de rebus abstrusioribus, imò de prorsùs ignotis judicent, et semèl emissis judiciis,

quamlibèt distortis, quamlibèt perversis, quamlibèt evidenter falsis, personatam veri effigiem insculpant. Hæc sunt ingenia, quæ malorum Angelorum instar, á sententia, quam semèl sibi persuasere, regredi non possunt, sed proprio pondere magis ac magis ipsi infiguntur, conquisitis ac roboratis, toto quo pollent acumine, ambagibus et sophismatibus, quibus eam defendant. Hæc sunt ingenia, quæ monstra horrenda, informia, ingentia pariunt. Hoc fuit ingenium Jo. Jac. Rousseau, qui, conficta in pacto suo sociali omnium hominum *libertate et æqualitate*, perturbatissimam in orbem universum confusionem induxit. Hoc fuit ingenium diabolici illius Jo. Weipshaut, qui tenebrosissimas leges condidit, quibus nefarii homines, et omnium nequissimi, ad mala omnia patranda *illuminati*, (sic seipsos vocant) Religioni æquè ac Imperio, *tamquàm serpentes mordentes in silentio*, clanculùm insidiantur. Hoc fuit ingenium (verbo dicam) omnium hæreticorum. Sed de falsis judiciis sat, superque.

§. 6.

*Quid nobis agendum sit, ut verè ac rectè judicemus.*

Criterium veritatis, de quo mox agendum est, ad cognoscenda, emendanda, et cavenda falsa judicia absdubiò deservit. Cæterùm lydius iste lapis extra nos ipsos est, nec semper in promptu habetur: cumque sit bonum quoddam, interdum nobis apparet malum. Ita fit, ut lapis offensionis nonnumquàm pro lydio habeatur, hoc est, lux pro tenebris, et pro luce tenebræ. Unde horrenda hæc transformatio nisi á nobismetipsis? Primum igitur omnium á nobis, et in nobis falsorum judiciorum remedium quærendum est.

Infirmitatibus, quarum causas Medicus agnoscit, facilè medetur. Nihil Christiano Philosopho dignius, nihil facilius, si velit, quàm fontes obstruere, ex quibus omnes manare errores hucusquè veluti digito monstravimus. Philosophia ipsa virtutum omnium complectitur præcepta; virtutes autem non modò impediunt inordinationem intellectus et voluntatis, sed et facilitatem ipsis præbent ad appetitum et imaginationem cohibendam. Sic falsa judicia evitantur. Hæc est vera sapientia cuicumque obvia, quam elevat et perficit superior alia, quæ á Spiritu Sancto justis omnibus communicatur. De hac Theologi disserunt. Sed omnes, (pueris non exceptis) ea indigemus, ut nempe super priori invigilet, eamque ab insipientia, quæ originalis peccati vulnus est, incessanter protegat.

Docet D. Thomas, priorem il-

lam cuicumque obviam, judiciorum, quæ captum nostrum non superant, esse directricem. *Ex rationis inquisitione*, inquit, (2. 2. q. 45. a. 2.) *rectum judicium habere pertinet ad sapientiam, quæ est virtus intellectualis.* Quid est enim Sapientia, nisi vera cognitio eorum, quæ, habita ratione status uniuscujusque nostrûm, á nobis hìc et nunc cognoscenda et agenda sunt? Si ergo falsa judicia vitare et cavere, si rectè ac verè de omnibus, quæ ad te spectant, judicare optes; sincérus veritatis, sivè sapientiæ amor, cor tuum possideat necesse est. Si hoc semel á te ipso consequaris, victoriam á falsis judiciis reportabis.

Et nè in mentem tibi veniat, montes nos aureos polliceri, audi Sapientem, qui tecum sic loquitur (Sap. 6. v. 13.): *Clara est, et quæ numquâm marcescit Sapientia, et facilè videtur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* Si autem (quod Deus avertat) desiderium hoc Sapientiæ, sivè amorem veritatis in penetralibus cordis tui non sentias; audi iterùm Sapientem, qui viam tibi manifestat, qua illud sive illum quæras. Eccle. 6. v. 37.) *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maximè assiduus esto: et ipse dabit tibi cor, et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.*

Demùm, si prava aliqua persuasione ductus existimes, te cogitationum tuarum non esse dominum, recole, falsitatem hujus persuasionis fuisse á nobis ex D. Thoma demonstratam cap. 1. §. 2.; et audi adhùc S. Jacobum, te etiam invitantem his verbis (cap. 1. v. 5.): *Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet á Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei.* Exemplum tibi sit Doct. Ang. de quo scriptum est, numquàm se lectioni, aut scriptioni dedisse, nisi post orationem.



# CAPUT VIII.

## *De criterio veritatis.*

Criterium veritatis á Junioribus dicitur esse duplex: *Evidentia*, et *vividus sensus*. Per *evidentiam* ea cognoscimus, quæ ipsa per se statim apparent, nec aliter apparere possunt: ut circulum esse rotundum; binarium esse numerum parem; ejus quod non est, nullas esse affectiones. Per *vividum sensum* corpora percipiuntur. *Vividum* autem dicunt, quia debet esse ita expressus, ut ipse sibi fidem faciat sui judicii. Hac ratione corporum existentia cognoscitur. His duobus tertium

addunt, quod vocant *intimum sensum*, illudque asserunt criterium esse internarum affectionum, cogitationis, doloris, voluptatis. Sed hoc quidem criterium, inquiunt, significat eas esse; quid sint, aut quomodo fiant, non patéfacit. Hæc á Facciolato accepimus, qui, nè Juniores Philosophos iratos habeat, eorum dicta interdùm non satis expendit.

*Criterium* àb ipso definitum libentèr admittimus: *signum* scilicet, *quod menti prælucet ad veritatem detegendam.* Placet etiam definitio evidentiæ, quemadmodum ex dicendis apparebit. Verùm alia sunt, quæ maximè displicent.

Primò: *Vividus sensus*, si externus sit, non percipit se percipere; hoc enim, ut diximus (cap. IV. Prop. 3.), pertinet ad sensum communem, qui est internus. Præterea significatio illarum vocum est admodùm vaga et indifferens, proindequè occasionem æquivocationibus præbet. Non igitur á *vivido sensu* petenda est evidentia sensibilium, sed ab his quæ dicta sunt ibidem Prop. 1.ª

Secundò: *intimus sensus* omninò rejiciendus est: Veremur enim, nè virus aliquod sub his vocibus lateat. Quid enim est hic *sensus intimus*? Estnè sensus noster communis? Non utique, quia hic non percipit nisi affectiones quinque sensuum externorum. Erit igitur intellectus: Si ita sit, qui intellectum hoc nomine ornant, non satis forsàn distinguunt inter intellectum et sensum. Hoc autèm, ut sæpè repetit D. Thomas, est oppidò necessarium, nè vel in modo loquendi conveniamus cum Antiquis illis, qui nihil putabant esse in rerum natura nisi corpora. Præterea, sunt qui putant, ut admonuimus initio cap. IV., vires nostras cognoscitivas nihil cognoscere nisi proprias passiones. Nonnè fieri potuit, ut erroris hujus sectatores has voces invenerint? Legite illos, si libet, et vos ipsi judicate. Nos certè, cum illos legimus, ita suspicamur. Exulet igitur á nostris Scholis obscurus iste, et æquivocus *intimus sensus.*

Tertiò: Ferri non potest, quòd *sensus intimus* et *conscientia* pro eodem sumantur, ut passim sumuntur á novis Logicis. Hoc est enim recedere sine causa ulla á communi usu loquendi. Omnes, sive sapientes, sive vulgus, *conscientiæ* nomine intelligunt actum illum mentis, quo judicamus de internarum, sive externarum actionum nostrarum bonitate, aut malitia morali. Cur hæc significatio abolenda est? nè conscientia nos absterreat? Atqui laterem, ut ajunt, laverit, qui istud conaretur. Præterea, si proprietas vocabuli attendatur, (1. p. q. 79. a. 13.) *conscientia* est *cum alio scientia.* Scientia autèm ratiocinatione nititur. Propriam igitur vocem

ignorant, qui *conscientiam* definiunt, *perceptionem eorum, quæ in anima fiunt.*

Nostra sententia est, criterium internarum affectionum (si quod ponendum sit, non enim de vocibus litigamus) *esse cognitionem reflexam intellectûs.* Anima enim hac potentia actus aliarum per se ipsos agnoscit, et per actus potentias omnes, ejus et voluntatis imperio subjectas; et eadem ratione, ac modo reliqua omnia quæ in ipsa sunt. Hujus assertionis causæ videri possunt apud D. Thomam, qui de reflexa intellectus cognitione disputat, ut jam diximus, tota quæst. 87. 1. P.

*Quartò:* Quod ad evidentiam spectat, confusione, obscuritate, ambiguitate plena sunt, quæ ad eam sive definiendam, sive dividendam adducuntur á Junioribus. Baldinottus, qui in referendis eorum sententiis valdè diligens est; et evidentiam cum certitudine confundit, et eam agnoscit in propositionibus, quæ sola auctoritate nituntur, et demùm opponi interdùm duas evidentias non negat; sicque fatetur evidentiam aliquandò esse fallacem. Quo nihil absurdius. Lugdunenses, evidentiam sibi quærentes, omnia sus deque miscent. Eam in somniantibus etiam reperiunt. In quo verò discrepent *sensus intimus, perceptio,* et *evidentia*, si illos legas, certè non capies. Singula persequi longum foret; satiùs est doctrinam D. Thomæ *de evidentia* ob oculos ponere, ut fiat inter illam, et Juniorum novitates comparatio, sicque eorum nubila, ut tenebræ oriente Sole, dissipentur. Ecce illam.

Si nominis ethimologia spectetur, (hæc desumimus ex 3. sentent. Dist. 24. a. 2. quæstiunc. 1.ª) *evidens* idem est quod *visum*; nam quæ denominantur visa aut evidentia, á visu, qui est sensuum nobilissimus, denominantur, atque ad ejus similitudinem definienda sunt. Cum ergo esse *visum* conveniat rei *visæ* et non visui, ita esse *evidens* convenit rei *intellectæ* et non intellectui. Rursùs: ea ratione, qua aliquid dicitur *visum* respectu sensus, dicendum est visum aut evidens respectu intellectus. Cum hac tamèn differentia, quòd sensus in prima simplicium perceptione sistitur; intellectus verò ex simplicium visione ad ea componenda, vel dividenda, judicando et ratiocinando progreditur. Ex his notionibus colligit S. D. tria esse intellectui evidentia. 1.º Simplicia. 2.º Prima principia. 3.º Conclusiones demonstratas.

*Simplicia*: quia sicut sensus videt, in quantùm species visibilis per lumen formatur in visu; ita *intelligendo videmus, quando per lumen intellectuale ipsa forma intellectualis fit in intellectu nostro.* Ideò dictum est cap. v., quòd intellectus in prima sui operatione per se non fallitur.

*Prima principia :* Quia eorum *cognitio ex prædicta visione consurgit.* Nam totum esse majus sua parte, á quocumque videbitur, qui totum et partem noverit.

*Conclusiones demonstratæ :* Nam *quæ in ista principia resolvere possumus, per rationem dicuntur videri*; cujusmodi sunt, ut subdit, ea quæ scimus demonstrativè probata.

Clarissimæ huic D. Thomæ explicationi quis non acquiescet? Ex illa porrò plena evidentiæ cognitio hauriri potest: infertur enim 1.°, quòd quamvis *evidens* et *visum*, pro eodem sumantur, *evidentia* tamèn et *visio* non sunt idem; nam *visio* significat actionem visus; *evidentia* autem non potest significare actionem intellectus; *visio* enim derivatur á verbo *video*, quod significat actionem, nullum est autem verbum á quo derivetur hoc nomen *evidentia.* Ideo communis usus loquendi non patitur, actionem intellectus nominari *evidentiam.* Itaque tenendum est, quòd hæc vox *evidentia* idem significat in abstracto, quod *evidens* in concreto.

Infertur 2.°, proprietatem vocum eos ignorare, qui *evidentiam* cum *certitudine* confundunt. Nam *certitudo* (D. Thomas 3. sent. D. 23. q. 2. a. 2. quæstiunc. 3.) *nihil aliud est, quàm determinatio intellectus ad unum, tantò autem major est certitudo, quantò est fortius quod determinationem causat.* Itaque *certitudo* se habet ex parte intellectus, *evidentia* autem ex parte rerum quæ ab ipso videntur. Vel aliter: *certitudo* est modus quidam afficiens veritatem cognitionis, *evidentia* autem est modus spectans ad veritatem rei.

Infertur 3.°, evidentiam esse causam certitudinis, et non é contrario, quemadmodùm expressè affirmat ibidem S. D. his verbis: *Certitudo, quæ est in scientia et intellectu* (primorum principiorum), *est ex ipsa evidentia eorum, quæ certa esse dicuntur:* hoc est; denominantur certa á certitudine intellectus.

Infertur 4.°, evidentiam esse criterium veritatis, quia præcedit (saltèm natura) ejus cognitionem. Item: Propositiones omnes per se notas, sive *per se statim apparentes*, esse evidentes; Ideoque nos ex utroque hoc capite verba Facciolati nostra fecisse. Verùm multò clarius ea quæ sunt evidentia sic definiuntur á Div. Thoma (2. 2. q. 1. a. 4.): *illa videri dicuntur, quæ per se ipsa movent intellectum nostrum, vel sensum ad sui cognitionem.*

Infertur 5.°, quòd in hac disputatione præcipuè attendendum est: *Veram* scilicet *evidentiam nunquam nos fallere. Veram*, inquam; non enim est nisi ficta et personata evidentia, quam unusquisque allegat, nè á prava aliqua opinione recedat. Non est *vera evidentia* firma quævis mentis adhæsio, sive certitudo

illa, quæ ex præpostera opinionum electione, et voluntatis obstinatione oritur. *Vera evidentia* est in rebus ipsis, quæ per se statim intellectui apparent. Intellectus est veluti speculum quoddam in quo ea repræsentatur. Evidentia fluit ab illa, quæ *veritas rei* nominatur, ea fermè ratione, qua proprietas dicitur fluere ab essentia. Cum ergo (ut diximus L. 2. cap. 7. §. 2. Dico 4.) propositiones per se notæ sint veræ ab æterno, saltèm negativè, dicendum est, quòd earum etiam evidentia est perpetua, immutabilis, invariabilis; adeo ut fallere nos non possit. Sed de evidentia satis. Jam enim tempus est, ut Liber hic tertius concludatur. In eo finis præcipuus et ultimus, ad quem Logica tendit, ostensus est: *Judicium*, scilicet, *verum*, *certum*, et *evidens*. Inquirendum superest qua ratione et arte, sive quo medio, aut via, ad illud obtinendum perveniamus.

# LIBER QUARTUS.

## *De demonstratione.*

ACtus rationis, quos Logica dirigit, similes aliquatenùs sunt actibus naturæ; ideo in eis ars locum habet; ut enim in proverbio est: Ars imitatur naturam quantum potest. (D. Thom. 1. Post. lect. 1.) Natura autem in quibusdam de necessitate agit, ita quòd non potest deficere; ut patet in motibus corporum cælestium. In quibusdam frequentissimè assequitur effectum, ad quem conatur; ut cum ex semine generatur perfectum animal: non tamen semper ita contingit, deficit enim interdùm natura in aliquibus ab eo, quod est sibi conveniens, sicut cum ex semine generatur aliquod monstruum.

Similiter igitur aliquis est processus rationis necessitatem inducens, in quo non est possibile esse veritatis defectum, et per quem scientiæ certitudo adquiritur. Est autem alius rationis processus, in quo ut in pluribus verum concluditur, nec tamen necessitatem habet. Tertius demùm est, in quo ratio á vero deficit propter alicujus principii defectum, quod in ratiocinando erat observandum. Postremus hic modus procedendi ad partem Logicæ pertinet, quæ agit de *Sophisticis*. Secundus ad eam, quæ inscribitur de *topicis*. Primus verò ad hanc quam aggredimur, quæ propriè *judicativa* est; eo quòd *judicium veri* est cum certitudine scientiæ.

## CAPUT I.

### *In quo ostenditur scopus, materia et ordo hujus tractatus.*

Certum de effectibus judicium haberi non potest, nisi resolvendo in prima principia. *Qui* enim (Div. Thomas 3. Ethic. lect. 8. lit. C.) *vult probare aliquam conclusionem, opportet quòd eam resolvat in principia, quousque perveniat ad prin-*

*cipia prima indemonstrabilia.* Hæc est *analysis* utilis, et in omni disciplina adhiberi solita; non illa Condilliaci, á qua cavendum esse tyrones supra admonuimus (Lib. 1. cap. 12. §. 2.). Ex hac *analysi* pars ista Logicæ, græcè *analytica*, latinè *resolutoria* vocatur.

Duplex autem est resolutio, ut supra etiam (Lib. 1. cap. 16.) insinuavimus, nec otiosum putamus hìc repetere. Una, quæ dicitur *consequentiæ*, altera *consequentis.* Apud Aristotelem illa *Prior*, hæc *Posterior* nominatur. Prima respicit *formam*, secunda *materiam* syllogismi. Hunc resolvimus per *analysim consequentiæ*, sive *Priorem*, cum formâ ejus per partes singulas diligenter excussâ, firmum esse ostendimus; proptereaquòd notionibus constet ex arte connexis ad *modorum* et *figurarum* leges. De hac nihil hìc addendum. Sillogismum resolvimus per *analysim consequentis*, sive *Posteriorem*, cum ejus *materia* diligentissimè inspecta, firmum esse ostendimus; proptereaquòd notionibus, atque enunciationibus constet veris ac necessariis, ex quibus tamquàm causis oriatur conclusio, et ex conclusione scientia. Hæc est *analysis*, quam efficit demonstratio, ex qua veræ omnes scientiæ oriuntur.

En igitur scopus, ad quem intendebat Aristoteles, cum *Analytica* scripsit; ut scilicet pateret omnibus, et errare vehementer Academicos, ea ætate latè regnantes, qui dari scientiam ullam negabant; et allucinari Platonem, qui ex suis ideis, scientiam non esse nisi reminiscentiam, inferebat. Utrosque conficit, statuens, dari scientiam per demonstrationem acquisitam. Eadem et fortè major est hodiè artis demonstrandi necessitas. Nam ex novis Philosophis plures sunt, qui rê cum Scepticis conveniunt, quamvis voce (seu potiùs vocum ambagibus) ab eis differre videantur. Consulatur Baldinottus, qui in Hist. Philos. nn. 122. 123. et 124., novos Pyrrhonios recenset, eosque affirmat venerari Bælium, tamquàm omnium parentem et Magistrum.

Hæc est ergo materia hujus Libri, in quo, ut omnia quæ ad demonstrationem pertinent explicentur, quatuor á nobis investiganda sunt: 1.º Quid ante demonstrationem prænoscere opporteat. 2.º Quibus partibus illa constet, quales illæ sint, et qua ratione in illa ordinentur. 3.º Quid sit scientia, sivè quis ejus effectus. 4.º Quænam sit inter scientiam et alios habitus ac dispositiones mentis differentia. Unaquæque autem ex his quæstionibus capita, quibus ejus explicatio indigeat, complectetur.

# CAPUT II.

## *Non esse absurdum, scire ac nescire idem, sub diversa ratione.*

Quàmvis non omnis nostra cognitio ex alia priori dependeat, *esset enim in infinitum ire*, ut ait Div. Thomas; omnis tamèn doctrina omnisque disciplina, quæ vel intellectu, vel ratione comparatur, ex præexistenti cognitione accipitur. Antequàm Mathematicus quantitatis proprietates concludat, definitiones suas, principia, et theoremata præfatur. Antequàm Architectus ideam domus sibi formet, lapides, lateres, ligna, aliasque partes considerat ac concínnat. Rethores et Oratores, sivè enthymemate, sivè exemplo uti debeant, signum aliquod vel simile intuentur, ut verosimile persuadeant.

Hinc colligitur, quod supra insinuavimus (Lib. I. cap. XVI.), unam et eamdem rem posse simùl sciri et ignorari: alia tamèn et alia ratione. Nam potest sciri in genere, et cognitione confussa; ignorari verò in particulari, et distincta cognitione. Per hanc doctrinam solutum est ibidem vetus illud sophisma: *Quod quæris ad cognoscendum, vel scis, vel nescis; si scis, frustrà quæris; si nescis, etiam cum inveneris, non agnosces.* Enimverò quid est demonstrare, nisi ex toto, quod principii rationem habet, partem aliquam ratiocinando decerpere? Porrò quis non videt, ab eo qui totum tenet, partem quoque ipsam aliquomodo teneri?

Vix intelligi potest, veteres novosque Pirrhonios solo hoc misserrimo sophysmate muniri, ut scientias omnes é medio tollant. Reverà tamèn ita contingit; cum enim pugnant adversùs aliquod ex tribus illis evidentibus, quæ ibidem explicuimus; nihil aliud faciunt, quàm sophisma suum generale ad determinatam materiam contrahere et accommodare. Nos igitur, quibus Sceptici detestandi videntur, tamquàm axioma inconcussum tenemus, *fieri sæpissimè, ut idem partim sciatur, partim ignoretur.*

# CAPUT III.

## *De his, quorum cognitio ante demonstrationem paranda est.*

Ad demonstrandum *prænotionibus* et *præcognitis* indigemus. Hæc for-

mulæ sic explicantur. *Prænotio* est anticipata cognitio. Duæ autem sunt prænotiones: *an sit*, et *quid sit*. Utraque bifariàm dividitur. Nam *quid sit*, modò nomen rei significat, modò rei essentiam. Similiter *an sit*, modò refertur ad rei existentiam, modò ad veritatem. Nam si res sit una et simplex, de ea prænoscitur, *an sit* in rerum natura; v. gr. an sit eclipsis. Sin autem sit complexa, cujusmodi est enunciatum quodlibet, de ea prænoscitur, *an sit vera*. Circa has prænotiones animadvertendum est, quòd nominis cognitio ita est *prænotio*, ut numquàm possit esse *quæstio*; quia nihil illam præcedit, per quod solvatur: Quæstio verò *cur sit*, ita est *quæstio*, ut numquàm possit esse *prænotio*, quia nihil illam consequitur.

Quemadmodùm *prænotiones* sunt modi *prænoscendi*, ita *præcognita* sunt res quæ prænoscuntur. Tria autem in qualibet ratiocinatione sunt præcognita. *Subjectum* conclusionis, *Prædicatum* ejus, et *Principia*, ex quibus aliquid concludendo efficitur. Hæc uno nomine dicuntur *antecedens*. De principiis prænoscere oportet, *an sint vera*, quia sunt enunciata. De prædicato, *quid sit*. De *subjecto* autem, prænoscere oportet, *quid sit* et *an sit*. Esto exemplum: Est quæstio: *num materia cogitet?* Pars negans demonstranda est ex hoc principio: *Quod extensum est, cogitare nequit*. De hoc prænoscere oportet, *an sit verum*. Subjectum est *materia*, de qua prænosci debet, *an sit* et *quid sit*. Prædicatum est *cogitatio*, de qua satis est prænoscere, *quid sit*; nam, *an sit in materia*, debet apparere per ipsam demonstrationem. Porrò cum prædicatum propositionis demonstratæ sit semper accidens, (id est, proprietas, ad quam significandam sæpissimè adhibetur hoc nomen accidens) idem est de eo quærere *an sit*, atque, *an insit*.

Cum ad conclusionem inferendam duæ propositiones requirantur, quæri potest, quisnam sit inter illas ordo prænotionum? Respondemus, quòd propositio *major* præcognoscitur *conclusioni* non solum naturâ, sed etiam tempore; patet enim, scita propositione majori, nondum haberi cognitionem minoris nec conclusionis. Rursùs: Si medium in minori assumptum sit terminus, de quo manifestum sit, quòd continetur sub termino universali posito in majori; tunc minor et conclusio *simul tempore* cognoscuntur, quamvis cognitio illius sit semper *prior natura*. Exemplum sit hæc demonstratio: *Omnis homo est capax disciplinæ; sed Æthiopes sunt homines*: ergo *et capaces disciplinæ*. Ille, cui manifesta est minor, statim conclusionem videt: cui verò non est manifesta, non simùl tempore illi assentitur. Major autem

cuicumque nota esse potest, tametsi nihil de Æthiopibus noverit.

---

# CAPUT IV.

## *Quid et quotuplex sit principium ratiocinandi.*

Propositionum alia est *immediata*, quâ, scilicet, non est alia prior, per quam possit demonstrari: alia *mediata*, quæ per aliam priorem demonstratur. Porrò, cum aliquæ dentur scientiæ inferiores, quæ á superioribus sua principia mutuantur, ut mox videbitur, plurimæ sunt propositiones, quæ in scientia inferiori immediatæ censentur, et principii locum occupant, quæ tamen in superiori scientia non sunt nisi conclusiones demonstratæ. Principium ergo ratiocinationis, de quo quærimus, est propositio *immediata*, hoc est, quæ non potest demonstrari per aliam, saltèm in ea scientia, in qua assumitur ut principium.

Hoc sensu acceptum principium dividitur in *positionem* et *dignitatem*. *Dignitates* sunt communes animi conceptiones, quæ statim perceptis terminis cognoscuntur, ut *quodlibet est, vel non est*: et *totum est majus sua parte*. Hæc vocantur *Axiomata*, *Pronuntiata*, *Principia prima, et per se nota.*

*Positio* generatim sumpta est principium non ita apertum, ut non egeat aliqua explicatione. Hac ratione *positiones* dicuntur, et propositio secundum se nota, non tamen quoàd nos (1. Post. Lect. 5. litt. e.); et illa quæ non est per se nota, sed tantùm *per aliud*, ut propositiones, quæ, ut diximus, loco principii ponuntur in scientia inferiori, quamvis probentur per principia alterius scientiæ. Positio sic sumpta dividitur in *positionem* speciatìm dictam, et *definitionem*, quarum neutra demonstratur, in quo conveniunt cum *Dignitate*; possunt tamen, et interdùm etiam debent declarari, in quo ab ea differunt.

*Positio speciatim dicta* est propositio, quæ ponit aliquam rem esse vel non esse; ut *esse motum, non esse vacuum*. Dividitur in *suppositionem* et *postulatum*. Si enim *Positio sit probabilis addiscenti, cui fit demonstratio* (1. Post. lect. 19. litt. b.), *dicitur* Suppositio. *Si verò* addiscens *nec sit ejusdem opinionis, neque contrariæ, oportet quòd demonstrator hoc ab eo petat, et tunc dicitur* Petitio (vel etiam Postulatum). *Si autem sint contrariæ opinionis, tunc erit quæstio, de qua oportet inter eos disputari.*

*Definitiones* sunt, quæ tantùm explicant res de quibus est agen-

dum. Quamvis autem definitio in se nec principium sit, nec propositio, adjuncta tamen rei definitæ est assumptio ipsa, sive minor sillogismi demonstrativi, proindeque et propositio, et principium.

Quatuor igitur sunt, quæ *principia*, sive propositiones *immediatæ* dicuntur, scilicet: *Dignitates*, *Suppositiones*, *Postulata*, et *Definitiones*. A vocibus *thesis* et *hypothesis* abstinemus, quòd usus significationem earum non fixerit.

Nunc quærendum est, quomodò unumquodque ex his quatuor ad demonstrandum valeat? Cum ergo, ut diximus, veritas principiorum demonstrationis sit una ex ejus prænotionibus; inquirere primùm oportet, quomodò *Dignitates*, sive axiomata, sive prima principia á nobis cognoscantur?

## CAPUT V.

### *Quæritur: An cognitio primorum principiorum sit nobis á natura?*

Vid. ad Conf. D. Thomas, ejusque Interpretes 1. 2. q. 51. a. 1. Ars cogitandi P. 4. Cap. 6.

Animadvertendum 1.º: quòd naturalitèr notum dicitur, vel illud, quod semper cognoscitur, ut *ab Angelis sua natura*; vel quod ex se suapteque natura potest á mente intelligi, quamprimùm fuerit illi propositum. Primo modo nihil est nobis naturaliter cognitum; Nam, ut sæpè repetit Aristoteles (et verum est), intellectus noster *in principio est veluti tabula rasa, in qua nihil est scriptum.* Quæstio ergo est; an prima principia cognoscantur á nobis naturalitèr secundo modo?

Observandum 2.º: quòd sicut ad visionem sensus requiritur tum species sensibilis, quæ ab objecto derivetur ad oculum; tum lumen, quod illustret colores et pupillam; sic ad cognitionem veritatis indiget anima nostra, et specie intelligibili, sive idea, et lumine spirituali, quo in eam aspiciat. His notatis:

### PROPOSITIO.

*Cognitio veritatis primorum principiorum partim est nobis á natura, partim ex acquisitione.*

Explicatur: Est nobis á *natura* propter lumen naturale mentibus nostris impressum. Est *ex acquisitione* propter species, sive ideas, quæ sensuum ministerio acquirendæ á nobis sunt, ut hoc lumine spirituali utamur. Primum autem satis est, ut cognitio veritatis primorum principiorum dicatur nobis naturalis. Duplicitèr enim, (ait D. Thomas) potest dici aliquid *naturale*. Uno

modo quia *totam est á natura;* alio modo quia secundum aliquid est *á natura*, et secundum aliquid *ab exteriori principio.* Sicut cum aliquis sanatur per seipsum, tota sanitas est á natura; cum autem sanatur auxilio Medicinæ, sanitas partim est á naturâ, partim ab exteriori principio. Nihilominùs hæc sanitas, postquàm habetur, est habenti *naturalis.* Similitèr igitur cognitio veritatis primorum principiorum, semel habita, naturalis habenti dicenda est. Propositio sic explicata

Probatur 1.° quoàd 1.m Part. Omne lumen, quo assentímur propositionibus veris, vel est á causa interna vel externa, id est, vel á natura, vel á medio, quod ratiocinando conjungimus cum extremis; sed lumen, quo assentímur primis principiis per se notis, non est á medio ullo, quod ratiocinando conjungamus cum extremis: (statim enim eorum veritatem percipimus) ergo est á natura; ita quòd possumus omnes dicere: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

Prob. 2.° *Præcepta legis naturæ* (1. 2. q. 94. a. 2.) *hoc modo se habent ad rationem practicam, sicut principia prima demonstrationum se habent ad rationem speculativam, utraque enim sunt quædam principia per se nota;* sed communis doctrina est Philosophorum moralium et SS. PP., præcepta legis naturæ naturalitèr cognosci á nobis lumine illo, quo bonum á malo discernimus (synderesim vocant), quod utique nobis á natura inest: ergo. Minor adeo nota est, ut probatione non egeat. Ad ejus tamèn illustrationem placet adducere et textum Apostoli (Rom. 2. v. 14.) *Gentes, quæ legem non habent, naturalitèr ea, quæ legis sunt, faciunt....; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: et verba D. Hieronymi (Epist. ad Demetr.) *Est in animis nostris quædam sanctitas naturalis, á Deo impressa, quæ veluti in arce animi residens, pravi et recti judicium exercet.*

Prob. 3.° Deus universam naturam condidit cum dispositione naturali ad operandum: ergo et hominem cum dispositione ad ratiocinandum. Atqui cognitio primorum principiorum est dispositio ad ratiocinandum: ergo simul cum natura data est homini á Deo. Prob. hoc antecedens ex D. Th. (1. p. q. 79. a. 12.). Omnis motus procedit ab aliquo principio immobili; sed ratiocinatio fit successivè, ideoquè est veluti motus quidam, (in hoc differt homo ab Angelo, ut norunt Theologi,) et intellectus aliquorum naturalitèr notorum est principium immobile: ergo ab hoc tamquàm á dispositione procedit humana ratiocinatio: ergo &c.

2.a Propositionis pars sæpiùs explicata et probata est. Ut principiorum veritatem intelligamus, præce-

dere (saltèm natura) in nobis debet rerum, sive terminorum, quibus ea constant, cognitio; nam ut supra docuimus, nullæ sunt in nobis ideæ innatæ. Ex hac ergo parte docet Schola Peripatetica, principiorum cognitionem sine inductione aut experientia non haberi, ut mox videbimus.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1.º Veritas naturalitèr cognita ita esset omnibus clara et perspicua, ut nemo eam diffiteri posset; sed multi negant veritatem primorum principiorum: ergo. Minor est Genuensis, qui (Art. Log. lib. v. cap. v.) sic quasi ex tripode loquitur: » Post renatas in Europa litte»ras ¿quot falsa hujusmodi princi»pia sunt detecta et emendata? Ma»xima veterum consensione recep»tum erat hoc axioma: *Tangere et »tangi, nulla res nisi corpus potest;* »quo tamen nihil est magis falsum." Alia quædam in exemplum falsitatis adducit, quorum veritas in Physica vindicabitur. R. D. Maj. Nemo eam diffiteri posset, si *esset sanæ mentis.* C. Maj. *si insaniret.* N. Maj. Itaque dictis stamus. Cum (Lib. I. cap. xv.) adversùs dubium methodicum Cartesii pugnavimus, statutum reliquimus, impossibile esse non cedere evidentiæ sensuum, aut primorum principiorum.

Ad Genuensem quod attinet, miramur, virum Catholicum, et Divino cultui mancipatum negasse principium, quod ore suo confirmavit D. N. Jesus Christus, qui cum apparuisset Apostolis post resurrectionem (Lucæ 24. v. 39.), et illi existimarent, se spiritum videre, dixit eis: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

At inquies.... ¿Nonnè Angeli sunt in loco? moventur in eo, tangunt et tanguntur? R. D. Thomas (1. p. q. 53. a. 1.), quòd *esse in loco, et moveri secundùm locum*, æquivocè convenit corpori et Angelo. Similitèr, si quando Angeli dicantur tangere aut tangi, intelligendum est æquivocè.

Oppones rursùs.... ¿Nonnè in confessione Berengarii relata á D. Thoma (3. p. q. 77. a. 7.) dicitur: *Verum corpus et sanguinem Christi manibus Sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri?* R. S. Thomas: verba illa referri ad speciem sacramentalem, sub qua verè est corpus Christi. Ad cujus rei intelligentiam recolere opportet, quæ sæpè dicta sunt de *sensibilibus per accidens.* Corpus enim Christi in specie sacramentali, et Angeli in corpore assumpto *per accidens quidem, verè tamen* sentiuntur, videntur, et tanguntur, quemadmodùm pluribus ostendit Illm. Canus ad finem lib. v. Exemplum igitur Genuensis veritatem primorum principiorum ne tangit quidem.

Obj. 2.° Si lumen, quo assentímur primis principiis, inesset nobis á natura, numquàm extingueretur; sed interdùm in aliquo homine extinguitur: ergo. Major patet, quia quod est á natura, semper eodem modo se habet. Prob. min. Prima principia rationis practicæ sunt præcepta legis naturalis; sed hæc interdùm á corde hominis delentur: ergo. Minor experientia patuit tempore idololatriæ, ut colligitur ex c. 1. Epist. ad Romanos, et constat ex Julio Cæsare (de bel. Gal. lib. 6.) referente, quòd olim apud Germanos latrocinium non reputabatur iniquum. R. Nego min. ad prob. D. Maj. Prima principia &c. sunt præcepta *primaria* legis naturalis; C. Maj. *secundaria* N. Maj. et dist. similiter min. N. conseq. Distinctio hæc est D. Thomæ (1. 2. q. 94. a. 6.), ubi quærit: *Utrùm lex naturæ possit á corde hominis aboleri.* Et respondet, quòd prima hujus legis præcepta, ea scilicet, quæ sunt *communissima*, atque *omnibus nota*, non possunt deleri á corde hominis, sed tantùm secunda, ea nempe, quæ sunt *magis propria*, et quasi *conclusiones propinquæ principiis*. Addit deinceps, id contingere *propter pravas consuetudines et habitus corruptos, vel etiam propter malas persuasiones*: *eo modo*, inquit, *quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias.* Porrò propositiones, quæ ita sunt *principia*, ut possint esse *conclusiones*, vocantur *positiones*, ut diximus; quæ verò non possunt esse nisi principia, appellantur *Dignitates.* Dicendum ergo, quòd lumen, quo assentímur *positionibus*, potest interdùm in homine extingui, non verò illud, quo assentímur *Dignitatibus*.

Obj. 3.°, et simùl instabis: Præter hoc principium: *Impossibile est rem esse et non esse*, nullum est aliud, quod non possit esse conclusio alicujus sillogismi: ergo nullum est in nobis lumen á natura inditum, nisi ad assentiendum prædicto principio. Antecedens constat ex Aristotele ipso, qui 4. Metaph. docet, omnia principia posse per principium contradictionis confirmari; et ex S. Thoma, qui cit. quæst. art. 2. docet, quòd super hoc principio omnia alia fundantur: ergo. R. ad argumentum D. añs. Nullum est principium, quod non possit esse conclusio sillogismi reducentis *ad impossibile*, vel urgentis incommodo adversarium. Conc. añs: syllogismi *directè* concludentis, N. añs. Hæc distinctio traditur ab Arist. in loco, qui nobis objicitur. Manifestum est autem, quòd non est contra rationem primi et immediati principii, ut confirmetur argumento ducente ad *incommodum*, sed ut demonstretur á priori, argumento per se et *directè* concludenti. De his alibi fusiùs.

# CAPUT VI.

## *In quo expenduntur reliqua ad primorum principiorum cognitionem spectantia.*

Cum prænotio veritatis primorum principiorum sit veluti fundamentum et basis, cui ars tota demonstrandi incumbit, operæ pretium est, quæstiunculas, quæ in hanc rem excitari solent, crassiore saltèm minerva definire. Itaque

### §. I.

*An sensus et experientia sint necessaria ad assentiendum primis principiis.*

Recolenda, et non repetenda sunt, quæ in hanc quæstionem diximus de Inductione, et contra dubium Methodicum loquentes. Nunc observare opportet, ex sensu oriri memoriam, et ex memoria experientiam. Hæc enim nihil est aliud, quàm memoria repetita. Nomine autem *memoriæ* hìc intelligimus sensus internos omnes; sicut et nomine *sensus*, quemcumque externum. Hoc notato:

Dico 1.º Sensus et experientia non sunt causæ per se, et directè influentes in cognitionem veritatis primorum principiorum. = Infertur ex dictis de veritate (Lib. III. cap. II.) Docuimus ibi, veritatem non esse in sensu, *ut cognitum in cognoscente*: ergo solus intellectus cognoscit veritatem; atqui ideæ, sive species sensibiles non possunt per se et directè agere in potentiam spiritualem, qualis est intellectus: ergo. Præterea: Experientia incerta est et fallax, veritas autem primorum principiorum certa est et evidens: ergo illa non potest esse causa hujus.

Dico 2.º Sensus et experientia sunt *conditiones* sive *causæ*, *sine quibus non* cognosceret intellectus veritatem primorum principiorum. = Hæc infertur etiam ex dictis de Inductione (lib. I. cap. IX. §. 3.). Nemo enim veritatem primi alicujus principii agnoscit, nisi prius noverit, *quid* sint illius subjectum et prædicatum; atqui mens nostra non potest ea apprehendere, *nisi* (ut explicat D. Thomas) *per species intelligibiles á phantasmatibus acceptas*: ergo. *Phantasmata* hìc vocamus *ideas* omnes sivè *species*, quæ in sensibus internis colliguntur, et ab externis derivantur. (Nè certes unquàm de vocibus, nisi lateat in eis fallacia.) Dicendum ergo, quòd sensus et experientia requiruntur ad rectam apprehensionem prædicati et

subjecti cujuscumque principii, et ea ratione sunt *conditiones* sive *causæ, sine quibus non* cognosceretur ejus veritas.

Dico 3.o *Experientia, quam requirimus ad cognoscendum*, quid sint *subjectum et prædicatum primorum principiorum, non debet esse* memoria repetita *omnium particularium, sed unius tantùm aut alterius.* Idem asseruimus, de inductione agentes. Præterea: *Dignitates*, de quibus hìc agimus, sunt *illæ propositiones* (1. 2. q. 94. a. 2.) quarum termini sunt *omnibus noti*, *ut omne totum est majus sua parte*: et *quæ uni et eidem sunt æqualia*, sibi invicem sunt æqualia. Nonnè ridiculum est, sensibilem omnium singularium perceptionem exigere, ut *quid sint* horum principiorum subjecta et prædicata intelligatur? Maneat ergo, duplicem esse experientiam, *formalem* et *exactam*; unam, quæ ex cognitis omnibus particularibus consurgit; alteram *æquivalentem* seu *virtualem*, quæ ex aliquibus tantùm. Prima quidem ad cognoscendam veritatem propositionis *contingentis* requiritur. Secunda autem sufficit ad intelligendum *quid sit* subjectum, et *quid prædicatum* primi principii. Ad cognoscendam autem ejus veritatem per se, nihil influit, ut mox dicemus.

Hæc si Authores Artis cogitandi intellexissent, (P. 4. cap. 6.) non contempsissent asserentes, cognitionem primorum principiorum provenire nobis ex sensu. Numquàm, inquiunt, inductio valet nisi sit integra. Hoc in contingentibus verum est, in necessariis falsum. Quamquàm nos non adhibemus inductionem ad probanda prima principia, sed tantùm ad cognoscendum, *quid sint* eorum subjecta et prædicata. Unde

Dico 4.° *Cognito* quid est *subjectum*, et quid *prædicatum cujuslibet primi principii, statim anima nostra solo lumine naturali ejus veritatem cognoscit.* Prob. ex simili. Oculus, accepta specie coloris, solo lumine externo ipsum videt: ergo intellectus, rectè apprehensis subjecto et prædicato alicujus primi principii, solo lumine quod nobis est á natura, ejus veritatem agnoscit. Jam enim probavimus, hoc lumen non esse á medio ullo, quod ratiocinando conjungamus cum extremis.

§. 2.

*Intelligentiam primorum principiorum esse habitum, et virtutem intellectualem.*

Condilliacus (P. 1. Log. cap. v.), factus repentè é Philosopho Theologus, huic voci *intelligentia* novam eamque obscuram æquè ac subdolam significationem alligat, á nobis, favente Deo, suo loco reji-

ciendam: Quod nunc juvenes nostros admonemus, nè inscii in laqueum aliquem cadant. Quid sit intelligentia, quidve hæc vox significet, ex veterum doctrina et loquendi usu sic explicamus.

Quæ distinctio reperitur inter corpora ex se lucentia v. g. solem et ipsam eorum lucem, éadem consideranda est inter intellectum et lumen ipsi inditum, quo prima principia intuetur. Ex hoc naturali lumine, et collectione acquisita specierum sive idearum, quæ subjecta et prædicata primorum principiorum repræsentant, constituitur ea quæ á nostris vocatur *intelligentia*, vel etiam *intellectus*; nam hæc vox in Schola modò significat potentiam intellectivam, modò hanc ejus modificationem. *Intelligentia*, sive *intellectus* sic sumptus numeratur á D. Thoma (1. 2. q. 57. a. 2.) inter virtutes intellectuales, per quas intellectus speculativus perficitur ad considerandum verum. Tres sunt hujusmodi virtutes, *Sapientia*, *Scientia* et *Intellectus*.

Quicumque mentis suæ actiones per reflexionem consideret, animadvertet, se, veluti impetu quodam, ferri ad assentiendum primis principiis. Hæc ergo pronitas, hæc promptitudo, hæc facilitas ad amplectendam eorum veritatem, ipsa *intelligentia* est. Residet igitur in intellectu, ipsumque perficit ad verum considerandum: proindeque est modus quidam vel potiùs accidens ab eo distinctum, atque ad primam speciem qualitatis pertinens. Non est autem *dispositio*, sed *habitus*, quia est firma quædam facilitas cognoscendi hujusmodi veritates, proindeque *difficilè mobilis*. Est habitus partim vel inchoativè *naturalis* propter lumen, ut diximus; cujus signum est, quod eodem modo se habet toto tempore vitæ nostræ: unde non faciliùs assentimur primis principiis post longam consuetudinem, quàm in principio. Latent nos ante usum rationis, quia hic habitus non potest exire in propriam operationem nisi per species, sive ideas ministerio sensuum comparatas, ut ostensum est. Est demùm *virtus*, quia est propensio ad bonam operationem, scilicet ad considerationem veri, quod est bonum intellectus.

Fieri tamen solet adversus dicta quædam objectio, quæ omitti non debet. Quemadmodum se habet ultimus finis respectu voluntatis, ita primum principium respectu intellectus; sed nullus ponitur habitus in voluntate, quo feratur in ultimum finem, quia seipsa in eum fertur: ergo pariter &c. = R. Discrimen esse inter intellectum et voluntatem. Nam voluntas est ipsa inclinatio ad bonum propositum per intellectum, et ideo non indiget habitu inclinante ad ultimum finem; intellectus verò non est cognitio

veri, sed facultas apprehendendi et judicandi verum; et ideo requirit species ad apprehendendum, et lumen ad judicandum. D. Thomas (1. 2. q. 51. a. 1.) *In appetitivis potentiis*, inquit, *non est aliquis habitus naturalis secundum inchoationem.... quia inclinatio ad objecta propria, quæ videtur esse inchoatio habitus, non pertinet ad habitum, sed magis pertinet ad ipsam rationem potentiarum.* Itaque similitudo non consistit.

§. 3.

*An habitus primorum principiorum sit perfectior in uno homine, quàm in alio.*

Hæc quæstio verbis D. Thomæ breviter finietur; docet enim, habitum hunc primorum principiorum secundum inchoationem esse nobis naturalem, et *secundum naturam speciei, et secundum naturam individui.* Primum á nobis satis expositum est. De secundo sic loquitur: *Secundum verò naturam individui est aliquis habitus cognoscitivus, secundum inchoationem naturalis, in quantùm unus homo ex dispositione organorum est magis aptus ad benè intelligendum, quàm alius, in quantùm ad operationem intellectus indigemus virtutibus sensitivis.* Hac ergo ratione unus homo *intelligentia* sive *intellectu* præstat alteri.

Cave tamen, nè inde statim inferas, animam rationalem unius esse præstantiorem anima alterius secundum ea, quæ ad naturam animæ pertinent, vel quæ, ut dicitur, sunt ipsi *intrinseca.* Hæc longè difficilior quæstio est, ad tractatum de *Anima* spectans. Relata S. Thomæ verba solùm significant, aliquid perfectionis addi animæ nostræ ab *extrinseco*, scilicet á meliori corporis, cui unitur, dispositione, quæ utique ad naturam spiritus per se subsistentis non pertinet.



# CAPUT VII.

## *De ratiocinationibus, quæ ex aliqua Suppositione vel Postulato procedunt.*

Habendæ præ oculis definitiones *Suppositionis* et *Postulati*, quas cap. IV. ex D. Th. transcripsimus. *Suppositiones*, quæ in superiori aliqua scientia, v. g. Aritmetica, sunt conclusiones demonstratæ, atque in inferiori, v. gr. Musica, tamquàm principia assumuntur, esse ad rectè demonstrandum opportunas, extra omnem dubitationis aleam positum est. Idem judicium esto, cum *Postulata* vocantur aliqua, quæ cer-

ta ratione nituntur: ut est illud; *á quovis puncto ad quodvis punctum rectam lineam ducere*. Hæc enim certæ *Suppositiones*, potiùs quàm *postulata* dici deberent. De his igitur nulla est quæstio, sed tantùm de præposteris quibusdam *suppositionibus* et *postulatis*, quæ vel deberent dici *quæstiones*, quia docens et addiscens, vel arguens et respondens sunt contrariæ opinionis; vel appellantur *suppositiones*, cum non sint nisi *postulata*, quia addiscens vel respondens, nec est *ejusdem opinionis*, *neque contrariæ*, sed totum ignorat.

Hoc ratiocinationum genere ferè utuntur Philosophiæ veteris reformatores, cum vel nobiscum disputant, vel discipulos erudiunt. Sic Cartesiani ex *suppositione* suorum elementorum ac vorticum, necnon motuum, quibus suæ materiæ particulæ abripiuntur, universa naturæ phænomena se demonstrasse jactant. Sic Newtoniani ex *suppositione* universalis attractionis, cælestia et terrestria omnia se intelligere, et perspecta habere gloriantur. Sic Leibnitiani ex *suppositione* duplicis automatis, spiritualis et corporalis, et harmoniæ in motibus uniuscujusque præstabilitæ, quidquid in nostro corpore vel anima fit, definiunt et declarant, et somnia hæc sua, veluti totidem demonstrationes, venditant. ¿Quid plura? Sexcenta similium demonstrationum exempla in cæteris Philosophiæ partibus occurrent, á nobis (si Deus dederit) manifestanda et debellanda.

Nunc Logico nostro scire satis erit, quales sint hostes, á quibus irridetur, et quis eorum genius, et argumentandi modus. Homines isti, ut videtur, non loquuntur nec scribunt nisi illis, quorum intellectus est *tamquàm tabula rasa, in qua nihil est depictum*. Hujus generis discipulos sibi optabat Condilliacus. (Log. P. 2. cap. 9. circa finem). Quid ita? Nos sic conjectamus. In eo, qui est omnium ignarus, *Postulata* (ad sensum D. Thomæ intellecta) maximè locum habent; quæ proinde ab incautis, præsertim adolescentibus, facilè pro primis principiis accipiuntur, sicut et inde consequentia, veluti conclusiones demonstratæ. Cum igitur nihil sit tam absurdum, ut aiebat Tullius, quod non sit ab aliquo Philosophorum dictum; mirandum non est, veram Philosophiam contemni, et falsam dominari.

Nemo non videt, argumenta hæc á *Postulatis*, sive á *Suppositionibus* ducta, nullius esse ponderis, imo plerumquè insidiosa esse veritati. In eis enim, *Primò* ponitur tamquam verum, id de quo quæritur. *Secundò*, quod maximè probandum erat, improbatum relinquitur. *Tertiò*, committitur fallacia *non causæ pro causa*, qua nihil est

facilius, nec frequentius. Cum enim *Ex falso sequatur id, quod aliunde est verum;* et rursùs, *Ex impossibili sequatur quodlibet*, solent passim sophistæ veris effectibus falsas causas aptare.

His addendum, quod supra admonuimus (lib. 1. cap. 14. §. 3.), scilicet, quòd Philosophi suppositionibus dediti, nec solvunt, nec sibi proponunt objectiones, quibus nos evincimus, omnia eorum argumenta *falsa suppositione* laborare. Ita se gerunt, specie quidem, ut nostra parvipendant, re autem, nè rationibus nostris é regione objectis, eorum sophismata, quasi domus super arenam fundatæ ab imo corruant. Quamvis ergo hypotheses istæ (sic vocantur á Junioribus) congruant rebus, ad quas explicandas assumuntur, inde tamen nihil probabilitatis haurire possunt, ut falsò existimavit, et gratis asseruit Baldinottus (lib. 3. cap. x.) post Heinneccium, qui (de Elem. Log. cap. 3. sect. 3.) hunc veluti canonem statuit: *Physicæ probabilitatis fundamentum est hypothesis, ex qua phænomena omnia facilè explicantur.* Quasi verò cognitio, seu potiùs imaginatio nostra esset mensura veritatis rerum naturalium, et non é contrario, ut probatum manet (lib. III. cap. II. Dico 3.). Præterea sicut certam conclusionem sola demonstratio facit, ita probabilem *thesim* vel *hypothesim* sola ratio ex topicis ducta potest reddere. Congruentiam autem alicujus rei cum aliqua hypothesi, non esse locum Dialecticum, ex quo probabile argumentum duci possit, ostendetur á nobis Libro sequenti, cum ad locum de causa efficiente, ejusque effectibus pervenerimus. Cavendum igitur, nè ulla unquàm *Suppositio* vel *Postulatum*, vel quovis alio nomine, etiam græco, vocitetur, á nobis admittatur, nisi sufficientèr demonstretur vel saltèm probetur. In quorum confirmationem audiatur D. Thomas, de hujusmodi *Suppositionibus* et *Postulatis* sic loquens.

»*De Suppositionibus* (1. P. q. »32. a. 1. ad 2.m): *Ad aliquam »rem duplicitèr inducitur ratio.* U»no modo ad probandum *sufficien»tèr* aliquam radicem (sive princi»pium): sicut in scientia naturali »inducitur ratio sufficiens, ad pro»bandum quòd motus cæli semper »sit uniformis velocitatis. Alio mo»do inducitur ratio, non quæ *suffi»cientèr* probet radicem, sed quæ »radici jam positæ (suppositioni, »quæ pro principio sumitur) osten»dat congruere consequentes effec»tus, sicut in Astrologia ponitur ra»tio *excentricorum et epiciclorum,* »ex hoc quòd hac positione facta, »possunt salvari apparentia sensibi»lia circa motus cælestes; non ta»men ratio hæc est *sufficientèr* pro»bans, quia etiam fortè alia positio-

„ne faeta salvari possent." Utinàm hanc Ang. Præcep. circumspectionem et moderationem Philosophi omnes, de cælestium corporum motibus disputantes, imitarentur! Verùm hæc alibi.

De *Postulatis* (1. p. q. 7. a. 3.): Cum sibi objecisset, consuetum esse apud Geometras sic arguere: *Sit linea talis infinita*, &c. Respondet, quòd *Geometer non indiget sumere aliquam lineam esse infinitam actu, sed indiget accipere aliquam lineam finitam actu, á qua possit subtrahi, quantùm necesse est, et hanc nominat lineam infinitam.* Hoc exemplo docemur, quòd etiam *Postulata*, á peritis usurpari solita, examinanda sunt, et tamèn benignè exponenda, si quando falsitatem præseferre videantur. Et hæc de prænoscendis ad demonstrandum dicta sufficiant. Nam de principio, quod dicitur *definitio*, in sequentibus agendum est.



# CAPUT VIII.

## *De demonstrationis natura et ratione.*

De natura *demonstrationis* acturus Aristoteles eam definit, et ex fine et ex materia. Attento fine: *Demonstratio*, inquit, *est syllogismus faciens scire*. Consideratâ materiâ sic habet: *Demonstratio est syllogismus constans ex præmissis veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus et causis conclusionis.* Primam definitionem, scientiam definientes, interpretabimur. Nunc secundam.

*Veræ* debent esse præmissæ demonstrationis. Si enim falsæ essent, non párerent scientiam, sed errorem; si verisimiles tantùm, párerent opinionem. Hùc referuntur quæ diximus lib. III. de judicio veri. *Primæ*; quia nihil est prius illis, per quod demonstrari possint. *Immediatæ*, sive medio carentes; quia subjecti et prædicati conjunctio in eis ita perspicua est, ut medium nullum sit per quod conveniant. Ex. gr. Cum dicitur: *Substantia materialis est quanta*, propositio *prima* est, et *immediata*, quia per aliam priorem demonstrari non potest, cum ratio nulla assignari queat, cur *quantitas* substantiæ materiali conveniat. At cum dicitur: *Substantia materialis est divisibilis*, enunciatio non est *prima*, nec *medio caret*, nam datur ratio et causa, propter quam *divisibilitas* conveniat materiæ. Et hæc causa est *quantitas*.

Animadvertere hìc opportet, quòd in scientiis, quas vocamus *subalternatas*, præmissæ demonstrationum sunt etiam *primæ* et *immediatæ*, non quidem *simpliciter* sed *secundùm quid*; id est, in illa scien-

tia: quamvìs enim in alia demonstrentur, non tamen id fit per demonstrationes innumeras; quod sufficit, ut duæ istæ conditiones certo quodam sensu dictis præmissis conveniant (Lect. 4. litt. n.). Unde et in 1. Topic. dicitur, quòd *demonstratio est ex primis, vel ex talibus, quæ per aliqua prima cognitionis principium sumpserunt*. Accuratissima ergo erit demonstratio, cujus præmissæ sint simplicitèr *primæ*, et prorsùs *immediatæ*.

*Notiores*; nam cum per illas manifestanda conclusio sit, ipsæ magis debent esse manifestæ. Semper enim *propter quod unumquodque et illud magis* (lect. 6. litt. b.): *sicut si amamus aliquem propter alterum, ut si Magistrum propter discipulum, discipulum amamus magis*. Tùm debent esse *priores*; et quia *prius* et *notius* dicitur duplicitèr (lect. 4. litt. o.), scilicet *quoàd nos* et *secundùm naturam*, intelligendum est, præmissas debere esse priores et notiores conclusione, non *quoàd nos*, sed *secundùm naturam*. Undè oportet, quòd sint de universalibus, et non de singularibus sensibilibus; quia, ut ait D. Thom. (1. p. q. 85. a. 3.), *necesse est quòd cognitio singularium quoàd nos prior sit, quàm universalium cognitio*. Itaque omnis demonstratio, quæ scientiam parit, ex universalibus conflatur. Rursùs: probat ibidem S. D. quòd *tam secundùm sensum, quàm secundùm intellectum cognitio magis communis est prior* (utroque modo) *quàm cognitio minus communis*. Universaliora igitur habent locum in præmissis; minus universalia in conclusione. Singularia autem nullibi admittuntur.

*Causæ* deniquè *conclusionis* debent esse præmissæ; quia tunc propriè scimus, cum causas rerum agnoscimus. Duplex autem est causa, *alia cognoscendi tantùm*, alia *essendi simùl et cognoscendi*. In omni argumentatione, etiam dialectica et sophistica, præmissæ sunt causæ cognoscendi conclusionem. Hoc ergo est proprium perfectæ demonstrationis *á priori*, de qua in hoc capite loquimur, ut ejus præmissæ sint conclusionis causæ, non modò in *cognoscendo*, verùm etiam in *essendo*. Porrò dicuntur causæ plurali numero, quia præmissæ duæ sunt, et ambæ continent *medium*, quod est vera causa unionis extremorum.

## CAPUT IX.

### *De propositione necessaria, ejusque gradibus.*

Propositio *necessaria* illa dicitur, quæ veritatem necessariam habet, hoc est, *in qua id, quod enunciatur, aliter se habere non potest*. Hu-

jusmodi sunt præmissæ et conclusio rectæ omnis, et accuratæ demonstrationis: *Conclusio*; quia de his, quæ aliter se habere possunt, non est scientia; *præmissæ;* quia necessarium non infertur infallibilitèr nisi ex necessario. Si quando enim inferatur ex contingenti, id fortuitò accidit, eo ferè modo, quo ex falso interdùm sequitur id, quod aliundè est verum.

Tres autem sunt gradus, quibus prædicata aliqua necessariò efferuntur de subjectis. 1. De omni. 2. Per se. 3. Et universè primum. Hæc autem tria ex additione se habent ad invicem (Lect. 9. litt. b.); quo fit, ut gradus qui sequitur, sit magis necessarius, quàm qui antecedit. Undè quod *per se* prædicatur, dicitur *de omni*, et non é converso. Similitèr quod dicitur *universè*, prædicatur *per se*, et non é contrario.

De *omni* prædicatio dicitur, cum subjectum ita universale est, ut nihil sub eo contineatur, cui non *verè* et *semper* conveniat prædicatum. Utraque conditio invenítur in hac propositione: *Homo est animal rationis particeps*. Prima deficit in ista: *Homo est albus*. Secunda in hac: *Homo vigilat*. Prima itaque propositio est necessaria, duæ posteriores contingentes.

*Per se*: quatuor modis prædicatum aliquod per se tribuitur vel inest subjecto. Primò: quando prædicatur de aliquo (lect. 10. littt. a.) ejus definitio, vel aliquid in definitione positum, ut cum dicitur: *Homo est animal*, vel *est animal rationis particeps*. Hinc colliges, ea quæ sunt partes materiæ, non verò speciei, *per se* non prædicari de subjecto, quia scilicet non ponuntur in ejus definitione, non enim *digitus* v. g. ponitur in definitione *hominis*.

Secundò: *per se* prædicatur de subjecto, id quod est proprietas ejus sive accidens, non commune sed proprium: cujus ratio est, quia vera proprietas non potest essentiali definitione nisi per subjectum definiri. Sic *latrandi facultas cani per se* tribuitur, quia est proprietas, canis naturam necessariò consequens, et sine canis mentione definiri nequit. Contra; accidentia communia (ibid.) prædicantur per accidens, ut *musicum* et *album* de *animali*, quia nec ipsa ponuntur in definitione subjectorum, nec subjecta in definitione illorum.

*Tertius* potiùs est modus *essendi* per se, quàm *prædicandi* per se, unde propriè convenit substantiis singularibus sive primis, hoc est, individuis; de quibus diximus (Lib. II. cap. VIII.), quòd *neque in subjecto sunt, neque de subjecto dicuntur*. En modi hujus exempla: *Socrates est: Plato existit: Aristoteles subsistit.*

Quartò: *Per se* prædicatur de subjecto, id quod est propria et per se causa illius, cui opponitur causa minus propria et per

accidens. Ex. gr. *Titius jugulatus interiit, et dum Titius interiret, fulguravit.* In prima enunciatione *interitus* cum jugulatione propriè et per se conjungitur, quia jugulatio est propria et per se causa interitus. In secunda autem *interitus* per accidens componitur cum *fulguratione,* quia utrique accidit conjungi.

Explicuimus quatuor hos modos prædicationum *per se*, ut duo intelligas ad demonstrationis texturam maximè necessaria. *Primum est*; quòd in conclusione perfectæ demonstrationis prædicatum subjecto convenit *per se* duplici modo, (1. Post. lect. 10.) secundo, nempè et quarto. Ratio est, quia illa propositio dicitur propriè scibilis sive demonstrabilis, in qua proprietas (en secundus modus) ab essentia fluens (en quartus) prædicatur de subjecto; v. gr. *homo est capax disciplinæ.* Secundum est; quod propositio *per se nota secundùm se*, de qua toties loquuti sumus, pertinet ad primum modum. Tenet enim perpetuò D. Thomas, quod á principio Summæ dixit (1. p. q. 2. a. 1.): *Ex hoc aliqua propositio est per se nota, quòd prædicatum includitur in ratione subjecti, ut homo est animal...* Firmum igitur tibi sit, principia demonstrationis ad primum modum dicendi per se pertinere, conclusiones ad secundum et quartum. Progrediamur.

Propositionis necessariæ gradus tertius est *universè primum;* hoc est, cum *neque prædicatum invenítur extra subjectum* (lect. 11.), *neque subjectum sine prædicato.* In hoc itaque necessitatis gradu prædicatum debet esse *universale;* non eo sensu, quo Porphirius *universale* vocat quidquid prædicatur de pluribus, sed ita ut tantùm pateat, quantùm subjectum ipsum. Ut igitur aliquid prædicetur *universè primum*, tres requiruntur conditiones; prima est, ut prædicatum conveniat semper, et omni subjecto: secunda, ut insit ei *per se;* tertia, ut dicatur de illo, quatenùs ipsum est: hoc est, primò, proximè, nullaque rê mediâ. Ex. gr. cum dico, *homo est rationis particeps*, enunciatio est *universè prima*, quia *ratio* convenit omnibus hominibus semper, per se, proximè, et quatenùs homines sunt. At cum dico, *homo sentit*, enunciatio non est hujusmodi; quia *sentire* convenit quidem omnibus hominibus, et convenit semper, et convenit per se, non tamen quatenùs *homines* sunt, sed quatenùs *animalia.* Neque enim homo est primum et proximum subjectum, cui conveniat prædicatum *sentiens*, sed primum hoc subjectum est *animal.*

Hæc, quæ diximus de propositione necessariò vera, satis explicant et confirmant Demonstrationis definitionem capite præcedenti

traditam. Una enim hæc præmissarum necessitas, ut vides, sex illas conditiones in definitione expressas complectitur. Demùm ex his infertur, (quod etiam admonet Aristoteles) Demonstrationem procedere ex principiis *propriis*, et *universalibus* et *perpetuis*. Ex *propriis*, id est, non pertinentibus ad aliam scientiam, quam conditionem infra expendemus. Ex *universalibus*, quia de singularibus non datur scientia, ut sæpe dictum est. Ex *perpetuis* vel *æternis*, scilicet *negativè*, ut latè explicuimus Lib. II. cap. VII. §. 2.



# CAPUT X.

## *Diversas esse demonstrationum species.*

Postquam explicuimus definitionem demonstrationis ex materia; agendum videbatur de ea quæ est ex fine, scilicet: *Syllogismus faciens scire*. Cæterûm hoc verbum *scire*, et quæ ab eo denominantur, multis modis usurpari solent; atque hinc fit, ut *demonstrationis* quoque nomen diversæ rationis argumentationibus accommodetur. Hæc diversitas primò explicanda est, ut tollatur omnis æquivocatio, et confusio.

Alia est demonstratio *propriè* dicta, alia *communitèr* et minus *propriè*. Illa scientiam *propriè* dictam ingenerat; hæc quamcumque certam et infallibilem cognitionem. Unde solus syllogismus primæ figuræ, in quo leges omnes demonstrandi exactè servantur, est veri nominis Demonstratio. Argumentationes reliquæ tunc solum Demonstrationis nomen veluti mutuatum accipiunt, cum ex necessariis constant, et certam atque infallibilem cognitionem pariunt.

Aristoteles ipse hoc nomine eas á probabilibus syllogismis distinguit. Nam (lib. I. cap. 20. et seq.) Demonstrationem *universalem* comparat cum *particulari*, *ajentem* cum *negante*, *directam*, sive *ostensivam* cum *ducente* ad *impossibile*. Manifestum est autem, quòd nec syllogismus *incommodo urgens*, nec ille, cujus conclusio est *particularis*, aut *negans*, sive etiam *singularis*, veræ, legitimæ, et accuratæ demonstrationes sunt; quamvis certam et infallibilem veritatem ex illis hauriamus. Imò hæc argumentatio universalis, aiens, et directa; *Omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia*, non est veri nominis demonstratio, quamvis sit syllogismus necessarius, et necessariò concludens: siquidem nec definitio demonstrationis illi convenit, nec facit *propriè scire*, sed

tantùm *impropriè* ut suo loco dicetur.

Rursùs: Demonstratio ab omnibus dicitur, non solum quæ procedit á *priori*, sive per causam, sed etiam quæ concludit á *posteriori*, sive per effectum. Huic autem nullam ex duabus demonstrationis definitionibus á principio traditis, convenire apertum est. Dicendum ergo, unam tantùm esse demonstrationem á *priori*, quæ hoc nomine digna sit; siquidem illi uni conveniunt omnes conditiones et regulæ contentæ in definitione demonstrationis sumptæ ex materia, prout eam explicavimus. Unde nec demonstratio á *priori*, quæ per causam tantùm *remotiorem*, et non per *propriam* et *proximam* procedit, est perfecta, seu veri nominis demonstratio. Quid moramur? *Unius conclusionis demonstrabilis, unica potest esse demonstratio perfecta*: unica inquam, cui omnes insint conditiones ab Aristotele requisitæ. Id docet expressè P. A. (1. p. q. 47. a. 1. ad 3.) his verbis: *In speculativis medium demonstrationis, quod perfectè demonstrat conclusionem, est unicum tantùm; sed media probabilia sunt multa; et similiter in operativis.*

Reliquæ igitur probationes omnes sive argumentationes, cujuscumque sint ordinis, cum appellantur *Demonstrationes*, minus propriè et per quamdam analogiam, vel similitudinem eo nomine donantur. Et rectè hoc quidem; non enim opinionem, sed quamdam scientiam pariunt, ideoque ad confutandos Scepticos (quod est in hac disputatione præcipuum) sunt satis opportunæ.



# CAPUT XI.

## *De demonstrationibus á priori, et á posteriori.*

De hac divisione Div. Thomas: »Dicendum, *inquit* (1. P. q. 2. »a. 2.), quòd duplex est demons»tratio, una quæ est per causam, »et dicitur *propter quid*, et hæc »est per priora simplicitèr; alia est »per effectum, et dicitur demons»tratio *quia*, et hæc est per ea, »quæ sunt priora *quoad nos*." »Nihil enim prohibet (1. Post. lect. »23.) effectum quoàd nos, et se»cundum sensum esse notiorem sua »causa, licet hæc sit notior sim»plicitèr et secundum *naturam*."

Ut demonstratio á *priori* perfecta sit, causa, ex qua procedit, debet esse propria et proxima, sive immediata. En exemplum. *Omne astrum rotundum habet lumen, quod augetur in orbem; Luna est astrum rotundum: ergo lumen Lunæ augetur in orbem.* Similitèr: De-

monstratio *á posteriori*, ut legitima et perfecta dicatur, effectum proprium, proximum et immediatum debet continere. Sit exemplum: *Astrum, cujus lumen augetur in orbem, est rotundum; Lunæ lumen augetur in orbem:* ergo *Luna est astrum rotundum.*

Hæc plana sunt generatìm accepta. Verùm quæri posset: ¿Num sit Demonstratio aliqua per causam remotam, vel per effectum mediatum progrediens, quæ ab hac generali lege excipienda sit? Ante responsionem duplici distinctione opus est. *Prima*, Duplex est causa remota: altera quæ est æqualis suo effectui mediato, et cum eo reciprocatur: sic se habent *natura hominis* et *capacitas admirationis*, quæ ab ea profluit media intelligentia. Patet enim, quòd omnis homo est capax admirationis, et quidquid est capax admirationis est homo: altera, quæ est superior suo effectu mediato, cum quo proindè non reciprocatur. Sic *natura animalis* est causa remota *respirationis*: Quamvis enim quidquid respirat, sit animal; non tamen respirat animal pulmonibus carens. *Secunda* distinctio. Duplex est etiam effectus remotus. Alius ex *sola* causa designata procedit, non tamen ex *omni*; alius ex *omni*, non tamen ex *sola*. Sic *respirare* est *solius*, non tamen *omnis* animalis: *vivere* autem est *omnis* animalis, non tamen *solius*. His notatis:

Dico 1.º *Argumentationes procedentes ex causa remota, si hæc cum effectu suo mediato reciprocetur, rectè et verè possunt dici demonstrationes á priori*. Eadem enim est ratio de hoc effectu, ac de primo et proximo. Sit exemplum: *Omne animal capax intelligentiæ, est capax admirationis; Omnis homo est animal capax intelligentiæ:* ergo *omnis homo est capax admirationis.*

Dico 2.º Argumentationes ductæ ex causa remota superiori, hoc est, quæ latiùs patet, quàm ejus effectus mediatus; si affirmantes sint, nihil concludunt; si negantes, et valent et rectè appellantur demonstrationes á *priori*. Accipe exempla: *Omne animal respirat; omnis leo est animal*: ergo *omnis leo respirat.* Hæc neque demonstratio est, nec recta argumentatio; major enim est falsa, quamvis ex ea sequatur verum. *Quidquid respirat est animal; nullus paries est animal: ergo nullus paries respirat.* Hæc valet, et potest dici demonstratio, ad secundum secundæ figuræ modum, scilicet *camestres* spectans.

Dico 3.º Argumentatio ex effectu remoto, qui sequitur ex *sola* causa, non tamen ex *omni*, si sit ajens, potest dici demonstratio á *posteriori*, non verò si sit negans. Primæ exemplum: *Quidquid res-*

*pirat est animal; omnis equus respirat: ergo omnis equus est animal.* Secundæ exemplum: *Omne animal respirat; sed piscis non respirat: ergo piscis non est animal.*

Dico 4.º Argumentatio ab effectu mediato, qui oritur ab *omni* causa, non tamen ex *sola*, si sit negans valet, et est demonstratio; si affirmans, nec est demonstratio, nec valet. Exemplum prioris: *Quod non vivit non est animal; sed lapis non vivit:* ergo *lapis non est animal.* Posterioris: *Omne quod vivit est animal; sed omnis homo vivit: ergo omnis homo est animal.* Prava argumentatio, utpote verum ex falso concludens.

### COROLLARIUM.

*De Demonstratione per signum.*

De Enthymemate agentes (Lib. I. cap. IX. §. 2.) diximus, demonstrationem á signo necessario eamdem esse ac demonstrationem ab effectu. Ratio est, quia omnis effectus sensibilis est signum necessarium suæ causæ; ejus enim virtutem nobis ostendit, quæ equidem latebat, antequàm effectus produceretur. Unde S. Thomas (3. p. q. 62. a. 1.) »*Causa*, inquit, *principalis* non »propriè potest dici signum effec»tus, licèt occulti, etiam si ipsa sit »sensibilis et manifesta. Sed *causa* »*instrumentalis*, si sit manifesta, »potest dici signum effectus occulti, »eo quòd non solùm est causa, sed »etiam quodammodo effectus, in »quantùm movetur á principali a»gente." Hæc cum ita sint, quæ diximus de demonstratione á *posteriori*, sive ab *effectu*, demonstrationi huic á *signo* acommodanda sunt; de qua propterea nihil addere opportet.



## CAPUT XII.

### *De Demonstratione in orbem.*

Quæ vocatur á Logicis *Demonstratio in orbem*, modò est *regressus*, modò *circulus*. *Regressus* est argumentatio recta et utilis. *Circulus* nugatoria et inutilis. Nomen *demonstrationis in orbem* frequentiùs in malam partem accipitur, ideoquè *circulo* potiùs quàm *regressui* convenit. *Regressus* est, cum ab effectu nobis noto progredimur ad causam latentem agnoscendam, et deinceps ab ea jam cognita ad effectum regredimur, ejusque rationem per causam demonstramus. Hæc propriè dicenda est demonstratio per *regressum*.

*Circulus* est argumentatio, quæ propriè in orbem recurrit, procedit

enim á causis ad causas, ab effectis ad effecta: verbo, ab eodem ad idem, et per eamdem demonstrationis formam, sive speciem: ut si quis dicat; *Socrates est homo, quia rationalis: est rationalis, quia homo.* Hæc propriè dicenda est non demonstratio, sed argumentatio circularis, quia quamdam habet cum circulo similitudinem; nam quemadmodùm in circulo idem punctum est principium et finis lineæ, ita idem est principium et finis hujus argumentationis. Hæc est fallacia illa, quæ dicitur *petitio principii*, de qua suo loco. Eadem á Plutarco adversus Stoicos *Pistilli versatio* vocata est, de qua elegans extat Facciolati Acroasis, Theologis valdè utilis.

Quod attinet ad demonstrationem per *regressum*, hæc duo tenenda sunt. *Primum.* Nullus est circulus vitiosus, cum causa probatur á *posteriori*, vel per effectum; et deinde effectus á *priori* sive per causam. Ratio est, quia sic demonstrans non probat idem per idem: Non *idem*, quia effectus et causa non sunt idem. Non *per idem*, quia demonstratio á *priori* et á *posteriori* diversas species constituunt. Imò addere opportet, quòd scientia per hujusmodi regressum parta, cum sit una et eadem, (2. post. lect. 41.) *facit cognoscere et quia, et propter quid.* Unde rectè dixit Aristoteles, eam esse omnium exquisitissimam.

*Secundum.* Cum quatuor sint genera causarum, scilicet, *materia*, *forma*, *agens*, et *finis*, nullus est circulus vitiosus, cum una causa demonstratur á *priori* per alteram. Ratio est, quia *causæ sunt sibi invicem causæ*, ut fert axioma suo loco explicandum. Potest igitur á priori una causa demonstrari per aliam. Sic probamus, *hominem esse natum ad æternam beatitudinem, quia habet animam immortalem*: et rursùs *habere animam immortalem, quia est destinatus ad beatitudinem.* Vide igitur non probari idem per idem, cum finis per formam, et forma per finem demonstratur.

Objicies: *Cum intellectus humanus*, ut docet D. Thomas (1. p. q. 85. a. 5.), *exeat de potentia in actum, similitudinem quamdam habet cum rebus generabilibus;* sed in operibus naturæ est quidam circularis processus, nam ex *pluvia* oritur terræ mador, ex terræ madore vapores, ex vaporibus nubes, et ex nubibus iterum *pluvia:* Non est igitur reprehendenda argumentatio circularis. = Resp. verbis D. Thomæ (2. post. lect. 12. litt. b.), quòd in hoc naturæ circuitu *reditur ad primum non idem numero, sed idem specie*: ideoque reverà *regressus* naturæ est qui *circulus* videtur. Cum igitur natura numquàm in idem omninò redeat, ipsum imitata humana ratio, numquàm idem per idem ratiocinari debet. Sed de va-

rietate demonstrationum satis: ad eam quæ perfecta est, redeamus.



## CAPUT XIII.

### *De quæstionibus analyticis, sive de propositionibus, quæ possunt demonstrari.*

Quæstio omnis ad veritatem alicujus propositionis agnoscendam refertur. Si hæc veritas possit per syllogismum demonstrativum patefieri, quæstio *analytica* erit; *topica* verò, si per solum syllogismum probabilem, sive dialecticum innotescat. Hinc diversitas inter analyticas et topicas quæstiones. Demonstrantur autem non propositiones contingentes, sed necessariò veræ: Non *dignitates*, sive prima principia, quia nemo potest ea in dubium revocare, adeoque nec de illis quærere: Non propositiones per se notæ, quia quæ demonstrantur, per aliud innotescunt. Propositiones ergo propriè et perfectè demonstrabiles, de quibus quæri aut dubitari potest, sunt omnes illæ, quæ cum necessariæ sint, pertinent tantùm (ut diximus cap. IX.) ad secundum et quartum modum dicendi *per se*.

Aristoteles autem quatuor enumerat quæstionum genera, *An aliquid sit, quid sit, quale sit, et cur sit*. Siquidèm vel demonstranda est rei existentia, quæ pertinet ad quæstionem *an aliquid sit*; vel essentia, quæ pertinet ad quæstionem *quid sit;* vel proprietas sive affectio propria, quæ pertinet ad quæstionem *quale sit*; vel causa, quæ pertinet ad quæstionem *cur sit*. Duæ priores quæstiones, *an aliquid sit*, et *quid sit*, simplices dicuntur, quòd propositio, cujus veritas per eas quæritur, compositione careat, utpotè solo nomine et verbo substantivo constans; v. gr. *homo est* (2. post. lect. 1.). Duæ posteriores *quale sit*, et *cur sit* sunt compositæ, quia propositioni, per quam ipsis respondetur, aliquid tertium adjacet, ut cum dicitur *homo est albus*. Ideò hæc dicitur propositio *de tertio adjacente*, et prior *de secundo*.

Dices: ¿nonnè formulas istas *an sit*, et *quid sit* retulimus cap. III. inter prænotiones Demonstrationis? Quomodò nunc ergo analyticis quæstionibus annumeramus? Resp. Libentèr fatemur, quæstiones has simplices non posse dissolvi per demonstrationem á *priori*, quæ sola propriè dicitur demonstratio; posse tamen interdùm finiri per aliquam ex demonstrationibus minus accuratis, de quibus cap. XI. loquuti sumus. Quæstio ergo *analytica*, quam in quatuor hæc genera divisit Aristoteles, est quidquid interrogatur vel investigatur, dummodo possit patefieri per quem-

cumque syllogismum, producentem certam et infallibilem cognitionem. Si verò quæstio *analytica* sit tantùm illa, quæ solvi debeat per demonstrationem á *priori*; sic duplex tantùm est; *quale sit*, et *cur sit*. Imò hæ duæ possunt fortè ad unam revocari: *cur aliquid sit quale*. Enimverò illud ipsum, quod demonstratione á *priori* concluditur, et *conclusio* vocatur, dicitur quæstio, antequàm demonstretur et concludatur. Atqui unica conclusione respondemus interroganti *quale sit*, et *cur sit* aliquid; nam cap. IX. diximus ex D. Thoma, quòd conclusiones Demonstrationis á *priori* pertinent ad secundum et quartum modum dicendi *per se*. Possunt igitur duæ istæ quæstiones compositæ ad unam revocari.

Hæc cum ita sint, medium solvendæ hujus quæstionis quærendum nobis est: *medium* inquàm, cui subjectum et prædicatum conclusionis, á *priori* demonstrandæ, in præmissis conjungantur. Nam de hac demonstratione perfecta hoc loco tantùm agimus. In ea autem semper proprietas, sive affectio propria, de subjecto demonstratur. Quærere ergo medium demonstrationis á *priori*, idem est ac quærere causam, ob quam proprietas sive affectio propria insit subjecto. Ostendendum ergo

# CAPUT XIV.

## *Definitionem esse medium Demonstrationis.*

Habere præ oculis opportet, quæ, agentes de definitione, docuimus (lib. I. cap. IV.): ibi enim definitionem speculabamur; hìc illius in Demonstratione usus explicandus est. Definitionem igitur solùm consideramus, quatenùs est *medium Demonstrationis*. Ad hoc planè intelligendum viam nobis aperit D. Thomas, docens (1. post. lect. 13.), quòd in accuratissima Demonstratione, quæ est á *priori*, Major propositio est in *quarto* modo dicendi *per se*, assumptio in *primo*, et conclusio in *secundo*. Sit exemplum: *Omne animal rationis particeps est capax disciplinæ; sed omnis homo est animal rationis particeps:* ergo *omnis homo est capax disciplinæ*.

Observa in hoc exemplo *primo*; quòd hæc est demonstratio perfectissima, tum ratione formæ, quia est syllogismus in prima figura, tum ratione materiæ, quia prima proprietas, scilicet *capacitas disciplinæ*, demonstratur de homine per causam immediatam á qua fluit, scilicet naturam hominis, quam definitio *animal rationale* significat. *Se-*

*cundo;* nota discrimen, quod est inter propositionem *per se notam*, et eam, cujus prædicatum *per se dicitur* de subjecto. Ex his enim quæ diximus (lib. III. cap. VI.), constat, quòd propositio *per se* nota opponitur ei, quæ *per aliud* fit nota: et ex mox dictis constat etiam, quòd conclusiones demonstratæ, hoc est, *per aliud* cognitæ, pertinent ad secundum et quartum modum dicendi *per se*. Reliquum est igitur, ut omnis propositio *per se nota*, ad primum dumtaxàt modum pertineat.

Observa *Tertio*: quòd in proposito exemplo definitio est medium demonstrationis, in quantùm est causa unionis *capacitatis disciplinæ cum homine*. Ita fit, ut per dictam demonstrationem vera et perfecta scientia comparetur. Nam *propriè scire*, nihil aliud est, quàm rem per causam intelligere. *Quarto* demùm; quòd cum omnis causa sit principium, debet definitio in demonstratione haberi, non solùm ut *medium* et *causa*, sed etiam ut *principium* demonstrandi, quod jam insinuavimus cap. IV. Cum autem principium demonstrandi dicatur aliquid ex quo alia demonstret, ipsum autem demonstrari nequeat; firmitèr tenendum est, definitionem esse prorsùs indemonstrabilem. Prætereà, cum sit *medium Demonstrationis*, si ipsa quoquè demonstraretur, per aliud *medium* demonstraretur, atque ita iretur in infinitum.

Hæc certa sunt: verùm ut nihil omittamus, fateri opportet, quòd argumentis probabilibus, vel etiam demonstrationibus imperfectis possumus aliquandò, et definitionem minus accuratam ex alia omninò recta deducere, et definitionem sumptam ex causa inferiori probare, aut demonstrare per aliam, quæ ex causa superiori constituta sit. Cæterùm definitio essentialis, quæ, via et ratione mox explicandis, semèl quæsita et inventa sit, ipsa per se patet; prædicatur per se primo modo, atque in arte demonstrandi principium inconcussum est. Hæc considerare et intelligere debuerant Authores Artis Cog., antequàm (2. post. cap, 16. et alibi) definitiones Aristotelis reprehenderent, et generatim assererent, definitiones rerum numquàm accipi posse ut principia, sed tantùm definitiones nominum, atque ex istis non legitimas, quæ declarant vocabulorum significationem apud omnes receptam, vocanturque á Lugdunensibus *communes*, sed alias *arbitrarias* vel *privatas*, ut ipsi dicunt, quibus unusquisque declaret, quid sibi libeat hac vel illa voce significare, quamvis id usus communis non ferat. Recolite, quæ diximus (lib. I. cap. 6. §. 3.) de *novo terminorum abusu*, qui utique oriri potuit ex principio á prædictis Authoribus statuto. Huic certè conjecturæ ansam præbet exemplum ab eisdem allatum. *Si ego*, inquiunt,

*hanc vocem parallelogrammum sua significatione destituerem, eamque ad significandum triangulum adhiberem, nullum errorem committerem.* Transeat hic error. Verùm ex illo infertur, quòd nemo (nec Ecclesia quidem) posset judicare de tuo sensu, cum scribis aut loqueris. Sed quid agimus? Hæc penitiora sunt, quàm ut ea possit Logicus ad suum initium revocare. Lectores tamèn voluimus monitos, ut videant quantùm intersit, nè quæ diximus de *novo terminorum abusu*, é memoria unquàm excidant. Nunc investigare opportet



# CAPUT XV.

## *Quænam sit definitio in unaquaque demonstratione, ut medium adhibenda.*

Ad ferendum in hâc difficultate judicium, animadvertere necesse est, ex quatuor causis, per quas demonstrari possunt proprietates sive affectiones, quæ subjecto insunt, duas esse externas, scilicet *efficientem* et *finem*; et duas internas, scilicet *materiam* et *formam*. Hæ duæ unam constituunt, scilicet naturam subjecti, quæ proprietatum dicitur causa efficiens per emanationem. In nobis tamen forma sola (quæ est anima rationalis) quarumdam proprietatum est per se causa et subjectum, scilicet intellectus et voluntatis. Demonstratio igitur per quamcumque ex his causis potest fieri. Ex. gr. *Facultas ridendi*, quæ oritur ex tota hominis natura, demonstratur de homine per causam *internam. Eclypsis Lunæ*, quæ oritur ab interjectione terræ, per causam *externam*, scilicet *efficientem*. Mercatorum labores, qui oriuntur ab appetitu divitiarum, etiam per *externam*, scilicet *finem.*

Animadverte etiam, quòd proprietates sive accidentia propria ordine quodam suis subjectis inhærent. *Unum accidens*, ait D. Thomas (1. p. q. 77. a. 7. ad 2.), *per prius recipitur in substantia quàm aliud, sicut quantitas quàm qualitas: et hoc modo unum accidens dicitur esse subjectum alterius, ut superficies coloris.* Idem videmus in igne, in quo calor, raritas et levitas ita ordinantur, ut á natura ignis immediatè oriatur calor, á calore raritas, á raritate levitas. Idem evenit in potentiis animæ nostræ, quarum alias ex aliis oriri, omnesque ex anima, demonstrat ibidem S. Doct. ex hoc principio generali: *In his, quæ secundùm ordinem naturalem procedunt ab uno, sicut primum est causa omnium, ita quod est primo propinquius, est quodammodò causa*

*sorum, quæ sunt magis remota.* Patet ergo, quòd secunda subjecti proprietas potest demonstrari ex primâ, et tertia ex secundâ. Verumtamèn, cum demonstrationes hujusmodi possint per alias confirmari, non censentur omninò perfectæ, neque ad omnes demonstrandi leges exactæ. Unde potissima et perfectissima demonstratio illa solùm est et dicitur, quæ primam proprietatem de subjecto concludit. In hanc enim aliæ resolvuntur. Hæc per aliam non probatur. Hæc omnes leges observat. In hac sistit analysis *Posterior*, de qua cap. I. satis diximus. His suppositis.

Dico 1.° *Cum affectio aliqua, sive proprietas demonstratur de suo subjecto per causam externam, medium demonstrationis est definitio ipsius causæ.* Sit exemplum: *Quotiescumquè terra interjicitur inter Lunam et Solem, deficit lumen Lunæ; sed quando unum ex his luminaribus est in capite, et alterum in cauda draconis, terra interjicitur inter Lunam et Solem* (Vide Agnesium in Tract. de Optica Astronomiæ parte cap. x., apud Rosselli Tom. III.): ergo *dum illud contingit, deficit lumen Lunæ.* Interjectio inter Lunam et Solem, quæ est definitio causæ defectus luminis in Luna, est medium et causa conclusionis; cujus proinde cognitio est vera scientia.

Dico 2.° *Cum demonstratur causa externa per effectum, utimur effectu loco definitionis causæ.* Ita D. Th. (1. p. q. 2. a. 2. ad 2.m). Sit exemplum: *Luna dum non eclypsatur, et corpus opacum ipsi opponitur, facit umbram;* sed *nunc v. g. corpus opacum opponitur Lunæ, et tamèn non facit umbram:* ergo *nunc eclypsatur.* Hìc vides, eclypsim Lunæ absque ulla sui definitione demonstrari per effectum, qui est *non facere umbram.* Hæc demonstratio producit cognitionem certam et infallibilem, non tamèn veri nominis scientiam.

Dico 3.° *Perfectissimæ Demonstrationis medium est definitio essentialis solius subjecti.* Pone tibi ob oculos exemplum capite superiori allatum: *Omne animal rationale est capax disciplinæ* &c. illudque considerans, sic argue: Hæc demonstratio non potest in aliam resolvi, quia definitio essentialis hominis, quæ est ejus medium, est indemonstrabilis: ergo quotiescumquè idem contingat, demonstratio erit potissima et perfectissima, ex qua scientia propriè dicta orietur.

Dico 4.° *Si quando definitio proprietatis, sive affectionis demonstrandæ assumatur ut medium, demonstratio vera erit, non tamèn omnibus suis numeris absoluta:* quia opportebit prædictam definitionem ex definitione subjecti per aliam demonstrationem confirmare. Placet mutuare exemplum á Geometris,

quòd hi in suis demonstrationibus definitione prædicati frequentiùs quàm subjecti utantur. En igitur demonstrationem intellectu facillimam: *Omnis figura, habens angulum externum æqualem duobus internis sibi oppositis, habet tres angulos æquales duobus rectis; sed omnis triangulus rectilineus est figura, habens angulum externum æqualem duobus internis sibi oppositis* (ut patebit inspicienti, si aliquod ex ejus lateribus producat): ergo *omnis triangulus rectilineus habet tres angulos æquales duobus rectis.* In hac Demonstratione medium, ut vides, est; *habere angulum externum æqualem duobus internis sibi oppositis*; et hoc ipsum est definitio proprietatis demonstratæ. Si ergo hoc medium tamquàm notius addiscenti assumat á principio demonstrator, non acquiescet mens Discipuli, donec ipsi minor propositio per definitionem Subjecti demonstretur, hoc pacto: *Omnis figura tribus rectis lineis contenta, habet angulum externum æqualem duobus internis sibi oppositis*; sed *omnis triangulus rectilineus* (sic definitur) *est figura tribus rectis lineis contenta*: ergo:

Si autem quæras, cur hæc ita se habeant? facilis est et expedita responsio. *Manifestum est enim* (2. post. lect. 1. litt. g.) *quòd principia, quæ continet definitio subjecti, sunt principia passionis* (hoc est proprietatis.). *Non ergo demonstratio resolvet in primam causam, nisi accipiatur ut medium demonstrationis definitio subjecti.... Unde etiam in principio dictum est, quòd opportet præcognoscere* quid est, *non solùm de passione* (hoc est de prædicato), *sed etiam de subjecto.*

Dico 5.º *Ad probandum aliquid esse, necesse est accipere pro medio non definitionem rei, sed definitionem nominis*, seu ut loquitur D. Thomas (1. p. q. 2. a. 2. ad 2.), *quid significet nomen, non autem quod quid est.* Hujus ratio ab eo assignata brevis est et evidens. *Quia*, inquit, *quæstio* quid est, *sequitur ad quæstionem* an est.

## CAPUT XVI.

### *De investiganda et invenienda definitione essentiali.*

Condilliacus (Log. p. 2. cap. VI. Edit. Matrit. 1788. pag. 129. et seq.) ad scopum suum per cuniculos pergens, in definitiones, etiam Geometrarum, non secùs ac in abstractiones invehitur, easque ambas é medio litterarum tollere optat, quòd per utrasque (ut licet conjicere) ingens ista, quæ inter intellec-

tum et sensum est diferentia, demonstratione á *posteriori* sive ab effectu veluti digito ostendatur. Non memorat ibi callidus iste nominalis, nisi definitiones nominum; et tamèn adversus definitiones omnes, quasi furens, clamat esse inutiles, noxias, difficillimas, vix possibiles. Vehementiùs autem indignatur, cum considerat, definitionem nos principii loco habere. *Principium*, inquit, *idem est ac inceptio; si ergo omnis nostra cognitio á sensu incipit, ¿cur aliud principium cognoscendi rerum proprietates præter sensum exquiritur?* Vah! quis nisi personatus hæc auderet effutire? Addit, definitionem, si qua sit, esse id quod postremò cognoscimus; quia, ut subdit, *definitio resultat ex analysi.* Nimirùm ex analysi, quam sibi ille confinxit, ut diximus (lib. I. cap. XII. §. 2.). Ecce enim exemplum quod subdit: *Hæc definitio*: Anima est substantia sentiens, *resultat ex analysi facultatum animæ nostræ.* Quid pluribus opus est? Videtis, quò vergat peregrina hæc Condilliaci adversus definitiones doctrina.

Ex alia longè causa Philosophi quidam veteres nihil sub definitionem cadere existimabant. (2. post. lect. 15.) Dicebant enim, non posse cognosci differentiam unius rei ad omnia alia, nisi omnia alia cognoscantur. Sicut datis duobus tantùm, eorum inter se differentiam cognoscere non possumus, nisi utrumque cognoscamus. Sophisma hoc evanescet, ostensis duabus viis, quibus investigatur et invenitur definitio essentialis. De hac tantùm hìc loquimur, quòd sola sit medium demonstrationis omnium perfectissimæ. Sunt autem duæ istæ viæ, *divisio* et *collectio*. Adverte tamèn, dixisse nos in superioribus, nec singularia nec suprema genera posse definiri.

Ad inveniendam *divisione* definitionem, primum quidèm videre oportet, res definienda cujus sit categoriæ. Deinde illius categoriæ genera gradatìm accipienda, et per oppositas differentias dividenda sunt, donèc inveniatur differentia illa, quæ ita proxima sit rei definitæ, ut cum ea reciprocetur. Tunc ex hac et genere proximè diviso conficitur definitio, quæ quærebatur. Ex. gr. Definiendus sit *homo.* Statim apparet, hominem comprehendi in prædicamento substantiæ. A primo igitur substantiæ genere incipientes, descendendo progredimur usque ad *animal*, quô per oppositas differentias diviso, invenimus *rationis particeps, et rationis expers.* Tunc facilè cognoscimus, nos in hominis differentiam incidisse, quæ est *rationis particeps.* Ex hac igitur et proximo genere hominis, quod est animal, coalescit ejus definitio, scilicet *animal rationis particeps.*

Hæc peripatetica analysis, ex qua resultat definitio, fit ab intellectu,

non á sensu, sicut illa Condilliaci, qui contendit (pag. 134.) *analysim trianguli* v. gr. *posse lentè fieri ab infante*, sicque ab eo definiri. Cur non addidit posse similitèr fieri á bestia? Hæc enim parvum etiam numerum cognoscit, nam numerus est *sensibile commune*, ut diximus (lib. 1. cap. 11. §. 4.) Tædet ista refellere.

Ad inveniendam *collectione* definitionem *essentialem* alicujus speciei infimæ, primum considerare oportet, quomodò conveniant, et quomodò differant individua, quæ sub illa continentur, donèc inveniatur ratio aliqua omnibus communis: quæ ratio inventa cum fuerit, habebitur speciei infimæ quæsita definitio. Deinceps, si plures occurrant species infimæ, expendes, num illæ conveniant in aliqua ratione, quæ simplicitèr una sit, necnè? Nam si convenerint, ea erit definitio speciei mediæ, sive generis interjecti; Sin minùs, nomen, in quo fortè conveniunt, erit dictis speciebus infimis æquivocum. Recole dicta (lib. 1. cap. 9. §. 3. et lib. 2. cap. 6. §. 4.)

Totum id, quod de invenienda per *collectionem* definitione dictum est, familiari exemplo ex Philosophia morum hausto explicat Aristoteles. Quæritur magnanimitatis definitio. Nosti ex historia, magnanimos fuisse dictos Alcibiadem, Achilem, et Aiacem; Lysandrum itèm, et Socratem. Inquiris, quam ob causam magnanimitatis famam quinque isti magni viri adepti sint? Invenis tres priores propter similem rationem dictos fuisse magnanimos, scilicet, quia *æquo animo contumeliam pati non potuerunt*. Primus enim ob hanc causam bellum Patriæ intulit, alter implacabili exarsit iracundia, tertius sibi mortem conscivit. Hinc colligis, quòd definitio hujus infimæ speciei magnanimitatis est: *æquo animo contumeliam illatam ferre non posse*. Hæc definitio, magnanimitati Lysandri et Socratis non convenit. Hi enim dicti fuere magnanimi, quoniam *secundam et adversam fortunam æquo animo sustinuerunt*. Eorum ergo magnanimitas alterius speciei fuit, et ejus definitio erit: *æquum servare animum in utraque fortuna*. Si velis ultra progredi ad definitionem speciei mediæ sivè generis interjecti inveniendam: quæras oportet, num species infimæ conveniant in aliqua ratione, quæ simplicitèr una sit, necnè? Nam si convenerint, ea erit definitio quam optabas. Sic in exemplo allato duæ illæ magnanimitates hoc habent commune, quòd *circa magnos honores versantur*, et in hoc convenerunt quinque illi vocati olim magnanimi, quòd *existimabant se magnis honoribus dignos*. Hæc ergo erit definitio magnanimitatis in genere: *Ad ea tendere, quæ magno honore sunt digna.*

Adverte obitèr in hoc exemplo, quid inter Philosophum Christianum, et eum qui fide caret, intersit. Aristoteles *magnanimitatem* reputat, etiam seipsum interficere, etiam bellum Patriæ inferre; dummodò utrumque propter magni honoris appetitum fiat. D. verò Thomas appetitum ordinatum magni honoris ab inordinato distinguens, docet; (2. 2. q. 131. a. 2.) *quòd ambitio opponitur magnanimitati, sicut inordinatum ordinato.* Non ergo est vocanda magnanimitas nisi virtus illa (q. 129. a. 3.), *quæ modum rationis ponit circa magnos honores. Modum rationis* inquit; ad discernendam enim ambitionem á magnanimitate revelatio non est prorsùs necessaria. Verùm ad tenendam et frænandam rationem, et utilis et necessaria est fides catholica, ut alibi dicemus.

Antequàm hinc abscedamus, monitum te volumus, quòd methodus investigandi definitionem essentialem per *divisionem* exactior est, et naturæ ordini atque disciplinæ tradendæ convenientior, quàm per *collectionem.* Contra: Inventionis ordini *collectio* est accommodatior; nam ut annotat D. Thomas (2. Post. lect. 16. litt. d.), facilius est definire minùs universalia, quàm universaliora, quia in istis magis latent æquivocationes, quàm in illis. Scito etiam, de definitione causali nihil huic loco nos addere, quòd causæ sint loci quidam *topici*, de quibus agendum est Libro sequenti. Recole dicta lib. I. cap. XII.

# CAPUT XVII.

## *Audiendos non esse, qui demonstrandi artem tamquàm inanem speculationem respuunt.*

Non est nobis in hoc capite sermo adversùs Scepticos, similesque falsi nominis Philosophos, qui rebus evidentiam, et suis ipsis cognitionibus certitudinem denegant. Hi omnes, cum scientias nolint, artem quoque et artefacta, quibus illæ comparantur, absdubiò contemnunt. Nunc tamèn in illos non agimus; sed hypercriticos quosdam aggredimur, qui plus nimio interdùm sibi indulgent, dum corruptas disciplinas persequuntur. Et quidem Ludovicus Vives, de quo acutissimè dixit Canus noster, quòd *in tradendis disciplinis elanguit, cum in carpendis erroribus viguisset*, demonstrandi regulas, quas huscusquè ex Aristotele explicuimus, coarguere et convellere pertentat (De caus. corrupt. Art. lib. 3. c. 3.) *maximo quidem verborum ambitu*, ut ejusdem Cani verbis utar, *sed*

*vi argumentorum minima.* Aristotelicam etiam demonstrandi artem malédico dente carpunt celeberrimi inter vetustiores Scholæ Peripateticæ inimicos, Patritius, Ramus, et Nizolius, de quibus conqueritur Facciolatus (in notis ad cap. XIX. P. 3.)

Horum omnium injusta adversus Aristotelem accusatio una est: Quòd scilicet ejusmodi demonstrationem commentus sit, cujus exemplum inveniri neque apud ipsum, neque apud alios possit. Existimant enim, demonstrandi leges et regulas ab eo traditas, et á nobis expositas, nec servari posse omnes, neque ad usum redigi. ¿ Unde verò occasionem sumunt morosi isti censores ad suadendum ignaris hanc criminationem? Ex demonstratione illa *perfectissima*, quam et nos sæpiùs memorabimus, et ad quam struendam regulæ et leges omnes hujus artis collimare oportebat. Contemnenda igitur eorum expostulatio: quamvis enim nullum afferri posset exemplum *perfectissimæ* demonstrationis, non tamen idcircò reprehendendus Aristoteles esset. Nam *quidquid est*, inquit Cicero, (in Orat. cap. 2.) *de quo ratione et via disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum.* Sicut ergo qui artes mechanicas docent, artefactum omnibus suis numeris absolutum addiscentibus offerunt, non ut statim ejus perfectionem imitatione assequantur, sed ut ad eam assequendam conentur, ita Aristoteles regulas omnes *perfectissimæ* demonstrationis diligentèr exposuit, ut suus logicus, vel perfectè demonstraret, vel ad id pro suis viribus quamproximè accederet.

Verùm cum Aristarchis istis (quorum satiræ et eloquentia, si quid suaderent in hac parte, scepticismum suaderent) disputandum videtur, sicut Diogenes cum Zenone disputabat; ostendendo scilicet factis et non verbis, quantùm á vero aberrent. Ecce igitur perfectissimæ Demonstrationis exemplum á Facciolato propositum: *Quæcumque habent insitam vim contrariorum perpetuò inter se pugnantium, necesse est aliquandò dissolvi; omnia mixta hábent ínsitam vim contrariorum perpetuò inter se pugnantium: necesse est igitur omnia mixta aliquandò dissolvi.* Illa quoque perfectissima est: *Omne animal rationis particeps est capax disciplinæ; omnis homo est animal rationis particeps*: ergo *omnis homo est capax disciplinæ.*

Atque ut generatìm loquamur, accuratissima Demonstratio et omnium perfectissima, ut insinuavimus cap. XIV., censetur illa, in qua *prima proprietas demonstratur de subjecto per ejus definitionem essentialem.* Hæc enim sola est, cujus præmissæ sunt simplicitèr, hoc

est, omni modo et sensu *veræ, primæ, immediatæ, notiores, priores et causæ conclusionis*, ut liquet ex dictis (cap. VIII.). Hinc facilè intelligitur, quare dixerimus cum D. Thoma: (cit. cap.) unius conclusionis unicam tantùm esse Demonstrationem perfectam.

Demonstrationi á causa interna affinis maximè est quæ petitur á causa externa, dummodò hæc causa sit proxima et immediata. Hujus exemplum est illa, quæ demonstrat defectum luminis in Luna (cap. XV. Dico 1.o) ex interjectione terræ inter ipsam et Solem. Hæc vera etiam et perfecta Demonstratio est; nam et perfectam scientiam parit, et illi propriè convenit Demonstrationis definitio. Cæterùm causa externa non est ita prima et immediata subjecto, sicut interna; ideoquè si hæc demonstratio ad priorem comparetur, imperfectior censenda est.

Ceteræ demonstrationes, de quibus diximus cap. X., et quarum exempla adduximus cap. XI., præmissis constare solent, quæ propositiones equidèm necessariæ sunt, (Vid. cap. IX.) carent tamen aliqua ex sex conditionibus, quæ *perfectissimæ* Demonstrationis præmissas comitantur. Ut ergo dignoscas, quænam sit uniuscujusque illarum vis, efficacia, et perfectio; pensandum est, quot et quæ conditiones illi desint: hoc est, comparandæ sunt cum Demonstratione *accuratissimâ*, et quò propiùs ad eam accedant, eò perfectiores erunt, aptioresque ad scientiam ingenerandam.

Obmutescant igitur, qui, nè veritates, quas audacter negant, ab aliis demonstratas, audiant vel intelligant, *artem demonstrandi* vel prorsùs eliminari volunt, vel saltèm é gradu dejicere conantur. Vos Juvenes, quibus Summa S. Thomæ manibus versanda est, rectas et perfectas Demonstrationes (expertis credite) toties in ea invenietis, quoties conclusio, quam sibi probandam statuit, per rationem naturalem demonstrabilis sit: hoc est, quoties spectet ad secundum vel quartum modum prædicandi per se. Nos autem demonstrationis naturam et usum satis exposuimus. Duo supersunt ex his, quæ cap. I. promissimus, brevitèr expedienda: Scientia, ejusque ad alios mentis nostræ habitus comparatio.

## CAPUT XVIII.

### *De scientia adversus Scepticos, Dogmaticos, et Platonicos.*

Principio explicanda est prima il-

la Aristotelis definitio: *Demonstratio est syllogismus faciens scire*. Diximus cap. x., verbum *scire*, et ab eo denominata, ut *scientia*, multis modis usurpari. Vulgò vocantur *scientiæ* Doctrinæ et Disciplinæ omnes, quibus in Academiis sive Scholis datur opera: ita tamèn ut *Doctrina* dicatur (1. Post. lect. 1.) actio ejus, qui scientiam docet; *Disciplina* verò receptio scientiæ ab eo, qui addiscit. Non est nobis sermo de scientiis hoc modo acceptis; nam earum consideratio non ad Logicam, sed ad Methaphisicam tantùm spectat. Hujus IV. Libri institutum est, agere dumtaxàt de scientia illa, quam vel debellant *Sceptici*, contendentes nihil sciri posse; vel subvertunt *Platonici*, qui nihil sciri putant, nisi per reminiscentiam; vel prostituunt *Dogmatici*, sic nuncupati, quia nihil esse de quo scientia haberi non posset, arbitrabantur. *Videtur quibusdam*, ait Div. Thomas (1. Post. lect. 7.), *quòd nullius rei sit scientia; Quibusdam autem videtur, quòd sit scientia, et quòd omnium possit haberi scientia per demonstrationem. Neutrum autem istorum est verum.*

Addit deinceps S. Doctor, quòd hoc *Dogmaticorum* delirium videtur esse signum, vel *multæ stultitiæ*, ex qua provenit, quòd homo nesciat discernere inter facilia et difficilia; vel *magnæ præsumptionis*, ex qua contingit, quòd non cognoscit mensuram facilitatis circa inquisitionem veritatis. Platonicorum reminiscentia lib. II. cap. II. funditùs eversa est. Quod ad Scepticos attinet, eorum sententia (injuria utique animæ rationali, ad imaginem Dei factæ) á nobis sémel et iterùm impugnata est. Nè igitur actum agamus, (quod vetamur veteri proverbio) tribus tantùm argumentis, hujus loci propriis, utimur brevitèr contra illos.

Primum: Demonstratio parit scientiam; atqui est Demonstratio non modo minus perfecta, sed etiam perfectissima: ergo scientia est non modò minus perfecta, sed etiam perfectissima.

Secundum: Ad evertendam scientiam, vel certa et evidens ratio præstò est Scepticis, vel nulla. Si nulla, imprudentèr agunt, neque proindè audiendi sunt: Si aliqua, ergo aliqua est evidens ratio, quæ certam et evidentem cognitionem parit.

Tertium: Qui scientias negant; vel sciunt, quid sit scire et nescire, vel id etiam nesciunt. Si sciunt; ergo saltèm hoc sciunt: si nesciunt, quomodò scientias negant?

Eorum sophismata non moramur, quòd jamdudum á nobis diligentèr detecta, et refutata sint.

# CAPUT XIX.

## *Quid et quotuplex sit scientia?*

Ex diversis demonstrandi modis, quos cap. x. explicuimus, facilè intelligitur diversitatem quoque agnoscendam esse in demonstrationum omnium effectu, qui est scientia. Sicut ergo alia est demonstratio perfectissima, alia minùs perfecta; ita est, et *perfectissima scientia*, quæ per demonstrationem accuratissimam comparatur; et *scientia communis*, sive *communitèr dicta*, quam demonstrationes minùs accuratæ pariunt. Ita distinguimus et ita loquimur; quia, ut est apud D. Thom., (2. 2. q. 9. a. 2.) *In his in quibus aliquid est perfectissimum, nomen commune generis appropriatur his, quæ deficiunt á perfectissimo.* Utraque autem hæc scientia philosophiam Dogmaticorum, Scepticorum, et Platonicorum impetit, ac evertit. Ideò utriusque natura et vis á Logico dignoscenda est.

*Scientia perfectissima* sic ab Aristotele definitur: *Cognitio rei per causam, et quod illius est causa, et quod aliter se habere non potest.* Tres igitur requiruntur ad scientiam omninò perfectam conditiones. *Prima*; ut cognoscatur rei causa; *causa* inquàm, in cognoscendo simul et essendo (Cap. VIII.). *Secunda*; ut cognoscatur tamquàm *causa*, hoc est, quatenùs applicata. *Tertia*; ut cognoscatur tamquàm *causa necessaria*, ita ut unio extremorum conclusionis non possit, nisi á medio in præmissis adhibito, provenire.

*Scientia communis*, sivè *communitèr dicta*, est *cognitio certa et evidens rei necessariæ per demonstrationem acquisita.* Per *certitudinem* ab opinione differt, quæ est assensus vacillans. Per *evidentiam* á fide, quæ obscuritate non vacat. Per *rei necessitatem* á prudentia et arte, quæ in singularibus et contingentibus etiam versantur. Per *demonstrationem* deniquè distinguitur ab intelligentia, quæ est cognitio principiorum et dignitatum, ipsa per se perspicua. Exempla utriusque scientiæ ex cap. x. et XI. petenda sunt.

Ex his infertur, utramque hanc scientiam (non loquimur de habituali) esse actum mentis nostræ, quô firmitèr assentimur propositioni necessariò veræ. Porrò tres veritatis gradus in propositionibus observantur. Aliquando enim inter propositionis terminos clarè perceptos relucet connexio omninò necessaria; ita ut contraria propositio ne cogitari quidem possit. Aliquando verò necessaria dumtaxàt secundùm communem naturæ cursum et ordinem; aliquando demùm necessaria in pluribus, non

verò in omnibus. Hinc triplex certitudo. *Metaphysica*, *physica*, *et moralis*. *Methaphysica* est, cum impossibile est subjectum esse aut concipi sine prædicato. Sic certum est: *Hominem esse animal rationis particeps: Totum esse majus sua parte.* Hæc certitudo dicitur etiam *mathematica*, quia in mathematicis potissimùm reperitur. *Physica* est, cum prædicatum non potest non convenire aut repugnare subjecto, servato ordine causarum naturalium, quamvis aliter cogitari, imò evenire possit per facultatem supernaturalem. Sic certum est, *Hominem semel extinctum vivere iterùm non posse*. *Moralis* demùm certitudo est, quando connexio prædicati cum subjecto, vel more et consuetudine fulcitur, vel regularitèr et ut in plurimum invenitur. Sic certum est, *dies æstivos esse siccos et calidos; vernales pluviosos et temperatos; hyemales frigidos*.

Tres isti certitudinis gradus, quos per reflexionem in intellectu nostro esse cognoscimus, possunt facilè rerum ipsarum veritati et evidentiæ tribui, et accommodari. Quis verò eorum, inquies, ad scientiam requiritur? R. quòd si nomine *scientiæ* intelligas eam, de quâ nunc agimus, scilicet *assensum præstitum conclusioni demonstratæ*, hunc aimus comitari debere certitudinem, veritatem, et evidentiam *methaphisicam*, si fieri possit; sin minùs *physicam*. Si autem inquiras de scientiâ, prout est *Disciplina* sivè *Facultas* ambiens conclusiones, demonstrationes, principia, et cetera sciendi instrumenta sibi propria, audi responsionem Ang. Præceptoris: (1. 2. q. 96. a. 1. ad 3.m) »Dicendum, *inquit*, quòd non est eadem certitu»do quærenda in omnibus, ut in 1.° »Ethic. dicitur: unde in rebus con»tingentibus, sicut sunt naturalia, »et res humanæ, sufficit talis certi»tudo, ut aliquid sit verum, ut in »pluribus; licet interdùm deficiat in »paucioribus. Et ideò (sic 1. Eth. »lect. 3.) auditor benè disciplinatus »non debet majorem certitudinem »requirere, nec minori esse conten»tus, quàm sit conveniens rei *de* »*qua agitur*."



## CAPUT XX.

### *In quo Scientiæ, quarum altera alteri subjicitur, inter se comparantur.*

Præter expositam scientiæ divisionem, in *perfectissimam* et *communem*, nullam aliam hujus loci propriam agnoscimus, nisi eam, cujus supra cap. IV. meminimus; hoc est, in *subalternantem* et *subalternatam*. Improprias hujusmodi voces in sum-

ma D. Thomæ non invenimus. Contra: distinctionem scientiarum, quarum altera alteri subjicitur, sic nitidè explicat (1. p. q. 1. a. 2.): »Sciendum, *inquit*, quòd duplex »est scientiarum genus. Quædam e»nim sunt, quæ procedunt ex prin»cipiis notis lumine naturali intel»lectus, sicut Aritmetica, Geome»tria, et hujusmodi; quædam verò »sunt, quæ procedunt ex princi»piis notis lumine superioris scien»tiæ, sicut Perspectiva procedit ex »principiis notificatis per Geome»triam, et Musica ex principiis per »Aritmeticam notis."

Sed dices: Nonnè lex analytica est, ut demonstrationum præmissæ medio careant? Itemque ut non sint communes, sed propriæ scientiæ illius, in qua ad demonstrandum adhibentur? Ita sanè. Intelligendum est autem, quòd utraque hæc lex verè aliquomodo servatur in scientia *subalternata*, sive alteri subjecta. Non enim est omninò idem subjectum, de quo demonstrantur proprietates in utrâque scientia; siquidèm subjectum, sive objectum scientiæ inferioris includit affectiones aliquas, á quibus abstrahitur subjectum sive objectum superioris. Ex. gr. Geometriæ objectum est *linea solùm in communi*; Perspectivæ verò *linea visualis*. Similiter: Musica demonstrat *de numero sonoro*; Aritmetica autem *de numero solùm in communi*. Propositiones ergo, quæ utrique scientiæ deserviunt, videntur communes, et reipsâ sunt propriæ scientiæ *subalternatæ*, sive inferioris. Dicuntur *communes*, quatenùs versantur circa idem genus subjecti. Sunt *propriæ* scientiæ inferioris, quia solùm possunt intelligi de ejus subjecto: quamvis enim, quod convenit generi, conveniat etiam speciei, non tamèn omne, quod prædicatur de specie, potest prædicari de genere, ut dictum est (Lib. 2. cap. VI. §. 4.). Hinc etiam exponi potest, quomodò verum sit, præmissas, quibus utitur in suis demonstrationibus scientia *subalternata*, esse *primas* et *immediatas*. Nimirùm: hæc conditio illis convenit non *simplicitèr*, sed *secundùm quid*: id est, relatè ad scientiam, ad quam pertinent. In ea enim non probantur, sed sunt vera principia. Nam Postulata quædam posse accipi ut principia, satis explicatum est capit. VII.

Alia est hìc difficultas nobis obitèr tollenda. Cum evidentia sit de ratione scientiæ, videtur, inquies, quòd si Musicus v. gr. assentiatur principiis hujus scientiæ dumtaxàt propter auctoritatem Magistri; non habeat veram scientiam, sed tantùm opinionem in fide humana fundatam. Ad hoc dicimus, quòd neque in hoc casu deficit omninò evidentia Musicæ. Non enim oblivisci oportet quæ de evidentiâ diximus in calce II. Lib.; eam scilicet esse mo-

dum quemdam afficientem *veritatem rei*, potiùs quàm *veritatem cognitionis*. Itaque conclusiones Musicæ sunt evidentes, sicut et ipsius principia. Accidit autem huic evidentiæ, quòd non cognoscatur ab aliquo; sicut etiam accidit, quòd propositiones *per se* notæ solis sapientibus non sint idiotis per se notæ. Sicut ergo veræ demonstrationes sunt, veræque scientiæ, quæ procedunt ex propositionibus per se notis solis sapientibus; ita veræ demonstrationes fiunt in scientiâ *subalternatâ* sive inferiori; et hæc vera scientia censenda est, quamvis alicui accidat, propositionum ejus evidentiam non cognoscere. Quidam aliis vocibus idem explicant. Nam evidentiam *rei* vocant evidentiam *radicalem*, et evidentiam *cognitionis* evidentiam *actualem*. Adde, nos non contendere, quòd scientia *subalternata* sit scientia perfectissima. Satis fuerit eam numerari inter eas, quibus secunda scientiæ definitio convenit.

Quæres: num omnes scientiæ subjiciantur Methaphysicæ eo modo, quo scientiæ, quæ vocantur *subalternatæ*, aliis subjiciuntur? Resp. negativè; quia in plerisque scientiis propria principia sunt ita clara, evidentia et immediata, ut nulla egeant directâ demonstratione ex rebus methaphysicis desumpta. Hujusmodi sunt in Geometria: *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*: et in Physicâ: *omnis motus debet fieri inter duos terminos á quo, et ad quem*. Sed de his satis. Tempus est, ut cæteras mentis affectiones cùm scientia comparemus. Porrò ex his affectionibus sive habitibus, aut dispositionibus intellectus, quidam scientiæ é regione opponuntur, quidam certitudine et evidentia ipsam superant, quidam vel certitudine, vel evidentia, vel utrâque carent. Itaque tria restant capita, ut Liber iste concludatur.



## CAPUT XXI.

### *De Nescientia, Ignorantia, et Errore.*

Intellectus nostri dispositiones scientiæ oppositæ vocantur ab Aristotele ignorantia *negationis*, et ignorantia *pravæ affectionis*. Nobis clariora et propriora videntur nomina simplicia, quibus eas D. Thomas designat: *Nescientia*, *Ignorantiá*, *Error*. Prima opponitur scientiæ *negativè*: secunda *privativè*: tertia *contrariè*. »Ignorantia, *ait*, (1. 2. »q. 76. a. 2.) in hoc á *nescientia* »differt, quòd *nescientia* dicit sim»plicem scientiæ negationem: unde »cuicumque deest aliquarum rerum »scientia, potest dici nescire illas.... »*Ignorantia* verò importat scientiæ

»privationem, dum scilicet alicui »deest scientia eorum, quæ aptus »natus est *scire*." Hactenùs ibi S. D. Superest affectio quædam intellectus, quæ scientiæ per contrarietatem opponitur. Hæc est *error*, seu deceptio, sive falsitas judiciorum nostrorum, de qua egimus (toto cap. VII. lib. III.). De his tribus sequentia videntur hujus loci propria.

*Nescientiæ* exemplum est homo, cui deficit aliquis sensus; huic enim *necesse est*, (1. post. lect. 30.) *quòd deficiat scientia propriorum sensibilium illius sensus;* non tamèn sensibilium *communium*, verb. gr. magnitudinis vel numeri: horum enim notitia, sive ideæ, beneficio aliorum sensuum possunt ad intellectum pervenire. Verùm cæcus natus ex. gr. nec potest sibi formare propositiones universales, quarum subjectum sit color (ut sunt conclusiones Opticæ), nec potest cognoscere, quid sint subjectum et prædicatum principiorum ejusdem scientiæ. Primum non potest, quòd non queat abstrahere universale á singulari, ut liquet ex dictis (lib. I. cap. II). Secundum non valet, quia sensus et experientia sunt necessaria ad assentiendum primis principiis, ut docuimus (cap. VI. §. I.). Nescientia hæc caret omni culpa. Unde Div. Thomas (2. 2. q. 10. a. 1.) docet, infideles illos, qui nihil audierunt de fide, damnari quidèm propter alia peccata; non tamèn propter infidelitatem negativam, hoc est, propter solam *nescientiam*.

*Ignorantia* eorum, quæ quis *tenetur* et *potest* scire, semper est culpabilis. Unde (Cor. 1. cap. 14.) *Si quis ignorat, ignorabitur:* hoc est, si quis legem Christi scire non curat, numquàm inter servos Christi agnoscetur. Eorum verò ignorantia, quæ quis *potest* et *non tenetur* scire, modò ex ignavia non oriatur, non solùm reprehendenda non est, sed etiam interdùm laudanda. Docet enim D. Augustinus (in Enchirid. cap. 17.), *Meliùs esse quædam nescire quàm scire; ut vilia.* Quæ verba exponens S. Thomas, (1. p. q. 22. a. 3. ad 3.$^{m}$) hæc subdit: *Nobis meliùs est non cognoscere mala, et vilia; in quantùm per ea impedimur á consideratione aliquorum meliorum, quia non possumus simùl multa intelligere; et in quantùm cogitatio malorum pervertit interdùm voluntatem in malum.*

*Error* vel opponitur intellectui principiorum, vel scientiæ, vel opinioni. Postremus est falsa opinio, ad partem Logicæ *Topicam* spectans, et proveniens á syllogismo, vel deficiente in forma syllogistica, quæ computatur inter locos communes, vel constante propositione aut assumptione falsâ in materia contingenti. *Error*, qui scientiæ propriè opponitur, procedit á Syllogismo, cujus ambæ præmissæ, aut saltèm aliqua ex illis, est falsa in materia

necessaria. Unde *non peccat in forma* (1. Post. lect. 27. lit. c), *sed solùm in materia;* et vocatur á Div. Thoma *parallogismus disciplinæ.*

De errore, qui principiorum intelligentiæ opponitur, præter dicta (cap. v. et vi.) placet adducere, quæ in hunc locum Aristotelis profert D. Thomas (ibid. litt. a.). Quidam, *inquit*, principiis contradicunt, *velut* rationibus persuasi; alii verò non *quasi* ratione persuasi, sed propter *ineruditionem* vel *pertinaciam.* Priùs autem admonuerat, quòd *opposita primis principiis non cadunt sub apprehensione:* et quòd nemo potest ea *opinari interiùs in mente; potest tamèn eis contradicere secundùm vocem, et secundùm quamdam falsam imaginationem.* Hæc studentibus nostris repetenda sunt, donèc altè animo hæreant.

## CAPUT XXII.

### *De discrimine inter Sapientiam, Scientiam, et Intellectum.*

Nulla vox est in orbe disciplinarum, quæ plura significet quàm *sapientia.* Cum scientia ad fastigium pervenit, nobilius nomen induit, et vocatur *sapientia.* Nam et Logicus, et Physicus, et Mathematicus, si maximè excellat, *sapiens* dicitur. Interdùm *sapientia* est cumulus quidam multorum habituum, et perfecta plurium disciplinarum comprehensio, cujus studium jure vocatur *Philosophia.* Hoc sensu dixit Cicero (Lib. 2. de Offic. cap. 2.): *Sapientiam* esse *Rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientiam.* Sæpe etiam tribuitur hoc nomen et Methaphysicæ, et Prudentiæ, et uni ex septem Donis Spiritus Sancti: quô triplici sensû nonnihil de *Sapientia* diximus (Lib. 3. cap. vii. §. 6.), quoniam triplici hoc sensu ad veri judicium confert. Nunc tantùm de *Sapientia* loquimur, prout est virtus intellectualis, sive ipsa Methaphysica. Similiter nomen *intellectus* hìc non sumitur pro mente sive potentiâ, qua intelligimus et ratiocinamur; sed tantùm pro habitu principiorum, de quo sæpiùs loquuti sumus.

Sapientiæ et Intellectus cum Scientia comparationem nemo dilucidiùs explanavit, aut veriùs, quàm Div. Thomas (1. 2. q. 57. a. 2.), cujus proindè verba memoriæ commendare oportet. »Verum, *inquit*, »est dupliciter considerabile. Uno »modo sicut *per se notum*, alio »modo sicut *per aliud notum.* Quod »autem est *per se notum*, se habet »ut principium, et percipitur statim »ab intellectu; et ideò habitus per-

„ficiens intellectum ad hujusmodi „veri considerationem vocatur *In*„*tellectus*, qui est habitus princi„piorum."

„Verum autem, quod est *per a*„*liud notum*, non statim percipitur „ab intellectu, sed per inquisitio„nem rationis; et se habet in ratio„ne *termini*. Quod quidem potest „esse duplicitèr. Uno modo ut sit „*ultimum* in aliquo genere; alio mo„do ut sit *ultimum* respectu totius „cognitionis humanæ. Et quia *ea*, „*quæ sunt posteriùs nota quoàd* „*nos*, *sunt priora et magis nota se*„*cundùm naturam*, ut dicitur in 1. „Phys.; ideo id, quod est ultimum „respectu totius cognitionis huma„næ, est id, quod est primum, et „maximè cognoscibile secundùm na„turam. Circa hujusmodi est *Sa*„*pientia*, quæ *considerat altissimas* „*causas*. Unde convenientèr *judi*„*cat et ordinat de omnibus*; quia „judicium perfectum et universale „haberi non potest, nisi per resolu„tionem ad primas causas. Ad id „verò, quod est ultimum in hoc „vel in illo genere cognoscibilium, „perficit intellectum *Scientia*: et „ideò secundùm diversa genera sci„bilium sunt diversi habitus scien„tiarum, cum tamèn sapientia non „sit nisi una:" scilicet Methaphysica.

Addit deinceps (in Resp. ad 2.$^{m}$), quòd *scientia dependet ab intellectu, sicut á principaliori; et utrumque dependet á Sapientia, sicut á principalissimo.* Et rationem suddit; quia (Sapientia) *sub se continet et intellectum, et scientiam, ut de conclusionibus scientiarum dijudicans, et de principiis earumdem.* Itaque Sapientia dignitate *prima* est virtutum intellectualium: Intelligentia principiorum *secunda*; Scientia *postrema*.

Operæ pretium est admonere nostros hoc loco, ea, quæ docet hìc D. Thomas de Sapientia naturali, quæ est Methaphysica, pleno jure convenire Theologiæ, quæ est verissima Sapientia, complectens non solùm ea, quæ de Deo et de his, quæ á nobis agenda sunt, ut ipsi placeamus, per rationem humanam investigari possunt, hoc est, Methaphysicam ipsam; sed etiam plura alia, quæ nobis solùm per revelationem divinam innotescunt. Hinc est, quòd judicium sapientiæ naturalis á Philosopho Christiano non est habendum ut supremum, sed ut reformabile á Theologia; ideoquè semper ad ejus tribunal deferendum: nec veremur, sensu accommodatitio utentes, hanc propositionem proferre: *Summa D. Thomæ, proindequè vera Theologia, destruit omnem altitudinem, extollentem se adversus scientiam Dei,* (2. Corinth. 10.) *et docet in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi.* De hoc alibi opportuniùs.

# CAPUT XXIII.

## *De Opinione, Suspicione, Dubitatione, Fide humana et Solertia.*

Quotiès intellectus plenam veritatis cognitionem per certitudinem evidentiæ non assequitur, irrequietâ cogitatione deliberat, quam contradictionis partem sibi expediat amplecti. Hinc *Dubitatio*, *Suspicio*, *Opinio*, et *humana Fides* oriuntur. (De Fide Divinâ non loquimur, quia supponendum est, eam esse simplicitèr certiorem 2. 2. q. 4. a. 8. sapientia, scientia et intellectu.) Ratio divisionis apud D. Thomam (ibid. quæst. 2. a. 1.) est hæc: Cum deest evidentia; vel actus mentis in neutram partem inclinat, sicut accidit *dubitanti*; vel in alteram magis declinat, sicut accidit suspicanti et opinanti. *Suspicanti* quidèm, cum levi aliquo signo dumtaxàt trahitur; *opinanti* verò, quando uni parti adhæret cum formidine alterius oppositæ. Tres igitur sunt mentis affectiones, in quibus cogitatio nostra firmâ assensione caret. Addatur *Fides*, quæ habet firmam adhæsionem ad unam partem, et tamèn ejus cognitio est inevidens et obscura; et quatuor erunt cognitiones inevidentes sive obscuræ, quas sic definimus.

*Opinio* est imbecilla assensio ob motivum probabile, cum metu partis adversæ conjuncta: *Suspicio*, propensio assensus ad alteram contradictionis partem, ex levi signo sive conjectura ortâ: *Dubitatio*, cognitio utriusque partis, absque determinatâ assensus inclinatione ad ullam: *Fides humana* demùm est etiam cognitio certa et firma, sed inevidens et obscura.

Cum autem nihil *sufficientèr* moveat intellectum, nisi proprium ejus objectum, quod est verum, vel per seipsum cognitum, ut prima principia, vel per aliud cognitum, ut conclusiones, quarum est scientia; (ibid. q. 1. a. 4.) numquàm inclinaretur intellectus ad assentiendum his, quæ neutro ex istis modis sunt evidentia, nisi *per quamdam electionem voluntariè declinaret in unam partem, magis quàm in aliam.* Quatuor igitur prædictæ dispositiones sive habitus in nobis numquàm essent, nisi ad eas edendas vinceretur intellectus per motionem voluntatis. Non quòd voluntas intellectui adferat lumen aliquod, quo obscuritas et inevidentia rei opinatæ vel creditæ depellatur; sed hoc fit, quatenùs ex affectu et adhæsione voluntaria ad conclusionem, nec *per se* nec *per aliud* notam, hæc nobis convenientior et melior apparet; eo ferè modo quo

diximus, *irato videri bonum, quod non videtur quieto.* Sic immutata propositio, vel assensum debilem ab intellectu extorquet, cum motio voluntatis est debilis, et tunc est *opinio;* vel firmum, cum est firma et efficax, et tunc est *fides.* Recole quæ diximus Lib. Superiore. Ex his notionibus facilè solvuntur quæstiones duæ, quæ nihil difficultatis habent, si subtilitatibus exuantur. Itaque

Petes 1.º *Opinio potest nè consistere cum scientia?* R. quòd actus opinionis numquàm potest esse aut fieri actus scientiæ; neque hic actus potest cum illo consistere: hoc est, numquàm contingit, omninò idem simul sciri et opinari: non enim possumus simul existimare, rem non posse et posse aliter se habere. Verùm cognitio habitualis, quæ á principio fuerat opinio, potest demùm esse et fieri scientia. Ex. gr. Cognoscat quispiam veritatem hujus conclusionis, *Necesse est, omnia mixta aliquandò dissolvi,* primò quidem per rationem probabilem, deinde verò per demonstrationem perfectam. Tunc cognitio est eadem genere, est enim ejusdem veritatis; sed ab initio fuit opinio, et tandèm est scientia. Quare? quia formido et inevidentia opinionis dissipantur á certitudine et claritate scientiæ advenientis. Tunc ergo ex opinione remanet, non formido, per quam differt á scientia, sed cognitio, quâ cum ea convenit. *Opinio ex Syllogismo dialectico causata,* aït Div. Thomas (3. p. q. 9. a. 3. ad 2.) *est via ad scientiam, qua tamèn adquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum: quia ille, qui cognoscit causam, magis potest cognoscere signa probabilia.* Cognoscere hæc signa probabilia non est opinari, sed reflectere, quòd conclusio de qua agitur, non solùm est demonstrabilis, sed etiam probabilis.

Petes 2.º *Opinio potest nè simul esse cum fide humana?* Ante responsionem sciendum est, quòd opinio et fides humana solùm differunt penès perfectum et imperfectum, sicut vir et puer. Utraque est cognitio obscura et inevidens; sed assensus, qui est in opinione, debilis est et titubans; qui verò in fide, etiam humanâ, est firmus et fixus. Ad utramque assensionem requiritur, ut diximus ex S. Thoma, *electio voluntaria*; cæterùm voluntas, fidem hanc imperans, totis viribus ad trahendum intellectum utitur; cum verò opinionem ab eo extorquet, suaviùs et moderatiùs præcipit. Utraque hæc mentis nostræ affectio argumentis probabilibus gignitur, fides tamèn solâ auctoritate nititur, et opinio ex signis probabilibus, sive ex aliis locis topicis procedit.

Quamquàm, ut verum fateamur, sempèr fidem comitatur ex parte

intellectus persuasio aliqua, sive rationabilis, sive apparens; quæ tamèn imperium voluntatis subsequi, non præcedere solet. Ex nimio enim affectu voluntatis facilè finguntur aliquæ persuasiones, quibus magis vel minùs adhæret intellectus, secundum quòd magis vel minus afficitur voluntas. Interdùm etiam auctoritati annectitur ratio, quæ certam cognitionem parit. Sic qui Americam non viderunt, certò credunt et cognoscunt, eam esse, non ex sola auctoritate, sed quia impossibile reputant, innumeros homines, qui Americam se vidisse testati sunt, ad id fingendum in unum convenisse. Assensio ergo á nobis præbita huic propositioni: *America est*, cum nullam exigat electionem voluntatis, scientiæ affinior est, quàm opinioni, aut fidei humanæ. His expositis:

Dicendum ad petitionem, quòd actus opinionis propriè dictæ non potest esse simul de eadem re, cum actu fidei humanæ: alioquin in intellectu, assentiente uni parti contradictionis, esset et non esset formido partis oppositæ. Cæterùm assensus habitualis, qui á principio est opinio, poterit esse fides, si auctoritate, quæ voluntati placeat, firmetur et roboretur: Tunc enim evanescet formido partis oppositæ, et deponet intellectus suam incertitudinem. Diximus *si voluntati placeat;* nam si auctoritas displicet; nec fidem, nec assensum ullum ab intellectu assequetur. Si satis non placet, tunc voluntas assensum debilem, et non firmum imperat; adeoque intellectus non verè credet, sed tantùm opinabitur.

Hæc omnia uniuscujusque nostrûm experientia, reflexione examinata, comprobat et patéfacit. Recolite quæ diximus, cum plura judicia intellectus distorta esse propter pravam voluntatem probavimus. Adeò verum est, auctoritatem voluntati placentem intellectum attrahere; ut per eam roboretur etiam et firmetur scientia, sive assensus ex verâ demonstratione ortus. Id probat S. Thomas (2. 2. q. 4. a. 8. ad 2.m) exemplo satis familiari. *Cæteris paribus*, inquit, *visio est certior auditu; sed si ille, á quo auditur, multum excedit visum videntis, sic certior est auditus quàm visus: sicut aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quàm de eo quod sibi secundum suam rationem videtur*. Quid mirum, quòd auctoritas voluntati placens pugnet contra formidinem, et incertitudinem opinantis, quousque fluxum ac instabilem ejus assensum in firmam fidem convertat?

Heu! Hæc probè norunt Philosophi, qui absque fidei freno *Opinionem Publicam*, ut aiunt, se regere, augere, propagare, minuere, commutare, et quàquaversùm invertere gloriantur. Eorum consilium

unum est: ut stulti, quorum infinitus est numerus, audiant sibi placentia. Idem fuit consilium Pseudoprophetarum Achab, (3. Reg. cap. 22.) qui Michæam oderat, *quia non prophetabat* ipsi *bonum*, *sed malum*. Hæc obitèr: finiamus hoc caput.

*Solertia*, inquit D. Thomas, (in fine lib. 1. post.) *est quædam perspicacitas velocitèr apprehendendi medium* ratiocinationis, *quod contingit ex naturali aptitudine, et ex exercitio*. En tria *solertiæ*, sive *sagacitatis* exempla. 1.° Si quis videns Lunam, quâ parte solem aspicit, valdè fulgere, statim conjicit, eam non suo, sed Solis lumine illustrari. 2.° Si quis videt pauperem cum divite colloquentem, statim infert, illum eleemosinam petere. 3.° Si inter eos, qui capitali odio dissidebant, (ut Herodes et Pilatus) amicitia initur, conjicit solers, hos duos aliquem habere ut communem inimicum. Tria hæc solertiæ exempla adducit Aristoteles, *ut ostendat*, ait D. Thomas, *quòd in omnibus prædictis habitibus*; *scilicet*; *prudentia*, *sapientia* &c. *potest esse solertia*. Itaque si argumentum solertiâ adinventum sit necessarium, ad scientiam illa pertinebit; si sit probabile, ad opinionem. Verbo: Solertia differt ab habitibus, de quibus hucusquè diximus, non re, sed ratione et modo quodam.

Hæc sunt, quæ ad demonstrandi artem plenè callendam, et facilè exercendam necessaria reputavimus. Nonnulla omisimus, tum quòd usui inopportuna visa sunt; tum nè adolescentibus nostris essent incommodo. Sequuntur *Topica*, quibus Logicus ad invenienda argumenta adjuvatur, sicut analyticis ad ferendum de eisdem judicium.

# LIBER QUINTUS.

## *De Ratiocinationibus Dialecticis.*

### CAPUT I.

### *In quo exponitur Topicorum scopus et necessitas.*

AD partem Logicæ accessimus Rethoricæ affiniorem. Hæc græcè *Dialectica* vocatur, et latinè *Disputatoria* dici posset. Nos vocem græcam retinebimus, quòd civitate donata, et in usu apud omnes sit. Quid inter Dialecticam et Rhetoricam intersit, satis exposuimus ab initio.

Ex Junioribus Scholæ Peripateticæ hostibus, quidam Topicorum tractationem tamquàm inutilem contemnunt, quidam tamquàm noxiam insectantur. Nimirùm duo sunt ab illis inventi argumentationum loci, ex quibus veterem se correxisse Philosophiam gloriantur: *Hypothesis*, et *Analogia*. Hæc sunt castra, ex quibus contra omnia vetera pugnant. Nos tamen Veterum Dialecticorum locos non relinquimus; didicimus enim ex ipsis, quid inter se differant scientia, opinio, suspicio, et dubium, quidque sit discriminis inter existimationem, conjecturam, verisimilitudinem, probabilitatem, certitudinem, et evidentiam. Quæ omnia quicumque probè noverit, et sciat discernere, is nullo negotio intelliget, (quod nos, si Deus dederit, non semèl demonstrabimus) jactatas novorum Philosophorum *hypotheses*, et *analogias* non esse nisi sophismatum seminaria.

Non diffitemur, prolixitatem Topicorum Aristotelis *tantam esse*, (verba sunt Masii) *ut fastidio lectorem* vel *patientissimum afficere possit*. Ea tamen exposuit Cicero, *atque*, ut ait Vives, *ad utilitatem ingentem aptavit*. Brocensis quoque hanc Logicæ partem in suum *Organum* introduxit: Sanctus Thomas, quamvis *Topica* commentariis non illustraverit; textus tamen ex eis deprompτos interdùm refert. Discretione igitur opus est; atque ex *Topicis* Aristotelis, quædam omitten-

da, quædam seligenda. Curabimus ea tantùm in hunc Librum adducere, quorum in gravi disputatione aut colloquio, sive in gymnasiis, sive in scholis, sive in aliis Sapientum congressibus possit usus fieri. Ad rem igitur.

Scopus *Dialecticæ* propriè dictæ est, recta et idonea de rebus omnibus in partem utramque disputatio. *Cum autem pervestigare argumentum aliquod volumus*, ait Cicero, *locos nosse debemus; sic enim appellatæ ab Aristotele sunt hæ quasi sedes, é quibus argumenta promuntur.* Itaque in hac tractatione duo statim explicanda nobis occurrunt: argumentationis *natura*, et disputationis *materia*. Hæc autem est triplex; *Quæstiones* sive *problemata*, de quibus disputatur; *Propositiones*, ex quibus disputatur; *Loci*, in quibus argumenta ad disputandum inveniuntur. De his quatuor ordine dicendum.

# CAPUT II.

## *De Syllogismo Dialectico.*

Syllogismus *dialecticus* est ille, qui fit ex probabilibus, et parit opinionem, quemadmodum *demonstrativus* fit ex necessariis, et parit scientiam. Probabilia strictè et propriè dicta mox definientur. *Probabilia*, quæ dialecticum syllogismum constituunt, sunt ea omnia, quæ probari possunt, nec tamèn sunt evidentia, aut necessaria. *Opinio* per hujusmodi syllogismum parta est assensus omnis, cui deest certitudo methaphysica, aut Physica.

Ut syllogismus censeatur *dialecticus*, et non *demonstrativus*, sufficit, quòd altera tantùm præmissarum sit probabilis. Similitèr, quamvis conclusio ipsa sit necessaria, si tamèn aliqua præmissarum, vel ambæ sint probabiles, syllogismus erit *dialecticus*, nec scientiam pariet. Ostensum est enim in superioribus, non esse demonstrationem, nisi constet ex tribus propositionibus necessariis.

Syllogismus dialecticus vocatur ab Aristotele *Epicherema*, hoc est, *aggressio*, eo quòd ad disputationem cum altero ineundam est maximè promptus et idoneus. Eidem usui pariter deservit *verum* illud enthymema, quod distinximus á *vulgari* (Lib. I. cap. IX. §. 2.), quodque definivimus, esse syllogismum ex verisimilibus et signis non necessariis. Quapropter Syllogismi dialectici nomine *Epicherema*, et *Enthymema* in hoc Libro comprehendimus; sicut verisimilia, et signa non necessaria sub nomine probabilium, ex quibus tantùm (si vis fiat in vocibus) *Epicherema* conflatur.

Ad formam quod attinet, dixi-

mus (ibid.) *Enthymema* esse syllogismum propositione universali detruncatum, et *Epicherema* suarum præmissarum probationes continere. Cæterùm non grandis culpa erit, si in disputationibus, quæ ad exercendos studentes quotidiè habentur, peculiares hujusmodi formæ omittantur. Imò expediet scholasticæ disputationis scopo, ut *Epicherema* et *Enthymema* in nitidos syllogismos formentur: hoc quidem addita propositione universali; illud autem omissa ratione præmissarum, atque ad novos syllogismos reservata. Alitèr siquidem opportet disserere Rethorem, alitèr Dialecticum. Atque hic etiam alitèr disputat verbo, alitèr scripto. Cum scribit, qualibet argumentationis formâ liberè potest uti. Cum autem adversarium verbis urgere intendit, unica est ipsi argumentationis forma: Syllogismus nempè, qui nec propositiones habeat pauciores tribus, neque plures.

Effectus syllogismi dialectici est opinio, quæ, ut diximus (in fine Lib. præc.), crescere potest in fidem humanam, et exuere formidinem partis oppositæ, si authoritate, quæ voluntati placeat, firmetur, ac roboretur. Unde asserit D. Thomas (1. Post. lect. 1.), quòd per syllogismum dialecticum, *etsi non fiat scientia, fit tamèn fides vel opinio.*

Eo loco Angelica illius mens observationem addidit tanti momenti, ut numquàm obliviscenda videatur. *Fit*, inquit, *fides vel opinio, quia ratio totaliter declinat in unam partem contradictionis, licet cum formidine alterius: et ad hoc ordinatur Topica sive Dialectica. Quandoquè verò fit suspicio quædam, quia non totaliter declinatur ad unam partem contradictionis, licèt magis in hanc quàm in aliam; et ad hoc ordinatur Rethorica. Quandoquè verò sola existimatio* (hoc est imaginatio) *declinat in aliquam partem contradictionis propter aliquam repræsentationem; ad modum quò fit homini abominatio alicujus cibi, si repræsentetur ei sub similitudine alicujus abominabilis, et ad hoc ordinatur Poetica.* Hæc S. Thomas.

Recogitate nunc animo, quàm facilè sit mentibus debilibus, vel malè affectis, sive hominibus superficie tenus eruditis, mutare suas existimationes et suspiciones, et deinde suspiciones in opiniones. Atque hinc colligite, quam stragem edere possint in animis juvenum impii isti Rethores et Poetæ, qui novæ audacis Philosophiæ causam egerunt. Aliena pericula experti cautiores simus. Repræsentationes poeticæ Volterii, innumeris *existimationibus* immutatis, innumeras mentes subverterunt. Tropi et figuræ Rethoricæ Bælii, malignis *suspicionibus* contra omnem veritatem excitatis, or-

bem tenebris densissimis oppleverunt. Duo hi Atheorum antesignani, absque ratione ulla probabili, absque ullo syllogismo dialectico, veritatibus supernaturalibus, æquè ac naturalibus bellum indixerunt. Utinàm tot triumphos non cecinissent. Curemus ergo, ut studentes nostri contra impiorum Philosophorum poesim et Rethoricam muniti sint. Sed revertamur ad nostra. Duobus modis impediri potest syllogismus *dialecticus*, nè humanam fidem aut opinionem pariat.

*Primò*: Si non cognoscatur ut *Dialecticus*, vel ex probabilibus tantùm constans. Si enim aliquis intelligeret, eum non esse nisi levissimam conjecturam; suspicionem solam per illud acquireret. Si putaret esse demonstrationem; per eum, neque opinionem, neque scientiam assequeretur, si conclusio esset falsa. Quòd si esset vera, veram aliquam cognitionem haberet, sed errori admixtam: veram de propositione illata, falsam autem de propositionis modo. Itaque sicut non scit, qui nescit se scire, ita non opinatur, qui se opinari non videt.

*Secundò*: Si quis post demonstratam veritatem propositionis necessariæ, eam etiam concludat ratione aliqua probabili; hæc non pariet tunc opinionem, alioquìn scientia cum opinione consisteret, quod supra improbavimus. Cur ergo, inquies, placet interdùm veris Philosophis, rationes probabiles demonstrationibus addere? Placet; non quòd augeatur evidentia; hæc enim est affectio veritatis rei, (ut diximus Lib. 3. cap. ult.) quæ non immutatur ab imaginatione, neque á rationibus nostris; sed quia extenditur rei cognitio, et augetur certitudo, qua intellectus conclusioni demonstratæ adhærebat. Certitudo enim est determinatio intellectus ad assentiendum. Intellectus autem, postquam assensum præbuit veritati cognitæ per medium necessarium, magis determinatur ad hujusmodi assensum, si per syllogismos *dialecticos* eadem veritas confirmetur. Recole exemplum hominis parvæ scientiæ, cum audit, sua ab aliquo magno viro approbari.

## CAPUT III.

### *De Probabilibus.*

Cum Facciolatus (in Acroasi de Epicheremate) Aristotelicam *de Probabilibus* doctrinam bono in lumine collocasset, et deinceps Scepticorum, Stoicorum, atque veterum Academicorum probabilia exposuisset; hæc adjecit. In tam multis, tam variis, tam ingeniosè excogitatis explicandæ probabilitatis modis, juniores dialectici conquies-

cere non potuerunt. Mittamus turbam, cujus ratio habenda non est. Petrus Gassendus, præmissis non levibus in Aristotelis probabilia, totamque Artem Topicam criminationibus, suum sibi probabile constituit. Non tamèn satis Cartesio fecit, nec Malebranchio, quorum uterque alia atque alia reponere conatus est. Ab his quoque recessit Lockius; nec Lockium probavit Clericus, neque Clericum Thomasius, nec Thomasium Rudigerus, nec ullum mortalium, qui postremus in aciem venit Christianus Wolfius. Hæc ille, qui á referendis sententiis abstinet, nè nauseam moveant. Subdit autem non omittendum epiphonema: *Quæruntur*, inquit, *nova, non recta: ea quoque delebit dies, tandemquè prima intermissa reducet.* Hoc nos consilio Aristotelis probabilia in medium adducimus.

*Quia syllogismus dialecticus*, ait D. Thom. (1. Post. lect. 31. lit. c.) *ad hoc tendit, ut opinationem faciat, hoc solum est de intentione Dialectici, ut procedat ex his, quæ sunt maximè opinabilia: et hæc sunt ea quæ videntur vel pluribus vel maximè sapientibus.* Retinenda est ergo vetus illa definitio: Probabile est: *Quod videtur omnibus, vel plurimis, vel sapientibus; atque his vel omnibus, vel plurimis, vel spectatissimis, modò non sint paradoxa*; id est, præter omnium opinionem.

*Omnibus*: ut Matrem diligere prolem suam; Curam gerendam esse parentum. Difficile est enim omnes homines errare. *Omnium* quippè *consensus naturæ vox est*, ut aiebat Cicero.

*Plurimis*: ut Divitias esse parandas; honores esse expetendos. Verumtamèn hac in re necesse non est, certò cognoscere utrâ ex parte sint plurimi, et quò reverà inclinent. Probabilia enim quærimus; ad quæ invenienda quælibet popularis, ut ita dicam, majoris numeri cognitio satis est.

*Omnibus sapientibus*: ut Præstantiora esse bona, quæ in animo sunt, quàm quæ in corpore, aut rebus externis. Illud tamen vos monitos volumus, non ita facilè decerni posse, quid sit id, quod videtur sapientibus, et quinam reverà sapientes sint. *Statuere* enim, *quis sit sapiens, vel maximè, videtur esse sapientis*, ut scribit Cicero. Quis ergo, inquies, reputandus est sapiens? Judicium utique posteritatis in re tam dubia et ancipiti expectandum est. Cujus verò posteritatis? Non cujuscumque, sed illius tantùm, quæ intra sinum Ecclesiæ Romanæ contenta, fidei oculos apertos habeat, ut sciat secernere sapientiam de *sursum descendentem*, ab ea, quam vocat B. Jacobus Apostolus (cap. 3. v. 15.) *terrenam, animalem, diabolicam.*

*Plurimis Sapientibus*: ut Animos

hominum esse immortales: Felicitatem non esse in deliciis corporis positam.

*Sapientibus spectatissimis*: ut Mundum cœpisse, quod dixit Plato: Corpora cælestia moveri ab Angelis, quod visum est (ait D. Thomas 1. p. q. 110. a. 1.) *omnibus Philosophis, qui incorporeas substantias posuerunt.*

*Modò non sint paradoxa*: Nam quæ á sapientibus dicuntur contra omnium opinionem, non numerantur in probabilibus: quale est illud Parmenidis et Melissi: *Omnia esse unum;* et illud Zenonis: *Nihil moveri posse.* Idem dicendum censemus de asserto, quòd inter Juniores Philosophos nimis invaluit; *Colores non inesse rebus, sed esse meras ideas.*

Hæc sunt Probabilia Peripatetica, inter quæ, ut vides, non numeratur ab Aristotele authoritas *unius Junioris, et moderni Auctoris*; quod obitèr duximus observandum, nè probabile á Tyronibus reputetur, quidquid in quovis libro hodierno legerint; damnata est enim ab Ecclesia hæc propositio: *Si liber sit alicujus Junioris et Moderni, debet opinio censeri probabilis* &c. Sed á diverticulo in viam.

Infertur ex dictis, Primò: inter verum et probabile hoc interesse, quòd ratio probabilitatis pendet á judiciis hominum, quemadmodùm veritas pendet á natura rerum. Quamvis itaque duarum opinionum contradicentium opporteat alteram esse veram, et alteram falsam; fieri tamen potest, utramque esse probabilem; imò potest contingere, ut magis falsa, sit magis probabilis. Hæc de probabili propriè dicto intelligenda sunt: de *probabili* inquàm, qua ratione definitum est ab Aristotele; hoc est, quatenùs á verisimili distinguitur.

Cæterùm cum utraque hæc vox *probabile*, scilicet et *verisimile* promiscuè usurpari soleat, opus fuit, ut probabilitas duplex á Majoribus nostris statueretur, *intrinseca* scilicet et *extrinseca*. Probabilitas *intrinseca* oritur ex rationibus sive argumentis, quibus conclusio aliqua probatur. *Extrinseca* nititur sola sapientum, qui eam docuerunt, auctoritate. Auctoritas sapientum in tantùm ad assensum nos movet, in quantùm præsumimus, eos solidis rationibus munitos eam doctrinam tenuisse. Non enim propter auctoritatem doctrinam hominum sequimur, sed auctoritatem propter doctrinam, ut sæpè diximus, et sæpè dicemus. Dialecticus ergo, qui ad disputandum se præparat, noscat opus est probabilitatem extrinsecam, non ut in ea acquiescat, vel ex ea sola argumentetur; sed ut hoc quasi signo admonitus rationes quærat, quibus Sapientes eam probarunt; vel ipse possit suadere, argumentis ex proprio fundo depromptis. Pau-

cis: probabilitas *extrinseca* est signum *intrinsecæ*, atque illam comitatur, ut Aristoteles utramque descripsisse existimavit, cùm solam extrinsecam definivit.

Infertur 2.º non omnia esse æquè probabilia, sed admittendos esse diversos probabilitatis gradus: sicut enim in contingentibus, *quantò virtus naturalis est fortior* (hæc ratio est Div. Thomæ 1. Post. lect. 1.) *tantò rariùs deficit á suo effectu; ita in processu rationis, qui non est cum omnimoda certitudine, gradus aliquis invenítur, secundum quòd magis vel minus ad perfectam certitudinem accéditur.*

Perfecta hæc atque omnimoda certitudo, cui, auctore S. Thomâ proximè accedit supremus probabilitatis gradus, est certitudo *methaphysica*, vel saltem *physica*; non autem moralis: Cum enim dixerimus (Lib. IV. cap. XIX.) alterutram ex duabus primis ad scientiam requiri; consequens est, ut summa probabilitas et certitudo moralis simul interdùm consistant, et opinionem comitentur. Quapropter tertium hunc certitudinis gradum vocat Ang. Præcept. *certitudinem probabilem*. Cum enim dixisset (2. 2. q. 70. a. 2.) in actibus humanis non posse haberi certitudinem demonstrationis, subdit: *et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus á veritate deficiat.* Dicendum ergo, quod ea, quæ sunt certa moralitèr, etiam debent dici probabilia: quamvis enim eorum assensus excludat graviorem et fundatam formidinem, non tamen leviorem et minùs fundatam.

Sciscitabis hìc fortassè: unde dignosci possit gradus probabilitatis uniuscujusque propositionis Dialecticæ? *R.* De gradibus probabilitatis extrinsecæ sermo nobis erit, cum ad locum Auctoritatis pervenerimus. Quod attinet ad intrinsecam sive ad verisimilitudinem, difficile est lancem invenire, quæ ratiocinationum probabilium verum pondus designet. Nulla est regula generalis præter rectum ac subactum, sicut de vero et falso, ita de probabili ac improbabili, judicium. Recole quæ diximus toto libro tertio.

Antequàm á probabilibus peripateticis abscedamus, monere vos oportet erratorum, in quæ incautos ducunt probabilia quædam novissimè inventa. Gravesandius certitudinem consideravit veluti *totum* divisum in partes, quæ sint gradus probabilitatis. Dixit Genuensis *possibilitatem* esse primum et tenuissimum probabilitatis gradum. Affirmavit Condilliacus debiliorem ex conjecturis eam esse, qua quis affirmat aliquid, quia nihil ei repugnare videt. Hinc *calculi probabilitatis* contingentium futurorum temerè initi. Cavete nè talium sapientum paradoxa reputetis probabilia; sunt enim,

ut videtis, et per se falsa perspicuè, et inter se vehementèr repugnantia.

Cavete etiam, ne quid sumatis tamquàm probabile, quod hujusmodi quidem prima facie videatur, non tamèn reverà sit. Plura sunt hodiè valdè absurda, quibus nova Philosophia, mutuatis ex Poesi et Rethorica larvis et coloribus, falsam quamdam probabilitatis speciem appinxit. Nihil unquàm ut probabile accipiendum á discipulo D. Thomæ, nisi sit vel per se probabile, vel probabili argumentatione confectum. Sed veremur, nè de argumentationis dialecticæ natura et genio nimis multa dixerimus, quamquàm res tanti momenti paucis absolvenda non erat. Nunc disputationis materia examinanda est, incipiendumque á *Problemate*, quæ est secunda hujus Libri pars.

## CAPUT IV.

### *De Problemate, sive de Quæstionibus dialecticis.*

Quæstio dialectica á Veteribus Peripateticis efferebatur interrogando, ideoquè definita fuit: *Interrogatio probabilis.* Ex. gr. *Voluptas est nè expetenda, an non?* Nonnumquàm utraque pars contradictionis exprimebatur ab interrogante: Interdùm una tantùm. Jam obtinuit usus, ut *Quæstio* dicatur, cum rationes probabiles pro utraque parte adducuntur: *Problema* verò, cum interrogans dat optionem respondenti, ut sumat quam partem sustinere malit, alteram ipse probandam sumpturus.

Differentia quæstionis topicæ ab analytica supra (lib. IV, cap. XIII.) á nobis ostensa est. Hìc addimus, quæstionem verè analyticam posse quoque dialectico more, hoc est, probabilibus rationibus in utramque partem adductis, pertractari. Cùm sic disputamus, ex quæstione analytica facimus dialecticam.

Dividitur autem quæstio dialectica duobus modis: *ex fine, et ex materia.* Disputationis fine spectato, triplex est quæstio. Prima *cognitionis*, secunda *actionis*, tertia quæ ad utramque confert. *Cognitionis* quæstio est, cujus finis est sola cognitio veritatis: ut *constet; nè cælum ex elementis, an non?* Quæstio *actionis* est, cujus finis, præter cognitionem, est fuga mali vel prosequutio boni. Hujusmodi sunt quæstiones omnes scientiarum moralium. Ad tertium genus referuntur omnes quæstiones Logicæ, nam omnes eò spectant, ut instrumenta paremus, quibus in qualibet Disciplina uti possimus et ad veritatem detegendam, et ad ea, quæ nobis agenda sunt, pervestiganda.

Quod attinet ad materiam de qua disputatur, quatuor sunt problemata, sive quæstionis dialecticæ species, *generis*, *definitionis*, *proprii*, *et accidentis*. Ratio divisionis est hæc. Omnis interrogatio probabilis rogat, num prædicatum aliquod conveniat alicui subjecto; atqui omne prædicatum vel est aliquid communius, quod dicitur *Genus*; vel aliquid ex æquo respondens, quod dicitur *Definitio*; vel affectio necessaria, quæ dicitur *Proprium;* vel affectio communis, quæ dicitur *Accidens*: quadruplex igitur est quæstio dialectica, *generis*, *definitionis*, *proprii*, *et accidentis*.

Animadvertendum tamen, quòd dicta quatuor prædicata possunt interrogari de aliquo subjecto, vel per terminos *secundæ notionis;* ut si quis ita quæreret: *¿Est nè animal genus hominis?* vel per terminos *primæ notionis;* ut si ita diceret: *Nonnè homo est quoddam animal?* Si primo modo interrogationes fiant, quæstiones erunt propriè Logicæ; quia ex regulis in Logica traditis definiendæ sunt. Si posteriori modo quæstiones efferantur, erunt propriæ aliarum disciplinarum, et Logicæ veluti accidentales; quia videlicet ex probabilibus aliarum scientiarum solvendæ sunt, et Logicæ accidit, quòd aliæ scientiæ ejus regulis utantur. Ideo veteres Peripatetici quæstiones omnes, vocibus *primæ notionis* propositas, vocarunt quæstiones simplicis *inhærentiæ*, sive *accidentis* fusissimè accepti.

---

## CAPUT V.

### *De Propositionibus maximis, quæ etiam vocantur Axiomata.*

Tertium ordine in Topicis definiendum, est principium sive axioma, á quo disputationem suam ordítur Dialecticus. Principium hoc vocari consuevit á Majoribus nostris: *Propositio Maxima*, sive *Maxima* absque additamento, á qua, ut videtur, patria vox *Maxima* derivata est. Quemadmodùm in parte analytica alia est, ut diximus (lib. IV. cap. IV.), propositio *immediata*, quæ non demonstratur per aliam priorem, alia *mediata*, quæ demonstratur; sic in Topicis, quædam sunt enunciata *immediata*, quæ cognitis terminis statim per se noscuntur, et approbantur; quædam verò *mediata*, quæ scilicet probatione indigent. Si *Dialectico*, ait D. Thomas, (1. Post. lect. 31. lit. c.) *occurrit aliqua propositio, quæ secundùm rei veritatem habeat medium, per quod possit probari; sed tamen non videatur medium, sed propter sui probabilitatem vi-*

*deatur per se nota ; hoc sufficit Dialectico , nec inquirit aliud medium , et ex illa sufficientèr perficit Dialecticum syllogismum.* Ex hac Ang. Præcept. expositione sequentem definitionem deducimus: Propositio *Maxima* est : *Communis quædam sententia maximè nonis quædam sententia maximè nota et probata , quæ axiomatis locum tenet in ratiocinationibus dialecticis.* Ex. gr. *Cui convenit definitio , convenit definitum : Sublata forma , tollitur res , cujus est forma.*

Interdùm licet Dialectico , propositionem omninò necessariam in locum propositionis *maximæ* sufficere ; sed tunc oportet ut sui syllogismi assumptio sit contingens , ut dictum est. Cæterùm ejus muneris proprium est exquirere *Maximas* sive *axiomata* , quæ certitudine morali prædita sint , cujus utique signum erit approbatio vel plurium , vel verè sapientum ; ut enim diximus ex D. Thoma : Dialecticus procedit ex his , *quæ sunt maximè opinabilia : et hæc sunt ea, quæ videntur vel pluribus , vel maximè sapientibus.*

In Scholasticis disputationibus, in quibus ferè ex probabilibus argumentamur , *Propositio Maxima* primam syllogismi partem constituit, quæ communitèr dicitur *Major* : Inventa *Maxima* ad quæstionem solvendam idonea , facilè est assumptionem addere , et syllogismum conficere. Itaque præstantissimus quisque disputator *Propositionum Maximarum* copia abundare debet , et Studentes labori non parcere , ut addiscant saltèm , et in promptu habeant , quas in hoc Tractatu transcribendas existimamus. Apparatum hunc mirum in modum illustrabunt, atque utilem reddent , parœmiæ sive proverbia ad mores spectantia, ea præsertim quæ in Sacris Libris Ecclesiastici et Proverbiorum continentur : Fac ergo , ut *Proverbia laudis non effugiant á te* ( Eccli. 6. v. 35. ) : et recole quæ diximus Lib. 1. de calamo ad consignandas cogitationes semper parato , et de servandis adversariis , in quibus optimas sententias scripseris. Hæc omnia , et opportunus eorum usus utilitatem Topicorum , quidquid Auctores Artis Cogitandi obmurmurent , tibi aliisque demonstrabit. Sed de hoc satis. Persequamur reliqua.



# CAPUT VI.

## *De Locis Dialecticis.*

Ad *Locos* ventum est , quod ordine quartum fecimus , sed naturâ princeps est Topicorum argumentum , adeoquè fusiori calamò exponendum. *Locus* á Cicerone definitur : *Argumenti sedes.* Argumen-

tum autem, *Ratio, quæ rei dubiæ facit fidem.* Sicut enim earum rerum, quæ absconditæ sunt, demonstrato ac notato loco, facilis est inventio; sic cum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus. Loci itaque, de quibus agimus, sunt communes quædam notæ, quarum admonitu Axiômata sive *Maximæ*, de quibus diximus, statim nobis occurrunt atque inveniuntur. Non ergo propositio *Maxima* cum *Loco* est confundenda, differunt enim sicut locus, et id, quod est in loco.

Loci, ex quibus in omni disciplina sumuntur argumenta, sive ad verum confirmandum, sive ad falsum refellendum, alii sunt omnibus scientiis communes, alii unicuique peculiares. Nemo non laudat Melchiorem Canum *fama magnum, re majorem, qui aureo planè volumine* tractationem de locis specialibus, ex quibus arguit Regina omnium scientiarum Theologia, *ante omnes, et supra omnes est exequutus.* Ejus nos exemplo et auctoritate moti, speciales etiam locos, ad utramque Philosophiam Naturalem scilicet et Moralem spectantes, suo loco aperiendos et designandos reservamus. Nunc de Locis tantûm communibus, in quibus omnes scientiæ argumenta quærunt, sermo nobis habendus est. Nihilominùs *communes* hi loci sunt speciales respectu Logicæ et Methaphysicæ; quandoquidèm earum altera servit omnibus, altera omnibus dominatur. Nam Logica, ut nostis, aliis scientiis ministrat instrumenta sciendi, Methaphysica verò de earum ratiocinationibus et doctrinis judicat.

Videte hìc iterum necessitatem Logicæ disciplinæ cum Metaphysica conjungendæ, quod de Topicis agens Facciolatus (in Epist. ad Acr. de Epich.) opportunè admonuit, inquiens: *Quod Logica de suo tradit, si finibus teneatur, vix ossibus hæret; si dilatare id velit, quasique convestire, undè potiùs quàm ex Methaphysica, quæ rerum Logicarum rationes et causas continet, sumere debet?* Locos itaque *Logicos* et *Methaphysicos* in unum conjungimus, et ex utrisque *dialecticos* facimus. Non est tamen animus Aristotelicos omnes locos aperire et ostendere, sed tantùm potiores; eos scilicet, quorum facilior et frequentior usus nobis videatur. Sed cur in petenda venia moramur, cum Topicorum Interpretes pro suo unusquisque libito Spartam hanc ornaverit?

Locorum dialecticorum elenchum senario nos numero complectemur. Primus erit locus *Definitionis* et *Definiti*: secundus *Totius* et *partium*: Tertius *Causarum* et *effectuum*: quartus *Oppositorum*: quintus *Similium* et *dissimilium*: sextus *Authoritatis*.

# CAPUT VII.

## *De Loco Definitionis, et Definiti.*

In memoriam revoca, quæ Libro primo de definitione ejusque speciebus dicta sunt; hùc enim pertinent omnes definiendi rationes ibi expositæ, nam ex earum unaquaque Dialecticus arguit, ut videbis.

### §. 1.

### *De argumento ex definitione nominis.*

Ex definitione nominis possunt argumenta duci, tum aientia, tum negantia, modò reciproca sit et non exlex. Sit exempli loco, quod dixit Angelus S. Josepho: *Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum á peccatis eorum.* Propositio *Maxima* est: *Quod convenit aut repugnat definitioni nominis, convenit aut repugnat nomini definito;* quæ etiam valet, si contrariè dicatur.

Duplex tamèn exceptio eam limitat. Prima: solùm potest intelligi de vera et recta nominis definitione, non verò de falsis, aut fictis, quales sunt, et *arbitrariæ* illæ, quas supra (lib. IV. cap. XV.) reprehendimus, et plures *ambiguæ*, quibus fovetur novus terminorum abusus, de quo tractavimus (lib. I. cap. V. §. 3.) Secunda exceptio: quandò nominis definitio non est reciproca, argumenta negantia suppeditat, aientia non itèm.

### §. 2.

### *De argumentis ex definitione, et differentia essentiali.*

Definitionem rei esse diximus, quæ eam manifestat vel per essentiam, vel per causas, vel per proprietates, vel per accidentia. Causis locum tertium designavimus. Reliquas definitiones rei in hoc primo complectimur. Itaque, cum in qualibet quæstione sit subjectum et prædicatum, possumus argumentari per definitionem alterutrius, vel utriusque: idque tum confirmando, tum refellendo; nam hæc sunt axiomata sive *Maximæ*, ad hunc locum pertinentes: *Quidquid dicitur de definitione, et quidquid de illa negatur, idem dicitur et negatur de re definita. Quidquid dicitur et negatur de re definita, idem dicitur de definitione, idemque de illa negatur.* Quòd si de ipsis definitionibus moveatur quæstio, ad res definitas confugiendum erit, et per eas disputandum. Hæc locum habent in quolibet definitionis modo, in quo definiendi regulæ exactè observen-

tur. Si enim ita fiat, reciprocabuntur definitio et definitum, ipsisque proindè accommodari poterunt laudata axiomata. Exempla erunt obvia saltèm Præceptoribus.

Hùc revocatur locùs *á Differentia* essentiali, quæ inter partes definitionis potissimum sibi vendicat locum, valetque etiam ad confirmandum et ad refellendum; quandoquidèm continet hæc axiomata: *De quo dicitur Differentia, dicitur et species: A quo negatur Differentia, ab eo quoque species denegatur.* Hoc argumenti genere utitur Cicero, probans hominem non debere brutorum voluptates sequi, quòd rationalis sit. ¿*Sic*, inquit, *te ipse abjicies, atque prosternes, ut nihil inter te, atque inter quadrupedem aliquem putes interesse?*

§. 3.

*De argumentis ex definitione propria et accidentaria.*

Cum proprietas necessariò consequatur essentiam, et cum ea reciprocetur; perspicuum est, argumenta ex definitione propria duci eo ferè modo, quo ducuntur ex definitione essentiali. Itaque *Maxima est: De quo dicitur aut negatur proprium, dicitur etiam aut negatur illud, cujus est proprium.* Idemque valet ex contrario.

Non valet autem hoc axioma in accidentibus communibus, quæ quintum prædicabile constituunt; ea enim possunt adesse et abesse salva rei essentia. Quapropter *singula*, ut diximus, *in aliis quoque rebus reperiuntur; tamèn simùl conjuncta non reperiuntur nisi in re definita.* Dialecticus igitur ex aliquo, vel ex aliquibus accidentibus communibus conjecturam sumere potest, et suspicionem inducere; argumentationem verò probabilem formare numquàm poterit, neque opinionem extorquere. ¿Quid enim sunt hujusmodi accidentia seorsim accepta, nisi notæ quædam, et signa fallibilia illis similia, quibus Physiognomia (Ars utique contemnenda) ex notis et signis corporis internas animi affectiones rimatur?

Descriptionibus (quod nomen definitioni accidentariæ etiam minus exactè accommodari solet) frequentiùs utimur quàm aliis definiendi modis; tum quia differentiæ essentiales non sunt per se sensibiles, sicut accidentariæ; tum quia accidentia omnia, quæ rem circunstant vix numerari possunt. In hujus argumenti exemplum adducere placet illud Jobi: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et numquàm in eodem statu permanet:* Ex quo antecedenti misericordiam á Deo sperandam infert his verbis: ¿*Et dignum ducis super hujuscémo-*

*di aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium?* Eodem referri potest argumentum, quo B. Jacobus Apost. Cap. 3. ex descriptione effrenis linguæ christiani silentii necessitatem concludit. *Lingua*, inquit, *modicum membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit!* Ex quibus aliisque deinde infert: *Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.* Hæc sacræ scripturæ argumenta placuit in exemplum adducere, quia cum sint obvia, et intellectu facilia, possunt facilè formari in syllogismos dialecticos: quo in exercitio studentes á Lectoribus edoceri jus et æquum postulant.



# CAPUT VIII.

## *De Loco Divisionis, sivè Totius et Partium.*

Hic appellatur etiam Locus *Generis*. *Divisio* et *Genus* voces sunt logicæ. *Totum* autem et *Partes* voces methaphysicæ. Argumentationes ad Genus spectantes definitionibus totius et partium innituntur. Nihil igitur mirum, quòd ex loco metaphysico et logico unum faciamus. Recolere opportet quæ de variis *totorum* generibus diximus (lib. 1. cap. v. §. 2.), ubi etiam principia quædam statuta sunt propositionibus *Maximis* hujus loci valdè affinia. Ad eum verò tantum pertinent *Totum universale* et *Totum integrale*: de quibus.

§. 1.

### *De argumentis ex toto universali, ejusque partibus.*

*Totum universale* est, vel *Genus* vel *Species*; cum enim á *Specie* tamquàm á superiori argumentum ducitur, species induit rationem *generis*. Dialecticus igitur multis modis á *genere* arguit; nam hæc sunt hujus loci axiomata: Ad confirmandum quidem hæc quatuor: 1. *Quod convenit Generi, convenit speciebus.* 2. *Cui convenit Genus, eidem aliqua species convenit.* 3. *Posito genere, et exclusis speciebus reliquis, una rectè concluditur.* 4. *Posita aliqua specie ponitur genus: sublata tamèn non tollitur.* Ad refellendum autem tres sunt *Maximæ* in hoc loco contentæ: 1. *Quod universè repugnat Generi, repugnat speciebus.* 2. *Sublato genere, tolluntur species.* 3. *Sublatis speciebus omnibus, Genus etiam tollitur.* Verumtamèn postremum hoc axioma admonitione indiget. Interdùm enim videntur removeri, tametsi reverà non removeantur omnes species. Hoc facilè contingit, cum nomen primæ notio-

nis, quod assumitur ad significandum aliquod genus, non est univocum, sed æquivocum vel analogum: Tunc enim argumentatio non sumitur á vero Genere, sed á voce ferè transcendentali, cujus significatio est minùs extensa. Ita perperàm argueret, qui sic disputaret: *Sanum est vel homo vel brutum; sed medicina non est homo nec brutum*: ergo *medicina non est sana.*

Ab hac admonitione abstinere non potuimus propter Auctores Artis cogitandi, qui ad explicandum axioma, de quo agimus, hoc exemplum adducunt: *Formæ, quæ appellantur substantiales (anima rationali excepta), nec sunt corpora, nec spiritus:* ergo *non sunt substantiæ.* Hoc est purum putumque sophisma sicut præcedens: sicut enim in illo vox *sanum* est analoga; ita in isto vox *substantia.* Ratio est, quia *substantia*, quæ est supremum Genus, et dividitur in corpus et spiritum, est substantia completa et subsistens. Cum hanc significat vox *substantia*, est *univoca.* Cum verò accommodatur partibus physicis non subsistentibus, est *analoga*, vel potiùs *æquivoca.* Sed de hoc alibi.

§. 2.

*De argumentis ex toto integrali, ejusque partibus.*

Totum integrale, ut diximus, vel est *homogeneum*, constans partibus ejusdem rationis, vel *heterogeneum*, cujus partes sunt diversæ rationis. De primo hìc non loquimur, sed tantùm de secundo, ex quo præsertim Dialecticus argumenta sumit. In eo autem considerantur et partes quædam *primariæ*, sine quibus nec res esse nec nominari potest, ut in homine *caput* et *cor;* et quædam *secundariæ*, quæ ad rem absolvendam et perficiendam valent, non tamèn eam constituunt, ut in eodem homine *manus, pes* et *auris.* Hæc distinctio locum habet non modò in toto *naturali*, ut est arbor; sed etiam in *toto artefacto*, ut est domus. His notatis

Ex hoc toto, ejusque partibus, et ad confirmandum, et ad refellendum argumenta ducuntur, quæ á sequentibus *Maximis* vim accipiunt. 1. *Posito toto, ponuntur partes omnes primariæ et necessariæ;* ut posita domo ponitur fundamentum, paries, et tectum. 2. *Ablata una tantùm parte primaria et necessaria, tollitur totum, non verò aliæ partes primariæ aut secundariæ;* ut ablato trunco tollitur arbor, non autem radix, vel germen é radice pullulans. 3. *Positis partibus omnibus, ponitur totum.* 4. *Sublatis partibus, aufertur totum.* 5. *Quod convenit omnibus partibus simul sumptis, convenit toti.* 6. *Quæcumque removentur á partibus omnibus, removentur etiam á toto.*

# CAPUT IX.

## *De Loco causarum et Effectuum.*

Quatuor esse causarum genera, (de quibus alibi fusiùs agere opus erit) sæpiùs insinuavimus, nempè formalem, materialem, finalem, et efficientem. In rebus, quæ arte fiunt, eas omnes facilè invenies. Considera constructionem domus: Lapides et ligna sunt *materia*: Eorum dispositio est *forma*: Faber ædium *causa efficiens*; et habitatio commoda *finis* omnium. Ex omnibus his causis, mutuatis á Methaphysica notionibus, argumentatur Dialecticus. Percurramus ergo singulas.

### §. 1.

### *De argumento ex forma.*

Formam vocamus id, per quod unaquæque res est hoc ipsum quod est, et á cæteris distinguitur. Pertinent autem ad hunc locum non modò forma *essentialis*, sed etiam *accidentaria*; non *naturalis* modò, sed etiam *artefacta*. Ex forma duplex ducitur argumentandi ratio, duabus his *Maximis* innixa. Prima: *Posita vel sublata forma, ponitur vel tollitur res cujus est forma.* Excipienda tamèn ab hoc axiomate anima rationalis; cum enim sit aliquid subsistens, et possit existere sine materia, non potest de ea intelligi prima hæc propositio *Maxima.*

Secunda: *Cui inest aut repugnat forma, illi insunt aut repugnant, quæ consequuntur formam.* Hoc axioma locum habet, præcipuè in anima nostra, extatque illustre hujus rei argumentum apud Div. Bernardum. *O anima*, inquit, *insignita Dei imagine, decorata ejus similitudine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, deputata cum Angelis, capax beatitudinis! ¿quid tibi cum carne?*

### §. 2.

### *De argumento ex materia.*

Triplex est materia; *ex qua*, ut lapides et ligna in domo: *in qua*, cujusmodi est subjectum accidentium: *circa quam*, ut objectum in scientiis. Hæc, cum sit mensura facultatum et habituum, est locus idoneus ad confirmandum vel refellendum illud, quod de ipsis quæritur. Ex materia *in qua* colligi potest qualitas accidentium; ad eam enim pertinet axioma illud, quod refertur á D. Thoma (1. p. q. 76. a. 1.): *Receptum est in recipiente secundum modum recipientis.*

Materia *ex qua* idoneum ad refellendum effectum offert argumentum, non verò ad confirmandum. Sic valet: *farina non fuit;* ergo *panis non est*: non verò é contrario. Cum autem probamus, aliquid alicui rei convenire vel non convenire, valet ad utrùmque: Ut vestem fore magis vel minus diuturnam, colligimus ex qualitate materiæ.

In argumentationibus á materia *ex qua* ductis, habenda est axiomatis loco hæc propositio: *Perfectio rerum naturalium ex fine potiùs quàm ex materia æstimanda est.* Eam docet D. Thomas (1. p. q. 91. a. 3.), atque illustrat exemplo satis familiari: *Artifex*, inquit, *qui facit serram ad secandum, facit eam ex ferro, ut sit idonea ad secandum, nec curat eam facere ex vitro, quæ est pulchrior materia, quia talis pulchritudo esset impedimentum finis.* Inde autem colligit, quòd *si aliquis defectus in dispositione humani corporis esse videtur; considerandum est, quòd talis defectus sequitur ex necessitate materiæ ad ea, quæ requiruntur in corpore.*

§. 3.

*De argumento ex fine.*

Cum duplex sit argumentandi ratio ex causis; altera, qua probamus, rem esse vel non esse; altera, qua colligimus, aliquid rei convenire vel non convenire; solùm hæc posterior ex causa finali procedit. Nam ex *fine* ea, quæ ad ipsum referuntur, probamus esse bona vel mala, utilia vel inutilia, prosequenda vel fugienda. En axiomata, á D. Thoma desumpta, quibus hoc argumentandi genus fulcitur. 1. *Universa ad finem aliquem diriguntur.* (1. p. q. 103. a. 1.) 2. *Semper finis excellit id, quod est ad finem; et quantò aliquid efficaciùs ordinatur ad finem, tantò melius est*: (2. 2. q. 152. a. 5.) 3. *Id quod est ad finem, debet esse fini proportionatum; ideoque ratio eorum quæ sunt ad finem, est ex fine sumenda.* (1. 2. q. 102. a. 1.) 4. *Qualis unusquisque est, talis finis videtur ei.* (1. p. q. 83. a. 1. ad 5.)

§. 4.

*De argumentis ex causa efficiente.*

Accessimus ad salebrosum et scabrosum locum, qui tamen in omni Philosophiæ parte nobis frequentandus est. Curemus ut in eo positi, *palpebræ nostræ* (Prov. 4.) *præcedant gressus nostros.* Ex causa efficiente, ejusque effectibus argumentari possumus, tum ad probandum rem esse vel non esse, tum ad suadendum aliquid rei convenire vel non convenire. Verùm non-

nullæ *Maximæ*, ex quibus hæc disputatio incipit, vel sunt nimis generales, ut illæ: *Sublata causa tollitur effectus*: *Si effectus est, causa est*: vel nimis implicatæ; ut hæc, *Effectus sunt proportionales suis causis*: quam equidèm suo loco adversus Encyclopedistas et explicabimus, et propugnabimus; sicut et alia plura pronunciata, ad hoc genus causæ spectantia.

Nunc ea tantùm memorare oportet, quæ captum Dialectici non superent. Et nè quis imprudens erret, ea proponimus verbis ipsis D. Thomæ. Sunt autem hæc quatuor. 1. *Non est verum, quòd posita quacumque causa, necesse sit effectum poni; sunt enim quædam causæ, quæ ordinantur ad suos effectus non ex necessitate.* (1. p. q. 115. a. 6.) 2. *Oportet dicere, quòd omne quod est per se, habet causam; quod autem est per accidens, non habet causam.* (ibid.) 3. *Quidquid est causa causæ, est causa effectus, si iste procedat á causa media, secundùm quòd subditur ordini causæ primæ, non autem si ab ea procedat, secundùm quòd exit ordinem causæ primæ.* (1. 2. q. 79. a. 1. ad 3.) 4. *Effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti.* (3. p. q. 62. a. 1.)

Ex primo axiomate infertur, quòd omnis causa ex necessitate agens valet ad confirmandum. Ad refellendum autem quantùm valeat, ex sequenti distinctione intelliges. Sunt aliquæ causæ necessariæ, quæ cum specie distinguantur, effectus tamen ejusdem speciei producunt. Sic Sol et ignis producunt eumdem specie calorem. Sic idem color videtur et luce lampadis, et luce astrorum. Sic etiam, ut Condilliacus docet (in Log. pag. 167. cit. edit.), *Evidentia* rationis *constat, revolutiones diurnas et annuas, quæ supra nos fiunt, posse produci, vel á motu terræ, vel á motu Solis, vel á motu amborum.*

Hæc cum ita sint, tenendæ sunt firmitèr regulæ duæ veterum Dialecticorum. Prima est: *Si causa efficiens agat ex necessitate, et sit unica, valet ad confirmandum et ad refellendum effectum*: *et vice versa.* Exemplum patens sumi potest ex Sole et die.

Secunda regula: *Si causa efficiens, et ex necessitate agens non sit unica aut sola; sed alia reperiatur, á qua possit effectus produci; tunc ex causa efficiente licet confirmare effectum, non tamen refellere: et ex effectu licet refellere causam, non tamen confirmare.* Sint exempla. Hæc argumentatio valet: *Ignis est*: ergo *calor est*; non tamen valet: *Non est ignis*: ergo *non est calor*. Rursùs valet hæc: *Non est calor*; ergo *non est ignis*; non tamen valet: *Est calor*: ergo *est ignis*.

Cum postremæ hujus regulæ veritas adeò manifesta sit in causis reverà agentibus, et in effectibus reverà productis, ¿quis eam applicari non patietur effectibus et causis, vel imaginatis, vel possibilibus, vel hypotheticis? Age-sis: accomodemus eam exemplo Condilliaci. Motus Solis, motus terræ, et motus amborum sunt *juxta ipsum* plures causæ possibiles nostrorum dierum et annorum. Malè igitur arguet si quis dicat: *Habemus dies et annos*: ergo *terra movetur*. Nam cum causa non est unica; ex effectu non licet confirmare causam. Rursùs: perperàm argumentaretur, qui diceret: *Terra non movetur:* ergo *non habemus dies et annos*. Nam ex causa, quæ non est sola, non licet refellere effectum.

Hinc inferre licet caligare mero meridie, et meras nugas garrire, quicumque ex hypothesi á se ipsis conficta argumentantur. Demus enim, summam esse congruentiam rei, quam explicant cum imaginata hypothesi. Quid tum? Nonnè á sublimiori intellectu, vel á vividiori imaginatione fingi poterunt hypoteses, quibus pleniùs congruant effectus, de quibus agitur? Quis hoc negabit? Nihil ergo per hypothesim explicatur, quod non possit aliter explicari, et cujus proindè non sint plures causæ possibiles: ergo ex nulla illarum possunt refelli hujusmodi effectus, neque ex effectu ullo possunt confirmari hujusmodi causæ. Adversus hypotheticam hanc argumentandi rationem plura diximus lib. IV. cap. VII. Ea tamèn sæpiùs repetenda sunt, quòd nova Philosophia vix aliis argumentis utatur ad veterem evertendam.



# CAPUT X.

## *De Loco Oppositorum.*

Ex quatuor oppositis, quæ (lib. 2. cap. XVI. §. 1.) explicuimus, argumenta probabilia multa extrahere poterit Dialecticus, qui notiones ibi traditas non fuerit oblitus. Sunt prætere a axiomata quædam ad unumquodque eorum pertinentia, quæ hìc perfunctoriè recitabuntur.

Ad *Relata* spectant hæc duo. 1. *Cui inest unum relatorum, illi respectu ejusdem non potest inesse alterum.* 2. *Relata simul ponuntur, et simul tolluntur.* Hinc depromptum videtur argumentum quod legimus Malach. 1. *Filius honorat Patrem, et servus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus Ego sum, ubi est timor meus? Dicit Dominus exercituum.*

Ad *Contraria*, hæc tria. 1. *Cui convenit unum contrariorum* (medio carentium), *non potest alterum con-*

*venire*. 2. *Contrariis contraria* (per se) *conveniunt*. 3. *Contraria sub eodem genere continentur*. Ex secundo videntur desumi argumenta illa Proverb. cap. 11. *Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia: ubi autem est humilitas, ibi et sapientia*. Item: *Qui ambulat fraudulentèr, revelat arcana, qui autem fidelis est animi, celat amici commissum*.

*Privantium* tres sunt Maximæ his, quæ ad contraria spectant, valdè similes 1. *Cui unum privantium per se convenit, fieri non potest alterum convenire*. 2. *Oppositis privantibus Opposita Privantia per se conveniunt*. 3. *Privantia versantur in eodem subjecto*.

Demùm *Contradicentium* Maximæ ad principium contradictionis revocantur omnes. *Impossibile est idem simul esse et non esse*. Argumenti ex hoc loco ducti exemplum habemus in Evangelio (Joan. 8. v. 47.): *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*.

# CAPUT XI.

## *De Loco Similium et Dissimilium.*

### §. 1.

*De argumentationibus, quæ á Tullio vocantur Collatio et Inductio.*

Argumentationum, quæ ex hoc Loco petuntur, duæ afferuntur species á Cicerone; Collatio et Inductio. *Collatio* est; cum ex uno simili aliud colligimus. *Inductio* ex multis collationibus procedit. *Sunt enim similitudines*, ait, *quæ ex pluribus collationibus perveniunt quò volunt, hoc modo: Si tutor fidem præstare debet, si socius, si cui mandaris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator*. Utriusque argumentationis *Propositio Maxima* est hæc: *Quod verum est in uno similium aut multis, probabile est, in alio similium esse verum*. Ex hoc infertur hunc locum valere, et ad confirmandum, et ad refellendum. Exempla in promptu sunt. Prioris modi: *Si feræ partus suos diligunt; quâ homines charitate in filios suos esse debent?* Posterioris: *Quod est oculus in corpore, id est mens in anima; sed oculus vitiatus humoribus*

*non potest rectè cernere:* ergo *neque mens perturbationibus occupata potest rectè judicare.*

Modo opposito, ut par est, ducuntur á *Dissimilibus Inductiones* Topicæ, et *Collationes*, quæ duabus his *Maximis* innituntur. 1. *Quod verum est in uno Dissimilium, probabile est, esse falsum in alio.* 2. *Quod in uno Dissimilium est falsum, probabile est, in alio esse verum.* Igitur valent etiam et ad confirmandum et ad refellendum. Ad confirmandum: ex. gr. *In hoc differt anima nostra ab anima belluarum, quòd nostra est immortalis, et belluarum mortalis; sed belluarum proprium est in diem vivere, nec prospicere rebus futuris:* ergo *nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.* Ad refellendum: ex. gr. *Navis et amicitia sunt dissimiles quantùm ad usum; sed navis nova melior est vetere: non ergo est melior amicitia nova.*

Ad dissimilia pertinent *Majora* et *Minora*, quando sic dicuntur non ex magnitudine, sed ex probabilitate, ut *Majus* dicatur, quod probabilius est; et *Minus*, quod est minùs probabile. Hoc tamèn discrimen præ oculis habendum; quòd á *Minori* ducuntur argumenta ad refellendum tantùm, á *Majori* autem tantùm ad confirmandum. En exemplum prioris modi: *Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* (1. Pet. 4.) En secundi: *Potest ferre pondus centum librarum:* ergo *et quinquaginta.*

Cavendum tamèn in argumentis ex utroque hoc Loco desumptis, nè accipiamus similia pro dissimilibus, aut contra. Ut vitemus hoc vitium, attendere debemus, et considerare diligentèr, penes quam rationem sint similia, aut dissimilia ea, quæ inter se comparamus. *Sæpè* enim contingit, ut quæ sunt similia secundùm aliquid, secundùm aliud sint dissimilia. Si ergo in antecedenti comparemus illa secundùm unam rationem, et in consequenti secundùm aliam; non argumentatio probabilis, sed verum sophisma conficietur. Hoc vitium manifestum fit in sequenti fallacia: *Sic se habet Logica ad cæteras disciplinas, sicut Rethorica; sed Logica uti debet brevi, et conciso sermone: ergo etiam Rethorica.*

§. 2.

*De argumentis ex Proportione, et Proportionalitate.*

Duo hæc nomina alitèr nunc, alitèr olim in Mathesi et Philosophia definiebantur. Dominicus Soto in utraque disciplina instructus sic definit (in 7.^m Phys. Digres. de proport.): *Quemadmodum* Proportio *habitudo est inter duas quantitates; ita* Proportionalitas *est proportio inter duas pluresve proportiones.* Ad Proportionem itaque duo termini

sufficiunt; ad Proportionalitatem autem requiruntur saltèm quatuor. Mathematici hodierni, voce *Proportionalitatis* posthabita, comparationem unius quantitatis cum alia vocant *Rationem*; et *Proportionem* definiunt: *Duarum Rationum æqualitatem.* Ex hac definitione fluunt axiomata duo, maximi apud illos usus. 1. *In omni Proportione* (nos proportionalitatem vocabimus) *Geometrica productum extremorum æquale est producto mediorum.* 2. *Quoties productum extremorum est æquale producto mediorum, est Geometrica Proportio.*

Hinc plures demonstrationes in Geometria formantur. Assumit enim Geometer quatuor quantitates ita affectas, ut sicut se habet prima ad secundam; ita tertia ad quartam. Ex. gr. 2. *ad* 4. *sicut* 3. *ad* 6., quæ *rationes* sunt æquales; quia utriusque idem est *exponens*, scilicet *quotiens*, qui in unaquaque invenitur dividendo majorem quantitatem per minorem. Commutat deinceps rationes *alternando*, *invertendo*, *componendo*, *dividendo*; et sempèr resultat productum extremorum æquale producto mediorum. Undè infert, commutatas eo modo rationes inter se esse proportionales. Hæc argumentandi ratio, quæ dicitur á proportione commutata, est utiquè syllogismus demonstrativus, et non dialecticus, proindequè ad Artem Topicam non spectat, sed ad Analyticam.

Pertinent autem ad Topicam *Proportio*, et *Proportionalitas* eo sensu acceptæ, quo in aliis scientiis locum habent. Sciendum est enim ex D. Thoma (1. p. q. 12. a. 1. ad 4.) »Quòd *proportio* dicitur du»plicitèr. Uno modo, certa habi»tudo unius quantitatis ad alteram. »Alio modo, quælibet habitudo u»nius ad alterum *proportio* dicitur. »Et sic potest esse proportio Crea»turæ ad Deum, in quantùm se »habet ad ipsum, ut effectus ad »causam, et ut potentia ad actum." Nomina igitur *Proportionis* et *Proportionalitatis* á Mathesi ad alias scientias transferuntur: et sicut in illa solùm conveniunt quantitati á materia sensibili abstractæ, ita in aliis accommodantur relatis omnibus, de quibus illæ tractant. Hoc etiam docet Præcep. Ang. in Suppl. q. 92. a. 1. ad 6., ubi hoc addit observatione dignissimum. *Quamvis finiti ad infinitum non possit esse proportio, potest tamèn esse inter ea proportionalitas, quæ est similitudo proportionum.*

Ex his habes, quid sint *Proportio*, et *Proportionalitas*, in rebus naturalibus, vel moralibus consideratæ. Proportio est: *Relatio, qua unum comparatur ad aliud*: ut motus ad mobile, scientia ad objectum, charitas ad Deum. Proportionalitas est: *Similitudo inter duas proportiones, sive relationes*: ut si

quis dicat, sic se habet intellectus ad voluntatem, sicut imaginatio ad appetitum sensitivum: sic se habet Pater ad filium, sicut Magister ad discipulum.

Argumenta igitur, quæ ex proportione ducuntur, si hæc proportio non fuerit relatio similitudinis, ad locos 3.$^{m}$ et 4.$^{m}$ mox expositos pertinent. Si verò á relatione similitudinis arguatur, ex primo hujus capitis paragrapho petendæ sunt regulæ. Et quidem proportio duorum similium, et similitudo duarum quarumcumque proportionum materiam Ciceronianæ *Collationi* suppeditant. *Inductioni* verò proportionalitas, in qua plures quàm duæ similitudines proportionum inveniantur.

Manifestum est autem, quôd nec *Collatio* ista, nec *Inductio* sunt demonstrationes, sed tantùm argumentationes probabiles; procedunt enim, non ex *æqualitate* proportionum, (sive rationum aut relationum,) sed tantùm ex earum *similitudine*. Cumque similitudo in rebus creatis non teneat in omnibus, benè verò æqualitas quantitatum; inde est, quòd Mathematici ex suis proportionibus verè et perfectè demonstrant; in aliis verò Disciplinis nec á proportione similium, nec á similitudine proportionum formatur unquàm vera ulla demonstratio, sed tantùm syllogismus dialecticus.

Sed quorsùm hæc, inquies, tam longè petita, et tam fusè exposita? Nè te, bone spei Adolescens, transversum aliquandò agant, quæ novi Philosophi scribunt de hoc loco, aliis vocibus significato, aliisque coloribus repræsentato; quæ est Poetarum industria, ad flectendum, quò velint, debiles existimationes, sivè imaginationes, quemadmodûm monuimus ex D. Thoma (cap. II.). In sequenti paragrapho eorum ambages aperire, et profligare curabimus.

## §. 3.

### *De analogia, ex quâ arguere solet Condilliacus.*

Quamvis *Analogia* et *Proportio* duæ sint voces idem significantes, ut diximus (Lib. II. cap. VIII. §. 1.), græca tamen vox aptior videtur ad faciendum fucum imperitis. Nos, qui de rebus potiùs quâm de vocibus curandum censemus, libentèr patiemur affirmari de *Analogia*, quæ hucusquè de *proportione* et *proportionalitate* diximus: Cæterùm græca vox apud novos Philosophos præter hæc duo aliquid altius et illustrius in sua significatione complectitur. Audiatur, qui sibi solus videtur sapiens, Condilliacus, (De ratiocinandi Arte Lib. 4. cap. 3.) sic definiens: *Analogia est veluti catena, quæ á conjecturis incipit, et usque ad evidentiam protenditur.* Hoc de proportione et proportionalitate mathematicis nequit intelligi; hæ siquidèm non incipiunt á

conjecturis. *Analogia* ergo, sivè proportio sic definita, non est nisi proportio illa, quæ ab aliis scientiis, v. gr. á Physica consideratur. Quid autem falsius, quid absurdius cogitari poterat, quàm conjecturas ex proportione physica vel morali ductas evidentiam parere?

Contigit Condilliaco, ejusque sectatoribus, quod homini valdè suspicioso, qui multiplicatis suspicionibus ita pravè afficitur, ut certius et evidentius existimet illud quod suspicatur, quàm quod oculis videt, et manibus attrectat. Sanè ita se habet ex parte intellectus suspicio ad certitudinem, sicut ex parte objecti intellectus conjectura ad evidentiam (Recole dicta lib. III. cap. VIII.); atqui nulla est catena, quæ suspicionem cum certitudine uniat: ergo nulla est quæ evidentiam conjecturis adnectat.

Argumentatio hæc nostra ex datis á Condilliaco majores vires accipit. Statuit ille postremo suæ Logicæ capite (edit. Matr. pag. 166.): *Conjecturam esse quid medium inter evidentiam et analogiam, quæ ferè non est*, inquit, *nisi debilis conjectura*. Addit autem (pag. seq.): *Analogiam fundatam in relatione effectùs ad causam, vel causæ ad effectum, vim et naturam demonstrationis acquirere; quoties ad eam confirmandam concurrant aliæ circunstantiæ;* scilicet relationes, quas mox (pag. anteced.) explicuerat et dinumeraverat; nempè *similitudinis*, *objecti*, et *finis*. Itaque vim argumenti ex sua analogia ducti dividit in gradus, quorum primus oritur ex conjectura, et postremus ex evidentia, cum tamen unusquisque eorum seorsim consideratus non procedat nisi ex debili conjectura, utpotè ex una tantùm analogia. Quid similius illusionibus suspiciosi, quàm hæc evidentia?

Præterea: Ecce, ó Studiosi Juvenes, fallacem illum *Soritem*, qui *Chrysippeus* dicitur. Ecce captiosissimum illud quæstionum genus, quo veteres Sophistæ secum disputantibus illudebant. Interrogabant enim hoc pacto: *¿Decem grana tritici pauca sunt, an multa? ¿Efficiunt nè acervum, an non?* Permittatur somniata illa evidentia, et urgeatur Condilliacus analogia sua graduali, seu potiùs acervali, ad formam Soritis redacta hoc modo: *Tuæ catena analogiæ constituitur ex decem relationibus, àn ex pluribus? ¿Decem relationes protendunt catenam tuam á conjectura usque ad evidentiam, àn non?* Nonnè ipse diceret, has esse interrogationes Chrysippi? Analogia ergo Condilliaci, quæ habetur ut *Aries novæ Logicæ*, purus putusque Sorites est; et convertenda in ejus Sectatores propositionis stropha, si quando in disputatione aliqua araneosæ hujus catenæ texturâ vos irretire intendant.

Optamus insuper, ut seriò cogitetis, novam Philosophiam substituisse Loco Dialectico, de quo in hoc cap. agimus, vaferrimum istud tortuosæ Analogiæ artificium, ut hac *veluti catena* trahantur incauti, id est, semidocti, et adolescentes dociles ad credendum, dari mundos innumerabiles, atque Planetas esse totidem Orbes Terraqueos, sicut noster, habitatos; totumque id esse rem demonstratam; cum tamen non modò sit manifestè temerarium, sed etiam valdè periculosum in fide, ut suo loco ostendemus.

Is est scopus Analogiæ Condilliaci, qui stylo suo apparentèr perspicuo, implicatissimas cogitationes involvens, ad eum Logicos suos ducit hac argumentatione (p. 167.): *Per evidentiam rationis habetur, duplicem Planetarum revolutionem,* hoc est, rotationem et orbitam *efficere dies, stationes*, et *annos; atqui in terra sunt dies, stationes et anni:* ergo *duplex est in terra revolutio; orbita*, scilicet, *et rotatio.* Hæc in Logicâ vulgari sermone edita. In arte autem ratiocinandi (Lib. 4. cap. 3. tom. 2. pag. 248. edit. Paris. 1803.) hæc addit: *Credendum non est, systema Universi* (his vocibus intelligenda venit creatio mundi) *non habere pro fine nisi atomum, quæ vix animadvertitur in Cœlorum immensitate.* (Hæc atomus est terra, quam incolimus.) *Finem nimis angustum, nimisque dejectum tribueret Naturæ,* (Naturam nominat, non Deum. Vide Vocabularium, cujus meminimus Lib. 1. cap. 6. §. 3.) *qui cogitaret, eam tot luminaria supra nostra capita non collocasse, nisi ut essent dignum oculis nostris spectaculum. Hujusmodi opiniones* (sic concludit) *nimiùm vanæ sunt, nimiùm absurdæ.*

Deliria hæc suo loço funditùs, Deo benè juvante, dissipabimus. Nunc urget ostendere, quis sit finis creationis hujus Universi: Nam hoc vel ignorat Condilliacus, vel simulat se ignorare. Intelligat ergo primum omnium ex D. Thoma (1. p. q. 44. a. 4.), *quòd Deus non agit propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solùm communicare suam perfectionem, quæ est ejus bonitas, cujus similitudinem unaquæque creatura intendit consequi.... Sic ergo Divina Bonitas est finis omnium rerum.* Hac veritate intellectâ, sciat etiam ipse, et sciant ejus sectatores, omnia á Deo creata fuisse ad utilitatem hujus atomi, quæ est terra. Quia videlicet in hac *atomo, quæ est terra, Verbum caro factum est, et habitavit, factus obediens usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum* (Philip. 2.). Finis igitur, cui hæc cælorum immensitas opitu-

latur, est gloria Christi, qui utique non in planetis, sed in terra *cum hominibus conversatus est.*

*Analogia* hæc (demus Condilliaco hanc vocem) *Analogia hæc*, sive relatio rerum creatarum ad suum finem, dilucidiùs declaratur ab ipso D. Paulo (1. Cor. 3.) tribus his verbis: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

Hunc textum, ascitis ex subliniori Theologia doctrinis, perfectissimè exposuit Sapientissimus Bossuet concione integra de *omnibus Sanctis*, quæ est secunda. Si Lectores nostri (qui nihil non rerum debent satagere, ut discipulos contra impiorum Philosophiam muniant,) eam concionem attentiùs legerint, experientur, sententiam hanc Apostoli esse veluti locum, non modò Theologicum, sed etiam Philosophicum, ex quo innumera argumenta possunt erui ad *comprehendendos sapientes* hujus sæculi *in astutia eorum*; nam et hoc paulò ante animadverterat ipse D. Paulus. Sed ad propositum.

Suis hìc verborum ambagibus apprehendendus est Condilliacus. Fatetur ipse (in Log. cit. pag. 167.) *fieri posse, ut quod Auctor naturæ in pluribus universi partibus repetit propter eumdem finem, aliquandò non permittat contingere, nisi ut aliquid consequens ad systema generale: hoc est, ut resultans ex necessitate materiæ*, sic enim loquuntur Peripatetici, ut diximus ex D. Thoma. (Cap. IX. §. 2.) Demus ergo inventæ ab eo Analogiæ, in aliquibus Planetis esse dies, stationes et annos. ¿Unde novit, eos ordinari á Deo ad conservandam vel dandam vitam Planeticolis? Audivitnè ab aliquo eorum? Nonnè possunt hujusmodi phœnomena, sive motus Planetarum á Deo *Auctore naturæ permitti, ut aliquid consequens ad systema generale?* vel, ut formula nostra utamur, ut quippiam *resultans ex necessitate materiæ?* Certè quamvis dies, stationes et anni Planetarum (si darentur) nullam terræ utilitatem afferrent, eam tamèn afferrent incolis terræ, qui diligunt Deum. *Scimus* enim, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (Rom. 8. v, 28.)

Obmutescat ergo Condilliacus ad vocem Pauli. In fumum abeant *Chrysippei* ejus *Sorites*, ex præpostera *Analogia* ducti. In his, quæ á divino pendent beneplacito, tenenda est Tertuliani regula: *aut á Deo disce, aut á nullo.* Scimus Deo revelante, quòd omnia creata sive cælestia, sive terrestria sive inferna ad salutem electorum conferunt: quòd salus electorum ad exaltationem Christi, quatenùs hominis, ordinatur; et quòd hæc Christi exaltatio est propter gloriam Dei. *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei.* Sic impletur illud (Prov. 16. v. 4.): *Universa propter semetipsum operatus est Domi-*

*mus; impium quoque ad diem malum.* Enimverò qui hæc hodiè nolunt credere, *credent* aliquandò, *et contremiscent* (Jac. 2.) sicut *Dæmones.*

Longiores hoc loco fuimus, quàm studentes optassent. Sciant tamèn, de re tanta plura dicenda superesse, quæ opportuniori loco reservamus. Interìm adversum crassam hanc Condilliaci Analogiam consuli possunt Lugdunenses Diss. 2. Log. Cap. 1. art. 4. §. 6., et Genuens. Lib. v. Art. Log. Cap. xi. §. 16.



# CAPUT XII.

## *De Loco Auctoritatis.*

Locus iste dialecticus valdè distat á seipso, nunc et olim. Tunc Philosophis idolorum cultoribus pessimas ministrabat propositiones Maximas; nunc autem amatoribus veræ Sapientiæ, quæ est Christus, optima suppeditat argumenta. Agnoscebant equidèm Gentiles Auctoritatem non modò humanam, verùm etiam divinam. Sed quam? Vah! *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis. Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum.* (Rom. 1.) Ab ipso Cicerone novimus, testimonia divina apud illos fuisse ista: 1. Deorum (dæmoniorum) oracula. 2. Vaticinationes divinantium. 3. Ariolorum interpretationes. 4. Augurium auspicia. 5. Aruspicum responsa. His tenebris doctrinas Philosophicas Sapientium paganismi ubiquè involutas invenies.

Auctoritatem humanam, ait ipse Cicero, multa sunt, quæ afferunt. Ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnumquàm rerum fortuitarum. Et rationem assignat, quoniàm qui his rebus excellunt, ipsa virtute videntur excellere. Opinio enim est, non modò virtutem habere eos, qui habeant, sed eos etiam qui habere videantur. Dialectici ergo, qui ante Religionem Christianam floruere, ex vana quadam virtutis et sapientiæ specie auctoritatem petebant ad faciendam fidem.

Nunc de Auctoritate tum divina, tum humana longè aliter loquendum est. Porrò quomodo ex utraque possint á nobis argumenta duci, sapientissimè et elegantissimè explicuit Melchior Canus; cujus regulæ et pronunciata, ad Theologorum utilitatem scripta, possunt etiam magna ex parte Philosophis deservire. Cum autem vos Fratres ejus immortali operi statim post decursam Philosophiam incumbere debeatis; jus et æquum postulant, ut vobis, nunc satis in studio laborantibus, opem

feramus: et Loci ab Auctoritate explicationem, quæ alioquì annum integrum exigit, hoc tempore omittamus.

Duo tamèn sunt, quorum cognitionem vobis anticipare placet. Statuit Illustrissimus Auctor Libro Decimo, quòd *Philosophorum omnium una eademque consensio certam fidem facit Philosophici dogmatis.* Hæc loco Propositionis *Maximæ* habenda est, atque in memoriam revocanda, quotiescumquè nomen Condilliaci nobis occurrat: ejus enim tota Logica eò tendit, ut omnes ante ipsum Philosophi res nec attigisse videantur.

Statuit etiam ipse Canus, quòd Aristotelis Auctoritas certis finibus circumscribenda est; tum propter alia multa, tum quia nec Dei Providentiam agnovit, nec præmia et supplicia, quæ probos et improbos in futura vita manent, confessus est. Hoc ipsum satis insinuaverat D. Thomas 2. 2. q. 36. a. 2. Propter hunc aliosque errores nos non Aristotelis, sed D. Thomæ Philosophiam vobis tradere curamus; et ob eamdem causam tamquàm inutiles abjicimus quæstiones omnes, quæ de sensu verborum Aristotelis olim agitari consueverunt.

His duabus veluti Maximis sequentes ex Fonseca adjicimus, huic loco opportunas. 3.ª *In usu verborum sequenda est vulgi consuetudo.* 4.ª *In sententia de rebus ferenda judicium Sapientum in magno pretio est habendum.*

Hæc sufficerent ad hujus loci explanationem, nisi in eo nos detineri cogerent Libertini quidam, qui argumenta ex auctoritate ducta contemnunt omnia, quòd putent, nullos fieri posse in Philosophia progressus, nisi pro suo unusquisque libito et omni abjecto freno philosophetur. Age ergo: ad manus cum eis veniamus. Cum enim Locus Auctoritatis omnes alios complectatur, ut patet ex definitione probabilium (cap. III.), si argumenta ab Auctoritate non subsistant, oleum et operam in toto hoc quinto Libro insumptam perdidimus.



# CAPUT XIII.

## *In quo quæritur: Utrum sit magis expediens ad proficiendum in Philosophia, opiniones varias ex variis Philosophorum sectis eligere, àn uni tantùm sectæ adhærere?*

Videantur ad conf. *Canus de Loc. lib. x. cap. IV. et V.: Roselli tom. I. quæst. I. art. 7.: Genuens. Art.*

*Log. lib. I. cap. VI. §§. 14. 15. 16.*

Laertius in fine Proemii, post enumeratas novem vetustiores Philosophorum sectas, hoc subdit: *Quamquàm haud ita pridem* Eclectica, *seu ut ita dicam*, Electiva *quædam secta á Potamone Alexandrino introducta est, qui de singulis Sectis, quæ sibi placuere, selegit.* Hanc philosophandi rationem jactant se hodiè profiteri duo hominum genera ob fines valdè diversos.

Philosophi quidam Religioni ac Reipublicæ æquè infensi, qui ad instar Aquilæ, quam describit Jobus (cap. 39.), *ex præruptis silicibus contemplantur escam, et de longè oculi eorum prospiciunt*, Eclecticam Philosophiam tàmquàm suis conatibus opportunam promovent ac laudant. Ab id genus Eclecticis cavendum esse monuimus lib. I. c. XIV. §. I.

Quidam autem viri boni se nominant *Eclecticos*, quòd putent hoc nomine sibi famam conciliare. Non vos pigeat eorum descriptionem ex numquàm satis laudando Facciolato audire. »Difficile est, *inquit*, abstinere risus, quoties illi, docendi »Philosophiam munere assumpto, »ludum aperiunt, magnisque pro»missis ante denuntiant, se non Pla»tonicos esse, non Aristoteleos, non »Gassendicos, non Cartesianos: Es»se in Veteribus, esse in Novis, »quod sibi displiceat: Esse etiam in »utrisque, quod placeat: Nemini se »auctoratos fore; sed ex omnibus »optima colligendo, suisque miscen»do, liberum Philosophandi genus, »ingenti cura et meditatione quæsi»tum, allaturos."

Deinde, quid ipse de hoc docendi genere sentiat, ita declarat. »Mi»hi quidèm ita videtur: nihil esse »adolescenti periculosius, quàm hu»jusmodi homines ab initio offende»re, qui non vident, satius esse, u»num aliquod tradere ex illis, quæ »probatissima sunt, et Auctoris fa»ma commendata, quàm suo de nó»mine Philosophos facere, et citò »dediscenda venditare."

Tandèm, quid sibi ex hac admonitione polliceatur, ostendit dicens: »Sed ego hæc adolescentibus persua»dere fortassè potero; Magistris »persuadere non potero, qui nullam »se laudem referre clamant, si nihil »de suo, nisi vocem in Scholas affe»rant. Hoc scilicet eorum vitium »est; ut velint, non ad discipulo»rum utilitatem, sed ad ingenii os»tentationem docere: nec tam esse »Magistri, quàm videri Philosophi."

Hactenùs Recentium Peripateticorum insignior in Oratione ad *Philosophiam*, cujus est hoc Lemma: *Nulla est adolescentibus tradenda Philosophia, nisi historica.* Sciendum est tamèn, quòd cum eam Facciolatus scripsit, Oratorem egit, non Philosophum, ut fassus est ipse. Alioquì *Dubio Methodico* Cartesii suppetias ferret, quod tamèn ex animo reprobat. (Log. Per. P. 3. c. VII.)

Hæc transcribere libuit non modò propter saluberrimam animadversionem, quam continent; sed etiam quia statum quæstionis hujus nitidè aperiunt ac figunt. Non enim de nomine *Eclecticorum* disputamus. Scimus, hanc vocem esse ambiguam, ut mox dicemus, atque interdùm in bonam partem, interdùm in malam interpretari. Non igitur adversus Potamonem, sed adversus Philosophicam libertatem, quam sibi sumunt novi Eclectici utriusque generis, sequentia statuimus.

Propositio 1.a *Parùm, vel nihil in Philosophia proficeret sive docens, sive addiscens, qui ex auditis plurium, vel omnium Philosophorum opinionibus, eam tantùm, quæ sibi placeret, sectaretur.*

Prob. 1.º ex dictis: Docuimus (Lib. IV. cap. 23.) ex D. Thoma 2. 2. q. 1. a. 4., quòd intellectus noster non assentiretur opinabilibus, nisi per quamdam electionem voluntariè declinaret in unam partem magis quàm in aliam. Rursùs diximus, (hìc cap. 3.) difficile esse lancem invenire, quæ pondus probabilitatis *intrinsecæ* rectè et exactè designet, cum tamen gradus *extrinsecæ* probabilitatis, sivè loci ab *Auctoritate* possint ferè ab omnibus cognosci. Ex his ergo sic argumentamur. Periculosè judicat de opinabilibus, qui aliquibus eorum assentitur, propterea quòd sibi placeant: ergo qui ita faceret, parùm vel nihil in Philosophia proficeret. Antecedens demonstrari potest ex his, quæ dicta sunt (Lib. III. cap. VII.) de causis falsitatis judiciorum nostrorum.

Prob. 2.º Notum est inter Philosophiæ veteris, sive Reformatores sive Obtrectatores plures esse, qui opiniones tuentur, Fidei nostræ Catholicæ Romanæ vel eminùs vel cominùs, vel clàm vel palàm insidiantes. ¿Quis autem nisi Theologus omnibus suis numeris absolutus potest internoscere venenum sub melle latens, hoc est, errores ad quos tandèm ducunt propositiones Philosophicæ plurimæ, quæ ad quatiendam clàm vel eminùs fidem á Deistis et á Jansenistis propugnantur? Sic ergo argumentamur adversus Eclecticos Catholicos. Si quis vestrùm, qui Theologus perfectus non sit, ex novis Philosophorum sectis (quæ utiquè á veteribus derivantur) opiniones pro suo libito eligat, manifestò se exponit periculo amplectendi sententias contrarias fidei: ergo debet ab hac philosophandi ratione abstinere: ergo ab ea totis viribus absterrendi sunt et Magistri, et discipuli Philosophiæ incumbentes.

Prob. 3.º Omnis disciplina vel scientia, his nominibus digna, est veluti corpus quoddam, in quo omnia sunt connexa, omnia ordinata, omnia sibi invicem cohærentia; atqui hoc non assequeretur,

qui ex variis Philosophorum sectis varias sententias ad libitum colligeret, ut ex eis unum doctrinæ corpus formaret: ergo modus hic philosophandi non modò non prodesset, sed etiam obesset docentibus et addiscentibus. Prob. min. Principia sivè Propositiones *Maximæ* in una eâdemque secta eadem sunt, in diversis autem diversa, et in oppositis opposita. Idem dic de conclusionibus, quæ á suis principiis derivantur, nec possunt ab eis divelli. Si ergo quispiam ex omnibus vel ex pluribus sectis indiscriminatìm sumat, quæ sibi placeant, similis erit pictori, qui sumpserit ab homine caput, ab equo cervicem, ab avibus plumas, á piscibus caudam, et ab omni brutorum genere membra reliqua, ut unum tantùm corpus oculis nostris exhibeat. Sane Stanlejus (de Phil. Eclec. cap. 6.) fatetur: *Systema doctrinarum Eclecticæ Scholæ omni ex parte cohærens confici facilè haud posse.* Jam antea dixerat (cap. 5.) *Passìm sibi ipsis Eclecticos homines contradicere.* Mirandum certè, quòd his non obstantibus rationem eclecticè philosophandi probaverit.

Prop. 2.ª *Nihil magis expedit Philosopho Christiano, sivè docenti sivè addiscenti, quàm adhærere disciplinæ philosophicæ alicujus Sapientis, qui inter Ecclesiæ sapientes spectatissimus habeatur.*

*Inter Ecclesiæ Sapientes:* hoc est, inter Philosophos, qui sint etiam Theologi Catholici Romani. Hi enim sunt, et non alii, qui cum doctrinam veræ fidei probè agnoscant et revereantur, Philosophorum Veterum et Novorum sententias, ex quibus error aliquis, vel contra doctrinam Ecclesiæ, vel contra Principum jura pullulat, vel pullulare potest, statim subodorantur, manifestant, abjiciunt, insectantur. Dicimus ergo, quemlibet ex his posse tibi esse philosophandi Ducem: Inferri tamen ex definitione *Probabilium* cap. III. exigi á prudentia, ut ex hujusmodi Sapientibus illum eligas, qui Spectatissimus habeatur.

Propositionem hanc sic explicatam convincunt probationes pro priori adductæ. Enimverò qui in tradenda vel audienda Philosophia Ducem ea laude præditum sequitur, *Primò:* cum in aliqua controversia veritas nondùm est explorata, vel nondùm potuit præ ætate explorari; Studiosus eligit sententiam, in qua est saltèm supremus gradus probabilitatis extrinsecæ. *Secundò:* Nullum ejus fidei periculum imminere potest ex nimia erga eum reverentia, in cujus disciplinam se dedit. *Tertiò:* Disciplinæ incumbit, in qua quoddam veluti corpus ex doctrinis philosophicis exactè compactum ipsi exhibetur; in qua definitiones, divisiones, et argumentationes aptè copulantur; in qua

principia et conclusiones quamlibèt remotæ, ordinatè connectuntur; in qua, nè sibi invicem repugnantia dicantur, diligentissimè cavetur; in qua demùm extrema primis, media utrisque, omnia omnibus respondent. Ergo modus hic docendæ vel addiscendæ Philosophiæ Christianæ præferendus est reliquis.

Non abs re erit in ejusdem propositionis commendationem advocare testimonia heterodoxorum hominum. *Illa enim*, inquit D. Irenæus, (Lib. 4. adv. hær. cap. 14.) *est vera et sine contradictione probatio, quæ etiam ab adversariis ipsis signa testificationis profert.* Sciant ergo, qui nos Peripateticæ Scholæ tamquàm scopulo adhærentes exsibilant, hæc scripsisse Tomasium: (in Præfat. Phys.) *Solemus in hac Academia* (Lipsiensi) *sequi Aristotelem libenter, quòd, etsi servitutem ingenuo homine indignam vocare solent hodierni libertini, tamen commoditas hujus Instituti, modò absit apertè falsorum, aut malè cum cælesti doctrina cohærentium pervicax propugnatio, æquis judicibus facilè se, spero, approbabit.*

Sciant etiam Morhofium hæc scripta reliquisse (in Polihistor. litter. lib. 2. cap. 2. §. 28.): *Non malè suis rebus quædam Academiæ consuluerunt, quæ veteres Philosophiæ Peripateticæ terminos moveri prudenti consilio prohibuerunt: quod etsi quibusdam asperum nimis et durum videtur, qui libertatem philosophicam crepant, sciant illi, publicam philosophandi formam necessariam esse.*

Sed cur in re apud viros et catholicos, et sensatos minimè dubia utimur his testibus? Cur non potiùs in testem omnium exceptione majorem advocamus experientiam ipsam ingentium calamitatum, quas totus orbis hodiedùm deplorat? Undè atrox illa Altarium et Thronorum eversio? Undè tot clades? undè tot miseri? Undè tot mala, nisi ex præpostera et malè intellecta libertate philosophandi?

Jure igitur ac merito cautum severè est nostri Ordinis Prædicatorum legibus, ut nè quis á S. Thomæ doctrina, etiam in re philosophica vel minimùm recedat: et similiter constitutum, nè docendi munus quis assumat, qui non antè jurans promisserit, se Angelici nostri Præceptoris doctrinam fore omninò ac fideliter sectaturum. Hic opportunus esset locus ostendendi pluribus hujusmodi legum sapientiam. Sed actum ageremus. Nam Rossellius earum laudes diligentissimè persequitur (tom. 1. q. 1. art. 8.), quem quidem articulum Lectores omnes ac Studentes nostros probè notum ac perspectum habere necesse est. Progrediamur igitur.

*Solvuntur objectiones.*

Objicies 1.º Referunt, qui Phi-

losophorum historiam post Laertium scripsere, Veteres Ecclesiæ Patres, Clementem Alexandrinum, et S. Gregorium Taumaturgum, Ammonium item et Origenem fuisse Philosophos Eclecticos: ergo Eclectica philosophandi ratio non est Philosopho Christiano indigna. = Resp. Dist. ans. Sancti Veteres fuere *Eclectici*, sic dicti ex immoderata et omnimoda libertate philosophandi N. ans. Sic dicti ex libertate, qua opiniones fidei consonas eligebant, et dissonas rejiciebant. C. ans. et N. conseqm. Itaque primi illi Philosophi Christiani, præsertim qui Alexandriæ post Potamonem floruere, ex libris Gentilium Philosophorum saniora principia elegerunt, iisque usi sunt, ut ex *concessis* eorum errores debellarent. Hoc sensu doctores quidam Ecclesiæ dicti sunt *Eclectici.* Eodem sensu et nos vocari *Eclectici* et possumus, et debemus. Hæc enim habet D. Thomas (1. de anima lect. 2.): *Necesse est accipere opiniones Antiquorum, quicumque sint.... Et hoc quidèm ad duo erit utile.* Primò: *quia illud, quod benè dictum est ab eis, accipiemus in adjutorium nostrum.* Secundò: *quia illud, quod malè enunciatum est, cavebimus.*

Resp. 2.º Conc. ans. et Dist. cons. Philosophia *Eclectica latè sumpta* non est Philosopho Christiano indigna C. conseqm. *strictè* et propriè intellecta N. consm. Dicimus, quod Philosophia *Eclectica* dividitur contra *Sectariam.* Sectarii autem propriè dicuntur illi, apud quos auctoritas sine ratione valet. Hujusmodi erant Pythagorici. Cum ergo oppositorum opposita sit ratio, *Eclectici* propriè dicuntur illi, qui auctoritatem saltèm humanam pro nihilo habentes, propria tantùm ratione veritatem quærunt, et invenire se jactant. Sanè Genuensis ita definit (Lib. 1. Log. cap. VI. §. 16.): *Philosophia Eclectica seu Electiva ea est, in qua sapientiam ratione* tantùm *quærimus.* Heineccius verò (Hist. Phyl. cap. III. §. 92.) affirmat, quòd *omnes ferè sectarum Auctores* (quos nominat), *quin et ipse Aristoteles, Eclectici* fuerunt. Quo loco *Eclecticorum* nomen *latè* accepisse necesse est. Nam Aristoteles Auctoritatem numerat inter Locos Dialecticos, et ex ea interdùm argumenta profert. Nunc eò res devenit, ut *Eclecticorum* nomen sibi sumant, quicumque volunt; ut patet in illis, quos ex Facciolato descripsimus.

De abusu autem et ambiguitate hujus vocis, sic habeto. Novi Philosophi nihil non moliti sunt, ut Scholam é gradu dejicerent, eique ex omni latere invidiam conflarent. Nomina quædam (ut diximus lib. 1. cap. III. §. 1.) præter significationem primariam habent aliam secundariam, quæ dicitur *consignificatio. Secta* et *Sectarii* sunt apud nos vo-

ces invisæ, et malè sonantes; quòd earum *consignificatio* ex consuetudine ad hæreticos referatur. Inde ergo arripuit ansam Nova Philosophia, ut nomen Eclecticorum illustre et gloriosum redderet. Sic factum est, uti illud ambiant vulgares quidam Philosophiæ Professores, qui gloriam hominum potiùs quærunt, quàm discipulorum utilitatem.

Obj. 2.º Sicut oculi nobis á Deo dati sunt ad videndos colores, ita ratio, ut per eam veritates, quæ captum nostrum non superant, capiamus; sed præter intentionem Creatoris ageret, qui sanos habens oculos, alienos ad aspiciendum mutuaretur: ergo præter intentionem Creatoris agit homo sui compos, qui in his quæ ad fidem non attinent, ratione propria non regitur, sed in alterius verba jurat.

Ante responsionem animadvertere placet, quòd *Jurare in verba Magistri* evasit loquendi formula odibilis et invisa, quam Scholæ osores Peripateticis accommodant. Hæc olim de solis Pythagoreis dicebatur. Hos enim *ferunt*, ait Cicero (lib. 1. de Nat. Deor. cap. 5.), *Si quid affirmarent in disputando, cum ex eis quæreretur, quare ita esset? respondere solitos:* Ipse dixit. *Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas.* Nos autem, quamvis á D. Thomæ doctrinâ numquàm recessuros jurejurando polliceamur, ut diximus, non tamèn (quod opportunè monuit Goudinus) propter Authores doctrinam sectamur, sed propter doctrinam Authoribus adhæremus. Angelico verò Nro. Præc. qui spectatissimus inter Ecclesiæ Sapientes extra omnem controversiam est, ita deferendum censemus, ut in rebus dubiis sivè opinabilibus potiùs existimemus nos falli, quàm summum illud ingenium, qui sodali suo Fr. Reginaldo (ut canit Ecclesia) dicere solebat: *quidquid sciret, non tam studio aut labore suo se peperisse, QUAM DIVINITUS TRADITUM ACCEPISSE.* Ita tamèn parati sumus; ut si aliquandò certò constaret (verba sunt Rosselli) vel Ecclesiæ, aut Pontificum Maximorum judicio, vel evidentibus indubiisve argumentis, aliquam Thomæ sententiam falsam esse, (quod nullatenùs est timendum) nulla religione obstringeremur ad eam propugnandam: neque enim falsitatis tuendæ ulla potest esse jurisjurandi religio.

Hanc dialecticam á D. Thoma accepimus, qui et (1. P. q. 1. a. 8.) docet nos, quòd *locus ab auctoritate, quæ fundatur super ratione humanâ, est infirmissimus;* et (1. Ethic. lect. 6.) nos admonet, *quòd, quamvis universalitèr ratione pertinente ad omnes homines veritas sit præferenda amicis, specialitèr tamèn hoc opportet facere Philosophos, qui sunt professores sapientiæ, quæ est*

*cognitio veritatis.... Juxta hoc etiam est sententia Platonis, qui reprobans opinionem Socratis Magistri sui, dicit: Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas.* Calumniantur ergo Scholasticos, qui formulam Pithagoricam: *Jurare in verba Magistri* absque restrictione ulla ipsis applicant. Etiam nos, qui ad sectandam D. Thomæ doctrinam juramento obstringimur, non juramus morem Pythagoreorum tenere, sed id sequi, quod jus et æquum postulant; quod Romani Pontifices á nobis exigunt; quod Ecclesiæ Sapientes et laudant et imitantur.

Nunc ad argumentum. Concessis majori et minori N. conseqm. quòd falsò supponat, hominem, qui auctoritate ad inquirendam veritatem movetur, propria ratione non duci. Ostendit enim D. Thomas (quæst. 11. de verit. a. 1.), discipulum, qui Magistrum docentem audit, duci ratione propria, et non tantùm auctoritate Magistri, idque explicat familiari exemplo: *Sicut Medicus*, inquit, *dicitur causare sanitatem in infirmo naturâ operante; ita etiam homo dicitur causare scientiam in alio, operatione rationis naturalis illius. Et hoc est docere.*

Objicies 3.° Si Philosophi Catholici eligerent ex Ecclesiæ Sapientibus unum aliquem, cujus doctrinam philosophicam adamussim sequerentur, redirent statim, extinctæ beneficio Philosophiæ Eclecticæ, Scholasticorum factiones, et cum eis: 1. Disputationes inutiles. 2. Contentiones, et odia. 3. Oblivio et ignorantia eorum, quæ in unaquaque Philosophiæ parte sunt præcipua. 4. Laudes immodicæ, Antesignani electi, et aliorum comtemptus; atqui hæc vitia remis velisque fugienda sunt: ergo liberè philosophandum. = Resp. verbis Dominici Bannez: (in art. 8. q. 1. 1. p.) »quòd totum hoc *vituperabile* est; sed hæc vitia personarum sunt, non Scholæ aut status, »qui contemnendus non est aut rejiciendus propter paucorum aut etiam multorum excessum. Sicut Matrimonium nullus damnat, etiamsi »plures conjuges illius status jura non »servent." Sed dicamus ad singula.

Ad primum. Hodiè majora nos vocant, quæ utique animum ab inutilibus disputationibus avertent. Vitia, quæ pax affert, bellum tollit. Quemadmodùm docet D. Augustinus apud D. Thomam (2. 2. q. 11. a. 3. ad 2.m): Deum permittere hæreses, ut excutiamus pigritiam, divinas Scripturas sollicitiùs intuentes; ita asserere possumus permissum fuisse impiis Philosophis, errores innumeros penitùs sepultos á puteo abyssi extrahere; ut nos aperiamus oculos, et quibus studiis incumbendum sit videamus. Sperandum ergo, ut exulent in posterum é Schola inutilia illa omnia, de quibus conqueritur Melchior Canus, aliique Sapientes.

Ad 2.m Contentiones et odia, quæ in quibusdam Scholasticis reprehenduntur, indè oriebantur, quòd nescirent vel nollent distinguere inter scientiam et opinionem. Ideo imprudentèr pro opinionibus suæ Scholæ unusquisque non alitèr pugnabat, quàm pro *aris* et *focis*. Abstinebunt, credimus, ab immoderatis hujusmodi contentionibus et odiis, quicumque in posterum sana mente diligentèr inspiciant, sit nè demonstratio, an syllogismus dialecticus, ratiocinatio illa, qua dux, quem sequuntur, suam sententiam probat. Si res demonstrata sit, inopportuna erit altercatio. Si solùm sit probabilis ¿quare acris ulla contentio, cum assentire probabilibus, pendeat ex electione uniuscujusque, ut diximus in prima probatione?

Ad 3.m Relictis semèl inutilibus quæstionibus, quibus Majores nostri præpediebantur, nè præcipua Philosophiæ capita lustrarent, futurum speramus, ut deinceps Scholastici in omnibus instructi appareant, quibus bellum adversus Philosophos incredulos sustinendum est. Porrò armorum hujusmodi copia multa in Aristotele ipso per os S. Thomæ loquente, facilè invenietur. Affirmat enim Illmus. noster Canus (Libro x. Cap. v.): quòd *solus Aristoteles abundè sat est, ut sit homo in Philosophiæ tribus omninò partibus eruditus*.

Ad 4.m Non videtur nobis improbandum, quòd bonarum Disciplinarum cultores spectatissimum sapientem, cujus doctrinam sequendam elegerunt, pro viribus laudent. Verùm nemo cùm aliorum injuria honorandus est. Ut in hoc vitium nostri Adolescentes non incurrant, monendi sunt sæpè, ne unquàm præclaros viros inter se conferant. Ad hoc enim, si quando fieri deberet, necessarium foret, ut propiùs et accuratiùs inspicerentur, (quæ enim procùl cernimus, parva nobis esse videntur) utque eorum facta vel scripta æqua ingenii lance ponderarentur, quod nec Juvenes, nec inepti homines, aut semi-eruditi possunt nisi temerè facere.

Ad nos quod attinet, nihil opus est D. Thomam Ducem et Magistrum nostrum laudare; ejus enim nomen omnem laudem prætergreditur. Consulatur Rossellius; siquidem nos veremur, nè si amplificare velimus, imminuamus ejus gloriam. Id unum dicimus, eò spectare laborem hunc nostrum, ut Philosophia Div. Thomæ ab omnibus cognoscatur. Scimus enim, ut alibi (Lib. 1. cap. 14. §. 1.) patefecimus; verum sapientem neminem doctrinam D. Thomæ non amaturum, nisi qui illam non noverit.

Sed tempus est, ut Locorum Dialecticorum finem faciamus; nam ad eorum usum quod spectat, cum hic aliarum scientiarum sit proprius, satis sunt, quæ de eo ab initio diximus.

# LIBER SEXTUS.

## *De Fallaciis Sophistarum.*

---

### CAPUT I.

*Commendatur hæc tractatio exemplo S. Thomæ, qui annos quindecim natus Opusculum de Fallaciis elaborasse creditur.*

CAusis naturalibus monstra producentibus, similis est humana ratio, cum sophismata eructat. Non itaque de Fallaciis agimus, ut sophistas imitemur, sed ut eos aversemur. *Qui* enim *sophisticè loquitur*, ait Sapiens, (Eccti. 37.) *odibilis est..... omni sapientia defraudabitur*. Nec Sparta hæc aliena est á Dialectica. *Hæc* enim, ut ait Clemens Alexandrinus, (Lib. 6. Strom. Cap. 10.) *vallum est, nè veritas á Sophistis conculcetur*. Quemadmodùm ergo Medicina non de medicamentis tantùm, verùm et de venenis disputat; ita Logica et de ratiocinationibus probabilibus agit, ut eas quærat, et de fallacibus, ut ab eis caveat. Mala hæc fallendi ars dicitur *Sophistica*, id est, *apparens sapientia*, quemadmodùm interpretatur D. Thomas in Opusculo *de Fallaciis*, quod quidèm absque affectûs teneritudine nominare non possumus. Quis enim, si menti ejus obversentur circumstantiæ loci et temporis, ætatis et status, quibus Angelicus Juvenis huic lucubrationi navavit operam, quis, inquam, discipulorum ejus temperet á lachrymis? Captivus in castro Rocasiccæ, in turri clausus, raptus ab Ordine quem deperiebat, propositi tamèn sui, et justitiæ tenax *sicut Montes Dei*, Elenchos Philosophi suscepit explicandos. Ita refert Guillelmus de Tocco, qui Thomam viventem agnoscere potuit, quique in ejus vita cap. 2. (apud Bolland. Tom. 1. Martii pag. 661.) hæc scripsit: *Qui* (Thomas), *dum arctabatur in corpore, solvebatur in mente; cui in tantùm spiritualis intelligentiæ ra-*

*diis Deus Miserator illuxit, quòd ibi Bibliam perlegit, et textum Sententiarum didicit, et tractatum Fallaciarum Aristotelis, ut dicitur, copulavit.*

Age ergo: sumamus ex hoc S. Doctoris Opusculo, quæ auribus hujus temporis accommodari possint; iisque in compendium redactis, ea addamus, quibus hodie veritas indiget, nè á novis Sophistis conculcetur. Vos enim, Auditores, præmonere necesse est, quòd Sophistarum professio est hodie multò quàm olim periculosior, multòque audacior. Idque primum erit, quod ostendendum suscipiemus: Deindè pravos Sophistarum fines declarabimus; mox sophisticæ argumentationis caracteres, et singulas fallacias eodem ordine, quo ab Angelico Præceptore expositæ fuere; demùm ad eas solvendas regulas dabimus; et quid sibi velint vetera quædam sophismata, declarabimus.

## CAPUT II.

### *In quo describuntur varii status Artis Sophisticæ.*

Tria distingui possunt tempora, in quibus Sophistæ sese reddidere celebres. Ante Æram Christianam: post natam Scholam: et ex quo Nova Philosophia adversus Veterem insurrexit. Priores illi, quorum Auctor et Parens fuit Protagoras Abderites, artem hanc sophisticam calliditate sua ita extollere potuerunt, ut non solùm inani gloriæ, sed etiam quæstui ipsis esset. Hinc apud Græcos Sophistarum multitudo, ex qua ingens jactura litteris. Siquidèm arte illâ delectati Philosophi, omisso *sententiæ* examine, et admissâ quæstione *de nomine*, ut refert Laertius (in Protagora), levissimum disputationis genus amplexati sunt. Apud Romanos res hæc nec valdè in usu erat, nec omninò ignota. Sic enim scribit Cicero (Acad. Lib. 4. cap. 23.): *Sophistæ appellantur ii, qui ostentationis, aut quæstus causâ philosophantur.*

Post natam Scholam introducta est disputatio illa, quam vocat Div. Thomas *tentativam*, quòd *ordinetur ad experimentum sumendum de aliquo per ea, quæ videntur respondenti.* Hanc aleam subire nequibat Logicus, nisi esset in Artis regulis, æquè ac technis perfectè instructus. Ideo ars sophistica, sicut et vera Logica plenè olim á Scholasticis addiscebatur. Cumque Sophistas, sicut et mendaces, nè eorum simulationes et insidiæ patefiant, ingeniosos esse opporteat; hìnc factum est, ut Sophistarum nomen honorificum esse cœperit, et Logicis omnibus accommodari. Ideo D. Thomas in Summâ, cum aliquam ex Logicæ re-

gulis memorat, sic eam denotat: *Ut sophistæ dicunt*. Et Illmus. Canus Lib. IX. Cap. I., post reprehensa inutilia in Logicam introducta, hæc subdit: *Nonnè igitur illa sunt pueris utilia? Sint: Nam nos quoque sophistæ aliquando fuimus*.

Ex quo nova Philosophia adversus veterem insurrexit, ars sophistica ad summum fastigium evecta est, eòque periculosior effecta, quò veteres Logici ejus studio minus incumbunt. Eam hodierni quidam sophistæ clàm colunt et exercent, et palàm contemnunt, ejusque studium insectantur. In hoc á Veteribus different: et etiam quia nonnulli, quæstu fortè postposito, solam adversus veritatem victoriam aucupantur. Agnoscimus, inter novos Philosophos esse quamplurimos, qui veritates á Deo revelatas et credunt, et confitentur et tuentur. Cæterùm, cum agitur de veritatibus, quæ captum nostrum non superant; nihil non cavillantur, ut quæ Scholasticis existimantur vera, ab omnibus aliis falsa reputentur. Ostensum est enim in superioribus, vera esse sophismata argumentationes quas texunt, quoties ex hypothesi, et analogia procedunt. In Physicis, dante Deo, non semèl se offeret occasio, alia eorum sophismata patefaciendi. Cum his bonis viris, quoniam imprudentes sophismata deglutiunt, mitiùs agendum est.

Non ita cum illis, quos immortalis Barruel in suo *Memoriarum* Opere in tres ordines distinguit. In primo sunt Sophistæ *impietatis*, quorum temerarium incœptum fuit, ut portæ inferi adversus Ecclesiam prævalerent. In altero Sophistæ *rebellionis*, qui omnes Orbis populos adversus Principes suos concitare conati sunt. In tertio Sophistæ *Anarchiæ*, quorum scopus fuit unumquemque civium adversus fratrem suum commovere. Heu! quod pejus est, tres isti Sophistarum ordines non quieverunt á cogitationibus suis pessimis, donec eas opere incepissent.

Æquumnè erit post tot mala, ab id genus Sophistis illata, Opusculum S. Thomæ *de Fallaciis* vel omninò omittere, vel primoribus tantùm labiis degustandum studentibus exhibere? Non. Quamvis, ut fert proverbium, *Rectum sit regula suî, et obliqui*, hoc est; quamvis ex regulis hactenùs traditis defectus argumentationum dignosci possint; quamvis (ut causantur quidam ex nostris) plures ex fallaciis reducantur ad defectus Syllogismorum primo Libro indicatos; (quod et nos ipsi adnotabimus) cum tamèn his temporibus vigeant Sophistæ, quos diximus; operæ pretium est, eas omnes diligenter inspicere, atque in unum colligere, ut sic quacumquè hostes veniant, nos statim et vigilantes, et paratos inveniant. Agedum ergo.

## CAPUT III.

### *De meta, sive termino, ad quem Sophista adversarium adigere conatur.*

Non omnium Sophistarum idem est finis et scopus. Hæretici et omnes illi veteratores, quorum mysteria iniquitatis manifestavit Barruel, non jam ostentationis causâ disputabant, nec apparentis tantùm victoriæ gloriolam quærebant, sicut Sophistæ illi, qui apud Græcos, vel apud nos post natam Scholam floruere. Majus aliquid, et suâ superbiâ dignius tentandum erat. Principia per se nota evertere, scientiis præcipuè moralibus tenebras offundere, Ecclesiæ Sapientes contemnere, mentes hominum mirum in modum transvertere, hæc eorum artis sophisticæ cura fuit. Quam ideò exercere satagebant, non jam in disputationibus litterariis, sicut nostri Sophistæ; sed et in familiari sermone, et in privatis colloquiis, et in Politicorum Congressibus, et præcipuè in scriptis, ad simplicium captum consultò exaratis: quæ equidèm igni aptiora sunt, quàm Libri Protagoræ Abderitis, quos Athenienses, ut refert Laertius, in Foro cremavere.

Quamvis autem de hujusmodi Sophistarum finibus sive metis in Opusculo *de Fallaciis* non agatur; placuit tamen, eos adolescentibus nostris notos facere, ut D. Paulum æmularemur, qui adolescentem Timotheum adversus Ecclesiæ persequutores his verbis munitum voluit: (2. ad Tim. cap. 3.) *Mali autem homines et seductores proficient in pejus errantes, et in errorem mittentes: tu verò permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi.* Accedit, quòd Atheorum, et Hæreticorum sophismata ad fallacias, de quibus agendum est, facilè revocari poterunt á Theologo, qui earum reminiscatur quoties oportuerit, earumque proinde artificiosam texturam, cùm Dialecticus esset, probè intellexerit. Quaproptèr Rosellius in notis nonnulla hæreticorum sophismata cum his fallaciis comparat; idemque nos, quantùm brevitas patietur, præstare curabimus. Ad propositum itaque.

Terminus, vel finis, vel meta disputationis sophisticæ, ait D. Thomas, est aliquot inconveniens, ad quod Sophista nititur ducere respondentem. Sunt autem inconvenientia ista quinque: Redargutio, Falsum, Inopinabile, Solœcismus, et Nugatio. *Redargutio* est præ-negati concessio, vel præconcessi negatio. *Falsum*, ut hìc sumitur, est aliquod manifestè falsum. *Inopinabile* sive *Paradoxum* est id,

quod repugnat communi opinioni. *Solœcismus* est vitium contrà regulas Grammaticæ. *Nugatio* sive *Battologia* est ejusdem rei molesta et inutilis repetitio.

Ratio hujus divisionis est, quòd Sophista, de quo nunc agitur, eò spectat, ut sapiens audientibus videatur; quod utiquè se consequutum existimat, cum adversarium coegit ad dandam responsionem, quæ ejus ignorantiæ signum sit. Observat autem S. Thomas, quòd quinque hæc incommoda contra quinque Disciplinas sunt. *Redargutio*, qua pugnantia conceduntur, contra *Methaphysicam*: Manifestè *falsum* contra *scientias naturales*: *Inopinabile* sive *Paradoxum* contra *Dialecticam*: *Solœcismus* contra *Grammaticam*: *Nugatio* demùm sive *Battologia* contra *Rethoricam*. Sic ergo, cum in publicâ disputatione cogitur respondens ad hæc incommoda amplectenda, mirum erit, si non contemnatur á Concione, tamquàm inscius; et Sophista, qui arguit, non existimetur omnia sciens.

# CAPUT IV.

## *De argumentatione fallaci, et Locis undè sumitur.*

Fallacis et vitiosæ argumentationis duo sunt genera. Alterum, quod veram demonstrationem mentitur; alterum, quod syllogismi dialectici falsam speciem exhibet. Hic vocatur propriè *syllogismus sophisticus*, et potest una voce dici *parallogismus*: ille dicitur *syllogismus apateticus*, vel *pseudographus*, quem nos supra (Lib. 4. cap. 21.) cum D. Thomâ *parallogismum disciplinæ* vocavimus. *Pseudographus* syllogismus est, qui ex propria alicujus scientiæ materia, non veris tamen sumptionibus, sed quæ veræ ac necessariæ videntur, colligit conclusionem. Raró incurritur hoc vitium, nisi cum propria alicujus scientiæ principia latiùs sumuntur, quàm accipi debeant. En tamen exempla ex Geometriâ: *Omnes lineæ á centro ad circumferentiam ductæ sunt æquales; sed linea recta et curva ducuntur á centro ad circumferentiam: ergo linea recta et curva sunt æquales*. Non sequitur; quia *propositio* de solis lineis rectis intelligenda est. Ex Physicâ, et Methaphysicâ: *Ex nihilo nihil fit: ergo mundus non est factus ex nihilo.* Non sequitur; quia *pronunciatum* non valet in emanatione totius entis universalis á primo Principio, sed tantùm in emanatione alicujus entis particularis ab aliquo particulari agente. (D. Thomas 1. p. q. 45. a. 1.) De hoc Syllogismorum genere hæc satis sint.

Syllogismus fallax ille dicitur,

qui fit ex iis, quæ probabilia videntur, sed non sunt; vel ex iis, quæ probabilia sunt, sed præter leges syllogisticas componuntur. Primo modo dicitur peccare materiâ, altero formâ: interdùm peccat utrâque. Vitia syllogismorum ex defectu solius formæ provenientia lib. I. cap. x. patefacta manent. Nunc de illis agendum est, quæ proveniunt ex materia; hæc enim sunt, quæ *syllogismum* propriè sophisticum constituunt, hoc est, *dialectico* sive *Epicheremati* oppositum. Sciendum est enim, ait D. Thomas, quòd sicut argumentatio *dialectica* habet firmitatem ex Loco *vero;* ita argumentatio *sophistica*, ad prædicta inconvenientia ducens, firmitatem existimatur habere ex Loco *apparenti:* undè Loci, ex quibus argumenta sumit Sophista noster, vocantur á D. Thomâ *Fallaciæ.*

Earum autem duo summa sunt genera; alterum versatur in voce, quandò propter unitatem vocis creditur esse unitas rei significatæ per vocem. Alterum versatur in rebus, quandò scilicet res, quæ aliquo tantùm modo conveniunt, unum omninò esse creduntur. Loci sophistici sive fallaciæ, quæ ad vocem spectant, sex numerantur á D. Thomâ. *1. Æquivocatio; 2. Amphibologia; 3. Compositio; 4. Divisio; 5. Accentus; 6. Figura dictionis:* Fallaciæ autem, quæ versantur in rebus, sunt septem. *1. Secundum accidens; 2. Secundum quid et simpliciter; 3. Secundum ignorantiam Elenchi; 4. Secundum petitionem principii; 5. Secundum consequens; 6. Secundum non causam, ut causam; 7. Secundum plures interrogationes, ut unam.*

De his omnibus singillatìm dicendum, si priùs admonuerimus cum D. Thomâ, non esse inconveniens, binas in aliquo parallogismo fallacias inveniri; ex. gr. *figuræ dictionis*, et *accidentis.* Sæpe enim contingit, ut similes simùl sint voces et res, indequè duplex oriatur deceptio, altera ex similitudine vocum, altera ex convenientiâ rerum.

Scire etiam opportet, Auctores Logicæ Portus Regii, sive *Artis cogitandi* ad novum quoddam sophismatum genus legentium attentionem rapere, quæ ab ipsis vocantur *sophismata* sive *Amoris proprii*, sive *Utilitatis*, sive *Passionum. Hæc sunt pondera*, inquiunt, (3. p. cap. xx.) *quæ stateram sive lancem inclinant, nosque determinant in majori parte dubiorum nostrorum*, utiquè moralium. Neque hic novorum sophismatum moralium finis. Alia adinveniunt, quæ ex rebus ipsis oriri dicunt. Nam *in pluribus earum*, inquiunt, *ita miscentur error et veritas, vitium et virtus, perfectio et imperfectio, ut hæc sit ordinaria origo falsitatis judiciorum hominum.*

Videtis, hos homines in arte suâ

appellare *sophismata* causas illas falsitatis judiciorum nostrorum, quas nos Lib. III. cap. VII. sex paragraphis exposuimus; ubi etiam explicuimus ex D. Thoma (1. 2. q. 9. a. 2.), qua ratione affectiones animi dicantur immutare objectum judicii. Cur illi omiserint sophismata imaginationis, et intellectus malè affecti, divinare non possumus. Cur verò confundant sophismata cum causis sophismatum, potest faciliùs suspicari. Aiunt, *præcedere semper judicia nostra, quamvis simplicia, occultam quamdam et latentem ratiocinationem, quæ simplicis judicii sit motivum et principium.* Si ita foret, neque ullum esset in nobis præjudicium, neque judicium esset secunda operatio intellectus, sed tertia. Miramur, quòd in hæc offendícula impegerint. Ratiocinatio fallax, quæ peccata nostra, et pravas cordis affectiones comitatur, est *syllogismus ille incontinentis*, quem ex D. Thomâ transcripsimus (Libro primo cap. 16. obj. 1.). Cæterûm sophisma illud influxum passionum subsequitur, non præcedit.

Sed cur, inquies, hæc digressio, cum non spatia dicendi, sed stilus brevis pro studentibus quærendus sit? Verbo aperiemus. Metuimus á *lance* illa, vel *statera* supradictâ: Ne videlicet nova hæc sophismatum nomenclatio, et permixtio veritatis et erroris in eâdem re, sit præparatio materialium ad construendam lancem aliam, cujus in alterutram partem inclinatio sit fatalis. Jam ad propositum revertimur.

# CAPUT V.

## *De Fallacia æquivocationis, et tribus ejus modis.*

*Æquivocatio*, sive homonymia est *deceptio proveniens ex unius et ejusdem vocis diversâ significatione*, ut si dicas: *Quæcumque expediunt, bona sunt; sed nonnunquàm mala expediunt: nonnunquàm igitur mala sunt bona.* Non sequitur: *expedire* enim est verbum anceps; cum nonnunquàm *expediat*, ut manus vel pes abscindantur.

Hac Fallacia tribus modis Sophista utitur. *Primò*: cum vocem adhibet, quæ plura ex æquo significat: ut sunt æquivoca á casu v. gr. *Canis*. *Secundò*: cum dictionem, quæ duo significat, alterum propriè, alterum methaphoricè; ut sunt æquivoca á consilio; vel analoga, sive proportionis ut *ridere;* sive attributionis, ut *sanum*. *Tertiò*: cum æquivocatio provenit ex diversa consignificatione ejusdem vocis secundùm tempus, numerum, genus, et alia accidentia partium ora-

tionis: ut si dixeris: *Quicumque sanabatur, sanus est; sed laborans sanabatur: igitur laborans sanus est.* Non sequitur propter participium *laborans*, quod in minori consignificat præteritum imperfectum, et in conclusione tempus præsens.

Habendum præ oculis, æquivocationis sophismata esse penè innumera. Cum enim nomina sint pauciora quàm res, contingit sæpè, ut eadem vox pluribus rebus significandis accommodetur. Quamquàm non necessitas sola, sed interdùm inscitia, sæpè etiam Sophistarum fraus multitudinem æquivocationum inducat. Recole quæ diximus de novo terminorum abusu Lib. I. Cap. VI. §. 3.



# CAPUT VI.

## *De Amphibologiâ, et tribus ejus modis.*

Sicut æquivocatio provenit ex eo quòd una dictio, penitùs eadem, plura significat; ita *amphibologia* provenit ex eo quòd una oratio, penitus eadem, plura significat. Hæc ergo fallacia est *deceptio orta ex conjunctione ambiguâ multarum vocum, quarum singulæ ambiguitate carent; junctæ tamen, plures habent sensus.*

Decipula hæc tribus modis instruitur. *Primò:* cum aliqua oratio, manente eâdem constructione, plura significat propter diversam habitudinem constructorum. Hujusmodi fuit celebre Apollinis oraculum, Pirrho redditum: *Aio, te, Æacida, Romanos vincere posse. Secundò:* cum una oratio plura significat propter diversam constructionem: ut si quis diceret: *Qui sunt agricolæ, seminant et metunt: sed isti equi sunt agricolæ: ergo isti equi seminant et metunt.* Non valet, quia vox *agricolæ* in Majori est nominativus pluralis, et in minori genitivus singularis. *Tertiò:* quando oratio una significat plura; unum propriè, et aliud methaphoricè. En exemplum: Verba illa Evangelii: *Neminem per viam salutaveritis*, ad modum proverbii dicta sunt, Si quis ex eis concluderet, neminem salutandum, qui obviam veniret; sophisma modi hujus conficeret.

Fallacia *amphibologiæ* frequentissima est apud quosdam hæreticos et impios homines nostri temporis, qui inter Catholicos commorati, nihil magis curant, quàm nè Ecclesia eos á sua communione separatos habeat. Horum consilium et hypocrysis ab Origenistis videtur derivari. De his enim S. Hieronymus (ad Pamm. et Ocean.) hæc scripsit: »Sic verba »temperant, sic ordinem vertunt, et »ambigua quæque concinnant, ut et »nostram, et adversariorum confes»sionem teneant.... Hæc est eorum

»prima decipula, quæ si deprehen-»sa fuerit, instruunt alios dolos."

# CAPUT VII.

## *De Fallaciis compositionis et divisionis, et tribus utriusque speciebus.*

Hæ duæ fallaciæ, cum valdè conjunctæ sint, simùl explicantur á D. Thoma. Oritur *compositio* ex conjunctione earum vocum et notionum, quæ rectè intelligi nequeunt, nisi disjungantur: *Divisio* verò ex disjunctione eorum, quæ non intelliges, nisi conjunxeris. Itaque *Fallacia compositionis* est, quandò oratio in sensu composito est falsa; quandò autem oratio est falsa in sensu diviso, *Fallacia divisionis* est. Porrò tres sunt *compositionis* et *divisionis* species pro ratione propositionum, in quibus illæ á Sophista involvuntur. *Prima* species est in propositionibus *modalibus*: *altera* in orationibus, quarum partes nectuntur conjunctionibus *et*, aut *vel*: *tertia* in cæteris quibuscumque enunciationibus complexis, aut compositis.

*Primò* itaque: in modalibus occurrit fallacia *sensus compositi* et *divisi*, quandò propositio sic formatur, ut *modus* possit attribui vel toti *dicto*, vel tantùm subjecto *dicti*. Sic contingit in hâc propositione: *Possibile est, nigrum esse album*. Nam si *modus*, qui est *possibile*, attribuatur toti *dicto*, quod est *nigrum esse album*; sensus erit: *Possibile est, quòd nigrum sit album*, qui sensus est *compositus*, et in eo intellecta propositio est falsa. Si autem modus *possibile* tribuatur tantùm subjecto *dicti*, quod est *nigrum*; facit hunc sensum: *Hoc, quod est nigrum, habet potentiam, ut sit album*. Hic est sensus *divisus*, in quo utiquè prædicta propositio modalis est vera.

*Secundò*: Involvuntur sensus *compositus* simùl et *divisus* in propositionibus copulativis et disjunctivis, quandò in earum *prædicato* adunantur plura, quæ Sophista potest attribuere *subjecto* vel conjunctìm, vel divisìm. Sit exemplum hæc propositio: *Quinque* sunt *duo et tria*, cujus sensus potest esse, quòd duo et tria *simul juncta* sunt quinque; qui sensus *compositus* est, et reddit propositionem veram. Sed si fortè Sophista intendit dicere, quòd *quinque* sunt *tantùm duo*, aut *tantùm tria*; hic esset sensus *divisus*, et redderet propositionem falsam.

*Tertiò*: Texitur sophisma *sensus compositi* et *divisi* in cæteris propositionibus compositis vel complexis, quandò una dictio potest ita conjun-

gi diversis vocibus in oratione positis, ut propositionem duplicem reddat. Ex. gr. Si quispiam hoc modo ratiocinetur: *Quicumque scit litteras*, nunc *didicit eas; tu scis litteras:* nunc *igitur didicisti eas;* arguet á sensu diviso ad compositum. Nam adverbium *nunc* in majori potest copulari cum verbo *scit*, et cum verbo *didicit*. Quapropter propositio major est duplex.

Quantum intersit binam hanc captionem probè notam præ oculis habere semper, ex duobus intelliges. Primum est, quòd his duabus fallaciis passim utuntur, qui ut declinent argumenta ducta ex testimoniis Auctorum, quos contemnere non licet; ea vel malè interpretantur; vel adjecto, sive adempto commate aut puncto, insensibilitèr corrumpunt. Secundum est, quod á sensu diviso ad sensum compositum, vel contra arguebant Pelagius et Calvinus. Pelagius quidèm, negans necessitatem gratiæ, ut assereret liberum arbitrium; Calvinus verò, negans liberum arbitrium, ut assereret necessitatem gratiæ.

# CAPUT VIII.

## *De Fallacia Accentus, et quatuor ejus modis.*

Fallacia *Accentus* dicitur, *quandò eadem vox diversimodè prolata diversa significat.* Hac cavillatione, referente Suetonio, ludebat Nero, cum aiebat: *Claudium desiisse inter homines morari.* Nam *moror*, primâ syllabâ correptâ, significat manere; productâ, significat insanire.

Sciendum est autem, quòd nomen *accentus*, secundùm quod ab eo denominatur hæc fallacia, latissimè sumitur. Quatuor siquidem ejus species memorat D. Thomas, quarum unaquæque diversos, eosque oppositos pronunciationis modos sub se continet, hoc pacto: Prima, accentum, sive sonum *gravem* et *acutum:* secunda *asperum* et *lenem:* tertia *correptum* et *productum*: quarta eum, qui ejusdem vocis *syllabas conjungit*, et eum, qui *separat.* Ex quadruplici hâc diversitate, veluti á quadruplici Loco *sophistico*, argumentationes fallaces duci possunt, quarum exempla, ne longum faciamus, omittimus.

Observare tamèn opus est, quòd hæc fallacia apud Græcos et facilior, et frequentior est. Docemur enim ab illius linguæ peritis, quòd græcorum vocabulorum significatio, variato accentu, mirum in modum variatur. Hinc factum est, ut Nestorius, occasione sumptâ ex diversa quantitate syllabarum hujus vocis θεοτόκος *Theotócos*, hac fallaciâ uteretur, ut hæresim ac perfidiam suam occultaret.

# CAPUT IX.

## *De Fallacia Figuræ dictionis, et tribus ejus modis.*

Sophisticus hic Locus est *deceptio proveniens ex eo, quòd aliqua dictio similis alteri*, sive ejus veluti figuram exhibens, *videtur habere eumdem modum significandi, cum reverà non habeat*. Tria porrò sophismata hùc dicuntur pertinere. *Primum* est, cum diversis vocabulis, quia similia sunt, éadem affectio grammatica tribuitur; cujus proindè cognitio ad Grammaticum, non ad Dialecticum pertinet.

*Secundum* est; cum verba, quæ pertinent ad diversa prædicamenta sive genera, videntur ad idem pertinere; ut si quis diceret: *Quod emisti, comedisti; sed carnes crudas emisti: ergo carnes crudas comedisti.* Non sequitur, quia fit transitus á genere ad genus, hoc est, á prædicamento substantiæ ad prædicamentum qualitatis.

Omitti non potest, quòd fallacia hæc *secundi modi* longè aliter explicatur á Lugdunensibus; qui (art. 5. de Sophism. §. 1. in fine.) audent asserere, quòd texeret *Sophisma transitus á genere ad genus, qui ad rem probandam, quæ naturalis est ordinis, adhiberet aliquod mysterium, quod ordinis est supernaturalis.* Quis sanæ mentis Logicus, hæc sine stomacho audiet? Nonnè una eademque veritas, ex. gr. *animæ nostræ immortalitas*, est ordinis naturalis, simul et supernaturalis? naturalis, quatenùs demonstrata, et supernaturalis, quatenùs revelata? Pertinet fortè ad unum genus cum demonstratur, et ad aliud cum revelatur? Nullus ergo est transitus, qui faciat propositionem duplicem, quod utique requiritur ad Sophisma. Solemne ipsi *sophisma duarum æquivocationum* texunt, nè ad respondendum argumentis ex fide ductis teneri videantur. Siquidèm et nomen *generis*, et nomen *ordinis* paucis verbis æquivocè usurpant: *genus* scilicet pro quolibet *ordine*, et *ordinem* pro quolibet *genere*. Sed de his alibi fusiùs. Nunc quod instat.

*Tertium* sophisma Figuræ dictionis est, cum vox significans rem universalem, sic in oratione aptatur, ut videatur significare rem particularem, aut é contrario; ut si quis diceret: *Quicumque dicit te esse animal, verum dicit; sed qui dicit te esse equum, dicit te esse animal: ergo qui dicit te esse equum, verum dicit.* Non sequitur, quia vox *animal* in majori significat rem universalem, et in minori rem particularem.

Ad hanc Figuræ dictionis fallaciam reducitur omnis deceptio ex mutata suppositione terminorum orta: Item sophismata multa, quæ ex loco *similium* finguntur duci, ut diximus (Lib. v. Cap. xi. §. 1.) Sæpè enim, quæ videntur similia, sunt dissimilia, aut exprimuntur verbis similibus, quæ tamen diversum habent modum significandi. In quem utique lapidem impegerunt Ariani, qui ex similitudine hujus dictionis *Unum* in his duobus Evangelii textibus: *Ego et Pater* unum *sumus; Pater Sancte, serva eos, ut sint* unum *sicut et nos*, inferebant contra fidem: Patrem et Filium non esse *unum* in natura.

Ne gravatè feras, Novitie, exempla hæc hæresum, quas mali homines et seductores vocum fallaciis sibi et aliis persuadere nitebantur. Id fecimus, nè sinas tibi imponi; cum videas, Philosophiæ nostræ reformatores earum cognitionem damnare, ut otiosam et inutilem, quemadmodum de pluribus affirmatur in *Arte Cogitandi*. Minuta videntur hæc: Fatemur. Sed interdùm maximis erroribus, vel viam parant, vel eos sustinent. Videntur parvi momenti; non negamus: sed tunc solùm, cum de rebus parvi momenti agitur; ut contingit in sermone familiari, in quo tamquàm sales adhiberi solent. Magni autem referunt, ut ex allatis exemplis constat; quandò agitur de rebus divinis. *Nam*, ut observat D. Basilius, (Lib. de Spir. Sto. Cap. 1.) *si ex lege nec unum jota, nec apex unus præteribit, quomodò nobis tutum fuerit, vel minutissima transilire.*

Hæc, quæ de fallaciis vocum hactenùs disseruimus, in omni idiomate locum habent; quòd sint in unoquoque voces et orationes quamplurimæ, sono similes, et sensu diversæ. Verùm sophismata hujusmodi in singulis diversimodè aptantur et texuntur, suntque plus minusvè frequentia pro genio, phrasibus, et idiotismis uniuscujusque linguæ. Periti ergò Dialectici erit, fallacias linguæ vernaculæ, vel extraneæ, sibi tamen notæ, ex notionibus hucusquè traditis observare et deprehendere; nostrum enim non erat, nisi exempla latini sermonis adducere. Sed de illis satis. Ad fallacias rerum transeamus.



## CAPUT X.

### *De Fallacia accidentis, et tribus ejus modis.*

Fallacia *accidentis* prima est earum, quæ in rebus cernuntur, et omnium deterrima et periculosissima. Eâ enim, ut observavit Aristoteles, sapientes etiam homines sæpè numero capiuntur. Sic autem

definitur: *Deceptio orta ex diversitate* Accidentis et subjecti, *quam quis non attendens, existimat, quidquid convenit aut non convenit* accidenti, *convenire aut non convenire* subjecto: et vice versa, *quidquid* subjecto; et accidenti. Accipitur autem hoc loco nomen *Accidentis* pro prædicato propositionis, quod verè convenit ejus subjecto, sive insit ei *per se*, sivè *per accidens*.

Has formulas (quod ad præsens attinet) sic intelligit D. Thomas. *Per se* dicitur inesse subjecto id, cui convenit ipsa subjecti definitio; *per accidens* autem illud, quod de subjecto verè dicitur, et tamen alitèr definitur. Hinc fit, ut tria distinguenda sint prædicatorum genera. Sunt enim quædam prædicata, quæ insunt subjecto *per se* tantùm, et nullo modo *per accidens*; quædam quæ solùm *per accidens* insunt, et nullo modo *per se*; quædam demùm, quæ quodammodò *per se*, et quodammodò *per accidens*. Ad primum ordinem pertinet prædicatum hujus propositionis: *Vestis est indumentum*; eadem enim est definitio prædicati et subjecti. Ad secundum spectat prædicatum istius: *Homo est albus*; album enim est omninò extraneum á ratione hominis. Ad tertium referuntur prædicata sequentium: *Homo est animal*, nam genus ponitur in definitione speciei, et non é contrariô. Símiliter se habet prædicatum hujus: *Homo est capax disciplinæ*. Nam species ponitur in definitione proprii, non tamen *species* et *proprium* sunt omninò idem in definitione.

Hanc prædicatorum sive accidentium distinctionem præ oculis habens, facilè intelliges, ubi et quandò incidere possis in fallaciam accidentis. Enimverò in his, quæ primo modo se habent, valet regula prima Anteprædicamentorum: *Cum quidpiam de quopiam dicitur tamquàm de subjecto; quæcumque de prædicato enuntiantur, ea de subjecto quoque possunt enunciari*. Cum autem prædicata sunt secundi et tertii ordinis, non est necessarium, ait D. Thomas, quòd quidquid est verum de uno, sit verum de alio. Et ideò si ex hoc, quod aliquid est verum de uno, concludatur esse verum de altero, est fallacia *accidentis*.

Tribus autem modis utuntur Sophistæ hac fallaciâ: *Primò*: cum procedunt ab accidente in subjectum, vel é contrario: ex. gr. *Cognosco Petrum; sed Petrus est veniens ex America: ergo cognosco venientem ex America*. Est fallacia, quia *Petrus*, et *veniens* ex America sunt unum solùm *per accidens*. *Secundò*: cum id, quod convenit universaliori, concludunt de minus universali, vel é converso: ex. gr. *Animal est genus; sed*

*homo est animal: ergo homo est genus.* Non sequitur: Universale enim et particulare sunt quodammodò unum *per se*, et quodammodò unum *per accidens. Tertiò:* quandò argumentantur á specie ad proprium, vel ex adverso: Ex. gr. *Corvus est niger;* Sed *nigrum est proprietas:* ergo *corvus est proprietas.* Non valet, quia *corvus* et *nigrum* non sunt omninò idem secundum definitionem.

Sophisma accidentis ferè oritur ex mutatione Appellationis, quæ est altera ex proprietatibus terminorum Lib. I. explicatis. Hac fallacia utebatur Julianus Pelagianus ad damnandum matrimonium. Dicebat enim: *Nuptiæ non sunt sine libidine; vos damnatis libidinem: ergo damnatis et nuptias.* Responsio S. Augustini, si nostra formula exprimenda esset, fuit, quòd connubium et libido non sunt nisi unum *per accidens.*



# CAPUT XI.

## *De Fallacia secundum quid et simpliciter, et quinque ejus modis.*

Duo animadvertimus cum D. Thoma, antequàm hanc fallaciam definiamus. Primum est: *Dictum simplicitèr* (prout hìc accipitur) esse id, quod sine adjectione aliqua dicitur: ut *Sortes est albus, Sortes currit: Secundum quid dictum* est illud, quod cum aliqua adjectione profertur: ut *Sortes currit velocitèr; Ætiops est albus dentibus.* Secundum est: quòd adjectio hæc, quæ *dictum secundum quid* constituit, interdùm nihil diminuit de ratione ejus cui additur; interdùm verò diminuit aliquid. Si nihil diminuat; argui potest *á Dicto secundum quid, ad Dictum simpliciter.* Valet enim; *Sortes currit velocitèr:* ergo *currit.* Quoties verò adjectio diminuit aliquid, non potest eodem modo argui. Non enim valet: *Æthiops est albus dentibus*; ergo *est albus.* Hæc ergo fallacia sic definitur: *Deceptio proveniens ex eo, quod Dictum secundum quid sumitur, ac si esset dictum simplicitèr.*

Fit autem hoc sophisma quinque modis: *Primò*: cum determinatio adjecta opponitur rei, quam determinat; ut si quis diceret: *Cacus est bonus latro:* ergo *est bonus. Secundò:* cum determinatio pertinet ad actum animæ: hic siquidèm potest versari circa existentia, et circa non existentia; ut si quis diceret: *Homerus est in memoria hominum:* ergo *Homerus est.* In hunc scopulum manifestè impingunt, qui sic arguunt: *Spatium in imaginatione Cartesii* v. gr. *est*

*indefinitè extensum* : ergo *spatium est indefinitè extensum.* Sed de his suo loco. *Tertiò :* cum determinatio ponit rem dumtaxàt in suis causis. Ex. gr. *Hoc ovum est potestate animal :* ergo *est animal. Quartò :* cum id quod additur, solùm convenit parti, á qua totum denominari non potest. Ex. gr. *Æthiops est albus dentibus :* ergo *est albus.* Si autem totum ex usu communi denominetur á parte; non erit fallacia; ut in hoc exemplo: *Sortes est crispus secundum capillos* ; ergo *est crispus. Quintò :* cum adjectio cogit terminum, cui additur, ad appellationem materialem. Undè non valet : *Sapiens populi Rector vult permittere malum :* ergo *vult malum.* Nam verbum *permittere* ponit suum significatum supra rem, quæ est mala; non verò supra ejus malitiam.

Non videantur tibi inutilia, quæ de hac fallacia disserimus. Nihil est hæreticis illâ antiquius; hæc enim scribit S. Gregorius Nazianzenus Eunomianis respondens (Orat. 35.): *Ab eo quod secundum rationem quamdam dicitur, ad id quod simpliciter dicitur, captiosè progreditur hæc argumentatio.* Pari modo Heterodoxi nostri temporis, ex quo Ecclesia prohibeat Matrimonium Presbiteris, inferunt prohibere matrimonium; et ex quo prohibeat lectionem Bibliorum in lingua vernacula, concludunt, prohibere lectionem Sacræ Scripturæ. Addere opus est, nullum esse sophisma, quo Cacodæmon, Sophistarum omnium peritissimus, frequentiùs ad capiendos homines utatur. Ex eò enim, quòd bona hæc corporea quodam loco, aut tempore, aut apud quosdam sunt utilia, jucunda, aut magni æstimata; concludit ille in suis tentationibus, ea esse simplicitèr bona, atque omninò amplectenda. Ejus sophismata nemo eludet, nisi qui, oculis in omnem futuram æternitatem defixis, vana hæc et nullius momenti despexerit.

## CAPUT XII.

### *De Fallacia secundum ignorantiam Elenchi, et quatuor ejus modis.*

Primus finis, ad quem Sophista ducere nititur respondentem, est, ut diximus, *redargutio ;* hoc est, prænegati concessio, vel præconcessi negatio. Redarguere igitur est, eum, quî cum disputas, in eas angustias conjicere, ut contradictoria cogatur admittere. Argumentatio, qua tunc uteris, dicitur hìc *Elenchus.* Est enim hoc loco *Elenchus*, Auctore D. Thoma, *syllogismus contradictionis.* Itaque fraus Sophistæ, cum

redarguit, in hoc stat, quòd syllogismum concinnat, cui aliquid deest ad veram contradictionem necessarium. Hæc captio dicitur *ignorantia Elenchi*, quæ ideò sic definitur: *Deceptio proveniens ex eo, quòd ignoratur vel prætermittitur aliqua ex conditionibus ad veram contradictionem requisitis*. Ex hâc definitione colligitur (ut id obiter dicamus); in hoc vitium disputando incidere et *opponentem*, cum non probat probandum; et *respondentem*, cum vim argumenti aliò distrahit; et ambos, cum neuter statum quæstionis figit aut intelligit.

Porrò quatuor sunt hujus cavillationis modi pro numero conditionum, quæ veram contradictionem constituunt. Contradictio est ex Div. Thoma, *Oppositio unius et ejusdem, et secundum idem, et ad idem, et similiter, et in eodem tempore*. 1.° Itaque prætermissione conditionis *ad idem* peccat hoc sophisma: *Duo sunt duplum ad unum, et non ad tria: ergo sunt duplum et non duplum*. 2.° Prætermissione conditionis *secundum idem* peccat istud: *Æthiops est albus dentibus, et non corpore: ergo est albus et non albus*. 3.° Prætermissione conditionis *similiter* peccat sequens: *Cælum movetur circulariter, et non rectè: ergo movetur et non movetur*. 4.° Prætermissione conditionis *in eodem tempore* peccat hoc: *Mantuæ Carpetanorum riget Julio, et non Januario: ergo ibi riget et non riget*.

Plura Arianorum et Nestorianorum sophismata ad secundum hujus fallaciæ modum spectant. Noluerunt intelligere illi, prædicari de Christo quædam, quæ videntur opposita et non sunt; quandoquidèm ei conveniunt *secundum diversitatem Naturarum*. Ad tertium etiam modum pertinent fallaciæ plures hæreticorum nostri temporis, qui contendunt, Sacerdotes non remittere peccata, sed remissa declarare, quia Deus illa remittit. Non enim *similiter* remittunt; sed Deus ut Auctor, Sacerdotes ut Ministri.



# CAPUT XIII.

## *De Fallacia Petitionis principii, et quinque ejus modis.*

*Præcipuum* disputationis *propositum* dicitur hoc loco *principium*. Tunc igitur aliquis *petit principium*, quando exigit sibi concedi *principale* disputationis *propositum*; non quidem eisdem vocibus (sic enim deridendus esset), sed verbis paululùm immutatis. Hæc ergo fallacia est *deceptio proveniens ex eo, quòd idem assumitur ad probationem sui ipsius sub alio vocabulo*.

Sunt autem hujus fallaciæ modi quinque. *Primus*: Cum definitum sumitur ad probationem definitionis, vel é converso: ex. gr. *Animal rationale currit: igitur homo currit. Secundus:* Quandò universale accipitur ad probationem particularis: ex. gr. *Omne animal est obnoxium morti: ergo et homo. Tertius*: Si contrà progrediaris: hoc est, si omnia particularia sumas ad probationem universalis: Ex. gr. *Prudentia, Justitia, Fortitudo, et Temperantia sunt habitus boni: ergo omnis virtus est habitus bonus. Quartus:* Si sumas divisìm id, quod in conclusione conjungere velis: ex. gr. *Medicina est scientia ægri; Medicina est scientia sani: ergo Medicina est scientia ægri et sani. Quintus:* Si unum correlativorum in alterius probationem adhibeas: ex. gr. *Plato fuit discipulus Socratis: ergo Socrates fuit Magister Platonis.*

Dices: Nonnè in Demonstratione accipitur definitio ad confirmationem definiti? Nonnè in syllogismo Dialectico, ex toto partes, et ex partibus totum concludimus? Ita profectò docuimus. Sed sciendum est, ait D. Thomas, quòd hæc fallacia *non peccat contra vim illativam, sed contra probationem* argumenti; nam probatio debet esse magis manifesta, quod in technâ hac non observatur. Itaque, subdit S. Doctor: *Si in prædictis modis argumentandi accipiantur præmissæ ex eo, quòd sint magis notæ, et non quasi petitæ; non erit argumentum sophisticum, sed dialecticum.*

Si hæc ita sint, inquies, quare petitio principii dicenda est fallacia? Quia nimirùm, quamvis respondentem non fallat, fallit tamen disputationis auditores: hi enim progressum argumentorum expectant, non eorum repetitionem. Utinàm hujusmodi petitiones principii á litterariis exercitationibus omninò exularent! Utinàm non permitterentur in eis argumenta illa, quæ vulgò dicuntur *alabarderos*, et sunt veræ petitiones principii! Sic enim fieret, ut nec audientes disputationes nostras ferrent molestè, nec disputantes tererent inutilitèr tempus. Hæc, quoniam occasio tulit.

Superest, ut notum vobis faciamus, quòd in *Arte Cogitandi* duo adducuntur exempla *petitionis principii*; argumenta scilicet, quibus probamus dari formas substantiales, et terram in Mundi centro esse sitam. De exemplis alibì agendum erit. Quod attinet ad *petitionem principii*, bonâ eorum veniâ potest dici, quòd ejus definitionem videntur non intellexisse. Id probant prædicta duo exempla, si cum expositione hujus fallaciæ á nobis tradita conferantur. Per transennam hoc etiam, quoniam occasio attulit.

## CAPUT XIV.

### *De Fallacia Consequentis, et duobus ejus modis.*

Hoc sophisma incipit semper á propositioue conditionali. Consequens enim hìc dicitur, quod in ea sequitur ad antecedens. Ut autem verè et legitimè sequatur, necesse est, quòd minus commune, sive sit genus sive accidens, ponatur in antecedenti, et magis commune in consequenti; ut in istis: *Si est homo, est animal: Si currit, movetur.* Est ergo fallacia consequentis *Deceptio proveniens ex eo, quòd consequens existimatur esse omninò idem cum antecedente.*

Hujus captionis duo sunt modi. *Primus:* cum Sophista procedit á positione consequentis ad positionem antecedentis; ut si diceret: *Si est homo, est animal; atqui est animal: ergo est homo.* Item: *Si currit, movetur; sed movetur: ergo currit. Secundus* modus est, cum procedit á destructione antecedentis ad destructionem consequentis; ut si diceret: *Si est homo, est animal; non est homo: ergo non est animal:* vel, *Si currit movetur; non currit: ergo non movetur.*

Porrò fallaciam *Accidentis* comparat D. Thomas cum hac fallaciâ *Consequentis*: et observat, quòd, sicut in istâ consequens existimatur esse omninò idem antecedenti, ita in illa prædicatum existimatur esse omninò idem subjecto. Undè infert, sophistam, quoties utitur propositione *categorica*, committere fallaciam *Accidentis*; et quoties *conditionali*, fallaciam *Consequentis.*

## CAPUT XV.

### *De Fallacia secundùm non causam ut causam, et duabus ejus speciebus.*

Nomen *causæ* accipi solet hoc loco, et pro vera *causa rei*, et pro *causa* tantùm *illationis*; ita ut propositio quælibet, ex quâ infertur vel videtur inferri conclusio, *causæ* nomine donetur. Indè duplex hujus fallaciæ genus.

*Primum* est, cum aliquis effectus tribuitur alicui tamquàm causæ, quæ tamen non verè, sed solùm apparenter est causa illius; ut si quis diceret: *Studium nocet plerisque: ergo non est illi incumbendum;* perperàm argueret; non enim nocet studium, sed malus studii usus. Hoc etiam genere peccatur, quoties pro causâ propria et proxima adhibetur communis aliqua et remota: ut si quis adulteria ex solo otio oriri dicat. Peccatur etiam, cum causa per

*accidens*, sive occasio, accipitur ut causa *per se* alicujus effectus; ut si quis contenderet, exterminandum esse usum pæcuniæ, quòd homines avari pæcuniæ cumulandæ causâ omnia jura violent. Hùc etiam referri debent argutiæ omnes, quæ ex falsa aliqua suppositione vel hypothesi procedunt, quemadmodùm docuimus Lib. IV. Cap. VII.

Circa hoc primum genus *non causæ pro causa* tria præ oculis habenda sunt. 1.° Quòd sophisma hoc est frequentissimum et passìm occurrens, non in disputationibus modò, sed et in privatis colloquiis et in familiari sermone, imò et in ipsis cogitationibus nostris. Undè fit, ut hac decipulâ, non solùm capiantur alii, sed et nosmetipsos nolentes fallamus. 2.° Quòd Syllogismi ex hoc primo genere ducti *pseudographi* potiùs, quàm *sophistici* videntur dicendi. 3.° Quòd Auctores Logicæ Portus Regii innumera hujus generis sophismata Scholasticos committere criminantur, quæ singillatim suis locis, favente Deo, repellemus.

*Secundum* hujus fallaciæ genus (de quo præcipuè hìc agitur) tunc contingit, *quandò inter præmissas, ex quibus sequitur conclusio, ponitur aliqua propositio, quæ nihil ad conclusionem falsam operatur, et tamen videtur esse causa illius*. Docet autem S. Thomas, quòd ratiocinationes hinc petitæ argumentationis sophisticæ formam non accipiunt, nisi cum arguens ex quibusdam concessis ducit respondentem ad impossibile, seu incommodum. En exemplum: *Si nullum tempus esset, nox non esset; si non esset nox, esset dies; si dies esset, aliquod tempus esset: Igitur si nullum esset tempus, aliquod tempus esset*. Est sophisma non *causæ pro causa*; quia assumitur ut causa conclusionis prima propositio utiquè vera, quæ tamèn non est causa illius, sed secunda, *si nox non esset, dies esset*. Ex hac enim, et tertia absque primâ inferretur, quòd si nox non esset, (uti non erat, antequàm tempus ullum esset) aliquod tempus esset. Itaque prima hujus fallaciæ species fit in syllogismis *directis*, sive *ostensivis*; secunda in ducentibus *ad impossibile*; quia videlicèt respondens cogitur ad contradictoria concedenda.



# CAPUT XVI.

## *De fallacia plurium interrogationum, et tribus ejus modis.*

Animadvertit primum omnium D. Thomas, quòd enunciatio, propositio, interrogatio, et conclusio eamdem exprimunt operationem intellectus, scilicet, compositionem et divisionem; sed diversa planè ratio-


ne. Dicitur *Enunciatio* secundùm quòd significat, aliquid simplicitèr esse, vel non esse: *Interrogatio* secundùm quòd sub dubitatione proponitur: *Propositio* quatenus sumitur ad alterius probationem: *Conclusio* prout ex præmissis probatur. Itaque sicut *interrogatio* potest esse una vel plures; ita etiam *enunciatio*.

Cæterùm enuntians non dubitat; et interrogans vel dubitat, vel dubitare se fingit. Ideo Pelagius, ut observat S. Hieronymus (in Epist. ad Ctesiphont.), per interrogationes rogans, videbatur quærere, quid alii sentirent; et interìm per cuniculos hæresim suam in Ecclesiam introducebat. ¿Nonnè Pelagium imitantur, qui veriti, nè eorum occulta, vel non satis manifesta incredulitas palàm omninò fiat, errores suos interrogationibus spargunt? Deus ferat opem.

Hæc observanda duximus, ut intelligas, opinione frequentiorem esse *plurium interrogationum* fallaciam, eamque á callidioribus sophistis in enunciationibus æquè ac in interrogationibus involvi. Cæterùm cum struitur interrogando, faciliùs deprehenditur: cum *enunciando*, linceis indiget oculis. His igitur uti opus est, quotiès Sophista enunciationibus compositis aut complexis argumentatur; iis enim plura enunciari possunt, sicut in hac fallacia interrogari. His animadversis.

Fallacia plurium interrogationum est *deceptio proveniens ex eo, quod ad interrogationem, quæ est plures, datur una responsio*, propterea quòd illa plura sub uno modo interrogandi proponuntur.

Sunt autem tria versutæ hujusmodi interrogationis genera. *Primum* est, cum unum de pluribus quæritur: ex. gr. *Nocetnè cibus?* cibus enim multa complectitur. *Secundùm* est, cum plura quæruntur de uno: ut *Estnè Æthiops homo albus? Tertium* est, cum plura quæruntur de pluribus: ut *Homo et equus suntnè animal rationale mortale?* His tribus unâ responsione satisfieri non potest, sive per interrogationes, sive per enunciationes efferantur. *Et hæc* (ut verbis utar Angelici Juvenis D. Thomæ) *de fallaciis dicta sufficiant*. Nunc de earum solutione.



# CAPUT XVII.

## *Quo pacto occurrendum sit Sophistarum fallaciis.*

Sophismata dissolvere, quæ *ex propriis* alicujus disciplinæ conflantur, officium est uniuscujusque Artificis in arte suâ. Ea verò diluere, quæ *ex communibus* coalescunt, munus est communis Artificis, quæ

utique laus Logico negari non potest. Cum ergo Sophista impugnat regulas, quibus Logica vel actus mentis dirigit, vel parat instrumenta, quæ omnibus scientiis deserviunt (his limitibus disputationes logicæ circumscribi debent), tunc non fungitur Logicus officio suo, nisi veritatem et falsitatem propositionum agnoscat, et omnia quarumcumque argumentationum vitia deprehendat, et patefaciat. Postquam Physicus fuerit, vel Phylosophiæ Morali, vel alteri cuicumque Disciplinæ operam navaverit; duo in disputatione ad ipsum spectant. *Primum* est: vera concedere, falsa negare, et dubia distinguere. *Secundum*: vitia syllogismorum deprehendere, quæ vel ex defectu formæ proveniant, (Hæc ex dictis Libro primo satis detegi possunt) vel ad aliquam, sive ad aliquas ex tredecim enumeratis fallaciis revocentur.

Si ergo observet, se aliqua tantùm fallacia urgeri; opportet vel eam statim ostendere, vel enunciationem, quæ illam involvit, distinguere aut negare, prout occasio postulet. Quòd si á nobis quæras, quisnam ex his duobus occurrendi sophismatibus modus præferendus videatur? pro primo stamus; optamusque, ut in exercitationibus litterariis magis vigeat, et disputantium consuetudine firmetur. Hunc si elegeris, illud tibi diligentèr curandum erit, ut ostensâ primùm fallaciâ argumentationem aliquam apertè vitiosam, vel ex allatis exemplis paratam habeas, vel é tuo fundo educas, cui similem possis dicere eam, quâ Sophista te impetere conabatur.

Qui hoc modo respondent, dicuntur *retorquere argumentum*, et in adversarium ipsum convertere. Hanc vocat Facciolatus *solutionem fucatam*, quòd fortè difficultatem non solvat, sed eludat. Verùm, cum adversarius vel Sophista nihil aliud quærit, quàm redarguendi gloriolam; qui contrà disputat, non tam curare debet, nè redarguatur, quàm nè redargui videatur; absque irrisione tamen, aut contemptione adversarii: id enim Christiana charitas numquàm patitur. Cæterùm hæc opportuniùs et utiliùs viva voce á Magistris, quàm scripto á nobis explicabuntur.



## CAPUT XVIII.

### *De quibusdam captionibus, quæ syllogismi sophistici conditiones non servant.*

Non abs re erit adjicere fallaciis sophistarum, et colligere in hoc postremo Capite nomina saltem sex sophismatum specialium, quæ apud Græcos celebratissima habebantur.

Ea sunt *Electra*, *Pistilli versatio*, *Achilles*, *Ignava ratio*, *Sorites et Pseudómenos*. Elegantissimæ extant de unoquoque Acroases, á Facciolato factæ in Academia Patavina; ex quarum frequenti lectione Logici nostri, non tantùm novitii sed et provecti, studia hæc, quamvis arida et jejuna, magni æstimare discerent.

Porrò ex nominatis sophismatibus duo in superioribus explicuimus: *Electram* scilicet, sive *scientiam* et *inscitiam* Lib. IV. cap. II.; et *Pistilli versationem* sive *circulum*, aut *Demonstrationem in orbem* cap. XII. *Achilles*, et *Ignava ratio* ad Physicam spectant. Vitiosus *Sorites* et *Pseudómenos* hujus Libri sunt proprii, quamvis prior ille posset ad Aritmeticos amandari. Duo hæc sophismata *inextricabilia*, *insolubilia*, *inexplicabilia* dici consueverunt. Cui bono hæc terriculamenta...., post lectas centies Facciolati Acroases, non satis intelligimus. Ad rem igitur.

*Sorites*, ut diximus Libro I., duplex est, alter *idoneus*, qui facilè solvitur, siquandò fallat: alter *vitiosus*, qui per antonomasiam *Sorites* appellatur. Est autem argumentatio ad fallendum comparata; in quâ minutis additionibus aut detractionibus ab eo, quod perspicuè verum est, ad id, quod est perspicuè falsum, Sophista secum disputantem adducit. Ex. gr. Si affirmes coram Sophista: *Mille grana efficere acervum tritici*, sic te ille urgebit: *Quid si unum exemero? quid si alterum, tertium, quartum?* teque tamdiù premet, donec illud designes, quo acervus absolvitur: quod utique numquàm designare poteris. Hoc itaque interrogationis genere te, non invenientem ubi sit consistendum, in angustias conjecisse gloriabitur.

Si modum hunc argumentandi diligentèr perpendas, et ad Logicæ regulas exigas, statim deprehendes, totam vim ejus pendere ex falsâ hypothesi, vel suppositione latenti. Supponit enim, qui eo modo interrogat, quòd sicut numerus, ita etiam acervus desumat speciem ab ultimâ unitate; hoc est, quòd detur in acervo tritici granum aliquod determinatum, per quod constituatur et denominetur *acervus;* quod est falsum, cum sit *totum per accidens*. Recole, quæ diximus (Lib. IV. cap. VII.) de imbecillitate ratiocinationum, quæ ex hypothesi procedunt; et revoca in memoriam *Soritem* illum, quo *analogiam* Condilliaci adversus ipsum reciprocavimus (lib. V. cap. XI. §. 3.), ut palàm omnibus fierent duo laquei, quibus incautos implicare studet; alter *falsæ suppositionis*, quòd scilicet evidentia (qua nihil est simplicius) dividatur in gradus; alter *vitiosi Soritis*, quandoquidèm nullum determinat gra-

dum ultimum, per quem ficta ab eo evidentia constituatur.

*Pseudómenos* interdùm sumitur pro quolibet *Dilemmate*, interdùm pro peculiari quadam cavillatione, quæ latinè dicitur *Mentiens*, nomine ducto á materia, ex qua fieri solebat. Sic enim interrogabat Sophista: *Cum mentior, et mentiri me dico, ¿ mentior, an verum dico?* Inventum fuit hoc sophisma ab Academicis, qui ut totum Dialecticæ fundamentum convellerent, sustinebant, quædam esse enunciata, quæ nec accipi possunt tamquàm vera, nec rejici tamquàm falsa; ut istud: *Ego mentior*. Nam si dicis, esse verum, colliget Academicus: *Ergo est falsum*: nam qui verum dicit, non mentitur. Si dixeris, esse falsum, inferet ille: *Ergo est verum*: nam qui falsum dicit, reipsâ mentitur.

Non apparet quarè sophisma hoc *Mentiens* non sit ad expositas fallacias revocandum. Equidèm fallacia *plurium interrogationum* in prioribus sophisticæ interrogationis verbis manifesta est: *Dum mentior, et mentiri me dico*. Hæc enim duo sunt. Cum verò nihil aliud dico, nisi *Ego mentior*, dicuntur etiam duo: sensus enim est; *quæ antea dixi, non sunt mendacia*. Sicut qui dicit: *Ego nihil dico*, intelligit, *se nihil hactenus dixisse*. Adde, quòd S. Thomas argumentationem *Mentientem*, sive Pseudómenon revocat ad *modum primum fallaciæ secundùm quid, et simpliciter*. Placet textum adducere, ut verbis D. Thomæ *Logica D. Thomæ* finiatur. *Similiter hic*: Mendax dicit verum, dicendo se dicere falsum: ergo dicit verum. *Non sequitur. Nam dicere verum opponitur ei, quòd est dicere falsum, et é converso.*

## *Ad Auditores Parænesis.*

Nunc demùm per vos ipsi judicate, num hæc, quam habemus ab Aristotele, *Logica, caligo* sit, ut quidam anagrammate ludunt. *Fatentur jam omnes*, ait Facciolatus, (cur á tanto Viro mutuum accipere vereamur?) *Fatentur omnes, qui suo in his rebus judicio uti possunt, physica studia novis in dies observationibus perfici, logica autem á maximo illo ingenio fuisse ad summum fastigium perducta.* Veterem itaque Stagiritæ Logicam his sex Libris accepistis, non mancam et imminutam, sed integram quidem et completam; cribro tamen D. Thomæ Aquinatis ventilatam et purgatam, et per eximiam ejus sapientiam distillatam: Ideò *LOGICA D. THOMÆ* á nobis inscripta est. Nihil in ea periculi, nihil novitatis invenitur, nihil quod ad formandum Logicum Christianum, eumque adversus hodiernos pseudo-logicos muniendum non conferat. Curavimus autem, ut potiora

hujus Artis principia et præcepta testimoniis, é Summa petitis, confirmarentur; ut exemplo D. Thomæ notum vobis fieret, usum Logicæ Peripateticæ in verâ Theologiâ esse frequentissimum; adeoque scientias humanas, quæ sunt veluti Theologiæ ancillæ, abstinere se non posse ab ejusdem Logicæ usu, si debitis via et ratione tractandæ sint, atque perfectè, et absque mixtione errorum comparandæ. Hoc igitur optamus, ut persuasum habeatis; limina, sive Theologiæ, sive aliarum scientiarum imparatos ingredi, qui Logicam non callent, vel eam obliti sunt. *Logicam* inquam, quam, ceu mulierem alienigenam rasis cribus, D. Thomas é Lyceo in domum Dei introduxit, ut vallum esset, nè veritates revelatæ, vel cum revelatis connexæ á Sophistis conculcarentur. Hæc est planissima veri pervestigandi via, non paucorum hominum opinione, sed totius Antiquitatis judicio probata. In hanc vos date: hæc é manibus numquàm éxcidat: hâc in omni litterarum studio utimini. Ea enim vos metipsos, et alios cupidos proficiendi, et ab impiorum inani fallacia, sicut optabat D. Paulus, avertet, et ad veram, germanamque Phylosophiam, id est, ad omnem optimarum rerum absque errore cognitionem recta deducet, armaque suo tempore ministrabit, quibus Ecclesiam et Patriam, Sacerdotium et Imperium, Thronum et Altare defendere possitis, et læsam á tot malis Phylosophis Dei gloriam pro vestra virili vindicare.

# FINIS LOGICÆ.

# INDEX TITULORUM TOTIUS LOGICÆ.

## LIBER PRIMUS.

## LIBER SECUNDUS.

### *DE REBUS APPREHENSIS SIVE DE IDEIS.*

## LIBER TERTIUS.

### DE JUDICIO VERI ET FALSI.



## LIBER QUARTUS.

### DE DEMONSTRATIONE.

## LIBER QUINTUS.

### *DE RATIOCINATIONIBUS DIALECTICIS.*

## LIBER SEXTUS.

### *DE FALLACIIS SOPHISTARUM.*

| Pag. | Col. | Lin. | ERRATA. | SIC CORRIGE. |
|---|---|---|---|---|
| 12 | 2 | 31 | set. | sed |
| 27 | 1 | 24 | specie. | species |
| 29 | 2 | 31 | abusos. | abusus |
| 37 | 1 | 4 | Vide D. Thoma. | Unde D. Thomas |
| 39 | 2 | 2 | verum. | verbum |
| | 2 | 26 | proposito. | propositio |
| 46 | 1 | 35 | didiscimus | didicimus |
| 50 | 1 | 8 | proportionibus. | propositionibus |
| 53 | 1 | 17 | ac Profeta | et Prophetæ |
| 54 | 1 | 38 | dua | duo |
| 60 | 1 | 19 | debeant. | debeat |
| 66 | 1 | 24 | explicentur. | explicantur |
| | 2 | 18 | videns. | videtur |
| 70 | 2 | 12 | meditandi. | dubitandi |
| 72 | 1 | 14 | hypereritici. | hypercritici |
| 75 | 1 | 9 | quæritur | queritur |
| 79 | 2 | 4 | de vers.. | de verit. |
| | 2 | 30 | disjunctione. | distinctione |
| 81 | 2 | 15 | armaque hæc. | arma hæc |
| 82 | 2 | 33 | coexit. | evexit |
| 83 | 2 | 26 | Moneat ergo eos. | Maneat ergo, eos |
| 84 | 1 | 25 | usui | usus |
| 88 | 2 | 37 | siquis. | siqui |
| 93 | 1 | 37 | at | ac |
| 98 | 2 | 7 | comprehendit *perfectam*, | comprehendit, *perfectam* |
| 99 | 1 | 5 | earum, paria | earum paria |
| 106 | 2 | 21 | inventa | invecta |
| | 2 | 20 | nè | ut |
| 107 | 2 | 25 | ratiocinatio | ratiocinio |
| 122 | 2 | 26 | diximus | dicimus |

| Pag. | Col. | Lin. | POTIORA ERRATA | SIC CORRIGENDA. |
|---|---|---|---|---|
| 8. | 2. | 3. | habere | haberi |
| 10. | 1. | 13. | *magnitudo, figura,* | *magnitudo, numerus, figura,* |
| | | 25. | *externis,* | *internis,* |
| 13. | 1. | 5. | ut | at |
| 18. | 2. | 5. | cathegoricus, | categoricus, . . . *Sic alibi.* |
| 20. | 1. | 27. | vellit | velit |
| 21. | 1. | 38. | heu? | heus tu: . . . *Sic etiam pag.* 133. *col.* 2. *lin.* 11. |
| 22. | 2. | 2. | pertinet, | pertinens; |
| 24. | 2. | 4. | singularia. | singulari. |
| 25. | 1. | 2. | unicam omnium | unicam, omnium |
| 27. | 1. | 27. | specie | species |
| 29. | 2. | 31. | abusos | abusus |
| 36. | 1. | 14. | decipiunt, | desipiunt, |
| 37. | 1. | 4. | Vide D. Thomas | Unde D. Thomas |
| | | 21. | eo, quod, | eó quod, |
| 39. | 2. | 2. | verum, | verbum, |
| | | 26. | proposito | propositio |
| 43. | 2. | 3. | Sophistarum, si nationem | Sophistarum nationem |
| | | 28. | dent? | olent? |
| 46. | 1. | 35. | didiscimus | didicimus |
| 50. | 1. | 8. | proportionibus | propositionibus |
| | | 35. | enumerabimus | enumeravimus |
| 52. | 2. | 22. | inventos | invenisse |
| 53. | 1. | 5. | hujus, regulæ | hujus, et regulæ |
| | | 17. | ac Profeta | et Prophetæ: |
| 54. | | 15. | capescat. | capessat. |
| | 1. | 38. | dua | duo |
| 58. | | 2. | nil | nihil |
| | | 3. | negantes. | negantem. |
| 60. | 1. | 19. | debeant | debeat |
| 62. | 2. | 5. | faciendam | faciendum |
| 65. | 1. | 2. | positionem | negationem |
| | 2. | 11. | pauca | paucis |
| 66. | 1. | 24. | explicentur, | explicantur, |
| | 2. | 18. | videns. | videtur. |

| Pag. | Col. | Lin. | | |
|---|---|---|---|---|
| 68. | 2. | 4. | á | é |
| 69. | 1. | 4. | proficiscimus. | proficiscimur. |
| 70. | 2. | 11. | meditandi | dubitandi |
| 72. | 2. | 27. | donantut | donantur |
| 73. | 1. | 34. | opportet | oportet . . . . *Sic alibi.* |
| 79. | 1. | 34. | fræneticorum | phreneticorum . *Sic alibi.* |
| | 2. | 30. | disjunctione | distinctione, |
| 81. | 2. | 15. | armaque | arma |
| 82. | 2. | 33. | coexit. | evexit. |
| 83. | 2. | 26. | Moneat ergo eos, | Maneat ergo, eos |
| 84. | 1. | 25. | usui | usus |
| 86. | 2. | 8. | argumento | argumentum |
| | | 19. | Tactá | Factá |
| 87. | 2. | 10. | aliorum | aliarum |
| 88. | 2. | 37. | quis | qui |
| 93. | 1. | 31. | at | ac |
| 97. | 1. | 3. | eas | ideas |
| | 2. | 18. | æget, | eget, . . . . . *Sic alibi.* |
| 98. | 2. | 7. | comprehendit *perfectem* | comprehendit, *perfectam* |
| | | 31. | *videmus* | *videbimus* |
| 99. | 1. | 5. | earum, paria | earum paria |
| | 2. | 25. | possit | possint |
| 100. | 1. | 35. | expectat | spectat |
| 101. | 2. | 35. | proponit. | proposuit. |
| 102. | 1. | 7. | deffinitio | definitio . . . *Sic alibi.* |
| | | 9. | exacté | exactæ |
| 106. | 2. | 16. | absoleverit, | obsoleverit, |
| | | 20. | ne | ut |
| | | 21. | inventa, | invecta, |
| 107. | 2. | 25. | ratiocinatio | ratiocinio |
| 111. | 2. | 33. | quæ | quas |
| 112. | 2. | 3. | dicitur, | dicatur, |
| 115. | 2. | 15. | divisio in | divisio generis in |
| | | 34. | §. 3. | §. 4. |
| 119. | 2. | 1. | prædicatur in *quale contingenter.* | prædicatur in *quale essentialiter*, et ab accidente, quod prædicatur in *quale contingenter.* |

| Pag. | Col. | Lin. | | |
|---|---|---|---|---|
| 120 | 1 | 9 | Primo, *quod* | Primo, accidens est *quod* |
| | | 21 | Ethiope, | Æthiope, . . . *Sic alibi.* |
| 121 | 2 | 26 | eorum | earum |
| 122 | 2 | 25 | diximus, | dicimus, |
| 123 | 1 | 24 | *mensalitatem et* | *mensalitatem vero et* |
| 124 | 2 | 24 | denotat | manifestat |
| 126 | 2 | 19 | significant. | significat. |
| 127 | 2 | 31 | §. 3 | §. 2. |
| 130 | 1 | 34 | auctorem | auctores |
| | 2 | 23 | nihil adferat | nihil entitatis adferat |
| | | 37 | eas | ea |
| 132 | 2 | 31 | distinguantur | distinguatur |
| 134 | 2 | 20 | sit | sint |
| 135 | 1 | 14 | Quoad | Quod ad |
| | 2 | 32 | hæc | hic |
| 138 | 1 | 14 | sit, | sita, |
| 140 | 2 | 33 | a. 1 | a. 5. |
| 145 | 2 | 9 | Phylosophia | Philosophia . . . *Sic alibi.* |
| 146 | 2 | 21 | *quantitatis,* | *qualitatis,* |
| 150 | 1 | 10 | aliquid | aliquod |
| | 2 | 30 | sunt *secundum* | sunt. *Secundum* |
| 152 | 1 | 12 | prædicamentum, | prædicatum, |
| 155 | 1 | 13 | universali, | universis, |
| 163 | 1 | 21 | lamentabimus | lamentavimus, |
| 164 | 1 | 2 | expectandæ | spectandæ |
| 167 | 2 | 27 | *passiones; quod* | *passiones; puta quod* |
| 170 | 1 | 7. 10. 15 | recté | rectá |
| 172 | 1 | 3 | *non inhærere* | *inhærere* |
| | 2 | 25 | repræsentat | repræsentant |
| 173 | 1 | 22 | acceptationem | acceptionem |
| 174 | 1 | 35 | simplicis | simplici |
| 176 | 2 | 3 | et | ut |
| 177 | 2 | 18 | *quodd* | *quoad* |
| 179 | 2 | 24 | 1. p. | 1. 2. |
| 183 | 2 | 3 | propter quod | propterea quod |
| | | 29 | spectes. | expectes, |

| Pag. | Col. | Lin. | | |
|---|---|---|---|---|
| 184 | 1 | 20 | Weipshaut, | Weishaupt, |
| 185 | 1 | 25 | *facilé videtur* | *facilé..... invenitur* |
| 190 | 1 | 22 | monstruum. | monstrum. |
| 192 | 2 | ult. | Hæc | Hæ |
| 196 | 1 | 1 | *totam* | *totum* |
| 200 | 1 | 25 | *exactam*, | *exactam* |
| | | 35 | per se, nihil | per se nihil |
| 204 | 1 | 17 | sophismata, | Systemata, |
| 216 | 2 | 19 | post. | part. |
| 220 | 2 | 19 | definitæ, | definiendæ, |
| 222 | 2 | 12 | ipsis | ipsi |
| 223 | 1 | 23 | memorabimus, | memoravimus, |
| 224 | 1 | 6 | ( cit. cap. ) | ( cap. X. ) |
| 228 | 2 | 26 | nobis | á nobis |
| 231 | 1 | 4 | parallogismus | paralogismus . . . *Sic alibi.* |
| 239 | 2 | 26 | et suspiciones, | in suspiciones, |
| 240 | 1 | 20 | illud | illum |
| 243 | 1 | 2 | atque illam | atque ita illam |
| | | 4 | existimavit, | existimarit, |
| 249 | 2 | 23 | exacté | exactæ |
| 251 | 1 | 7 | minus | nimis |
| 263 | 2 | 5 | Augurium | Augurum |
| 264 | 1 | 14 | nobis | vobis |
| 266 | 2 | 6 | est inter | est, inter |
| 273 | 2 | 18 | deperiebat, | deperibat, |
| 275 | 1 | 26 | quæ Scholasticis | quæ á Scholasticis |
| 276 | 2 | 29 | aliquot | aliquod |
| 282 | 1 | 5 | *litteras*, nunc | *litteras* nunc |
| 296 | 2 | 9 | et alios | aliis |
| 300 | | | linea 35 potest deleri. | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | ita |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] nihil |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | ipsis | ipsa |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | (cap. X.) |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | in [illegible], |
| [illegible] | [illegible] | illas | illam |
| [illegible] | [illegible] | atque illam | atque ita illam |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible], |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| 266. | [illegible] | [illegible] | est, inter |
| 272. | [illegible] | [illegible] | deperibat, |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] Scholasticis | quae a Scholasticis |
| [illegible] | [illegible] | aliquot | aliquod |
| [illegible] | [illegible] | [illegible] | [illegible] |
| 296. | [illegible] | et alios | alia |
| [illegible] | | [illegible] puncta delent. | |


75


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm